


£5.5.0. Columbus Epitaph 30.72 1702



Valer. Andreas: Biblioth. Belg:

Ferreolus Locrius, Sampaulinus, natus ao Dni 1571. apud Atrebates ad D. Nicolaum parochus, in historia sacra profanaque juxta versatus, et poëta non infoelix.

15.5 deb. chez Regnault 265

FERREOLI LOCRII PAVLINATIS

CHRONICON BELGICVM.

Ab Anno CCLVIII. ad Annum vsque M. D. C. continuò perductum.

TOMI TRES.



ATREBATI,
Ex Officinâ GVILIELMI RIVERII,
sub signo BONI PASTORIS.
M. D. C. XVI.

Cum Priuilegio.

GENEROSISSIMO

AC NOBILISSIMO

HEROI

D. MAXIMILIANO

COMITI

DE BAILLOEVL,

EQVITI,

BARONI DE LESDAIN,

TOPARCHÆ S. MARTINI,

Gauchin le Gal, Piermont, Ocoche, Sains les Pernes, Floringhem, Aumerual, Auchy au Bois, Eure, Eckbrecq, Rocourt, Rollecourt, Grancamp, &c.

S. P. D.



FABVLABANTVR *Veteres, Generosissime ac Nob.me Comes, Liberos à Saturno, Temporis Deo, deuorari: Quo Symbolo significabant, fluxum esse & caducum, quidquid sub Cæli fornice spectaretur, quandoquidem nihil non absumat atque conficiat Vetustas. Humana cuncta oriuntur, crescunt, intereunt. Neque solùm Hominibus, sed & magnis Ciuitatibus, Regnis, Imperijs, sua mors etiàm venit. Hinc fit, vt hodiè Romam in Româ, & Hierosolyma in Hierosolymis quærant homines; Multique prætereà ambigant, quonam in loco superba Babylon, aut bellicosa Pergama, aliquandò constiterint. Quarum Ciuitatum, quantumlibet famosarum & potentium, ne ipsa quidem supersunt cadauera, aut vestigia. Certè bella, clades, Populorum exundationes, Religionum immutationes, atque adeò*

* 2 *ipsum*

ipsum Tempus, quod omnia destruit, iam olim curiosis Antiquitatum indagatoribus, meram in eruendâ Vetustate offundunt caliginem. Vt extera omittamus: Ante Iulij Cæsaris in Galliam aduentum: siue, ante annos plùs minùs mille septingentos, res Belgicæ in profundissimis ignorantiæ versabantur tenebris, quibus ipse lucem, tametsi breuem, suis Commentarijs attulit. Quo tempore, vel ipso teste, hæ Prouinciæ erant populosissimæ, neque inter Druydes, deerant Viri ingenio præstantes, & sublimioribus disciplinis instructi, qui res à Maioribus gestas, bellaque cum Romanis, alijsque Gentibus confecta, procul dubiò scriptis consignarunt; sed quæ, temporum iniuria, interciderunt. Ea si ad Posteros peruenissent, certiorem profectò Maiorum nostrorum haberemus notitiam, ac diffusiore rerum nostratium frueremur Historia, atque ea est, quam à Iulio aut Tacito accepimus, qui Romanorum more, sua ampliter, aliena obiter perstrinxere. Nihilominùs, post Scriptores istos, res nostræ rursùs in pristinas ignorationis reciderunt tenebras, è quibus emergere aut eluctari minùs potuere, propter subsecutum Romani Imperij casum; Atque horribilem, per Hunnos cæterosque Barbaros, vniuersæ Europæ deuastationem, quæ compluribus durauit seculis. Eâ eluuie, prisca decora deleta sunt, atque omnia Antiquitatis monimenta miserabile fecere naufragium, tota denique rerum Belgicarum scena funditùs inuersa corruit. Eo Patriæ miserando statu, cùm res nostræ altissimo rursùs obliuionis tumulo obrutæ laterent: Exorta est tandem, propitio Numine, Fidei Christianæ Lux & Veritas, quæ vbi per has Regiones fuit diffusa, complures Monachi, Sacratique Viri, animum ad rerum diuinarum humanarumque scriptionem adiecerunt, qui pulsâ paulatim veteri caligine, lucem rebus obsoletis reddidisse, atque Posteris ad condendam Historiam facem prætulisse meritò videri possint. Hæc autem eo consilio referuntur, vt intelligat æquus Lector & Arbiter, quàm sit difficile & arduum, huiuscemodi contexere Chronicon, quod per continuam annorum mille trecentorum, & eo amplius, seriem decurrit, totumque Belgium peruagatur, tametsi ex priore instituto Natale solum Atrebatense potissimùm respiciat. Quâ in parte quidnam Auctor præstiterit, aliorum esto iudicium. Is certè, absoluto Opere (ita placitum Superis) ex vitâ hac mortali ad immortalem demigrauit: Mihique Parenti (vt verum fatear) veluti ingentem luctum, ita omnibus Amicis maximum sui reliquit desiderium. Neque mihi fas esse existimo ab eius consilio discedere, qui paulò ante obitum graui iudicio decreuerat, sua Chronica, Generosissime ac Nobilissime Comes, Dominationi

V. offerre, dicare, consecrare. Quod vltrò vt ipse facerem, duplex caussa admonebat: Tùm, quòd in familiâ V. Clientelâ, atque honorario Baillivi Officio, ut vocant, iam annos octo & quadraginta exegerim: Tùm etiam, quòd hi Commentarij opus habeant Illustr. Dominationis V. Auctoritate & Patrocinio, aduersus Zoilorum genuinum, & liuidos maleuolorum morsus: si fortè quipiam exorientur, qui cum Mortui Vmbra & Manibus luctari contendant. Etenim, vt hodiè sunt mores, haud est insolens, vt illi ipsi qui nihil scribunt, in alienis scriptis censendis & arbitrandis otiosè occupentur. Haud est difficile carpere; Difficilius foret potiora dare. Ceterùm Illust. Comes, Opus hoc haud ingratum fore Dominat. V. vel isto nomine confido, quòd ab eo Auctore proficiscatur, qui paulo ante Fatum, Historiam Comitum sancti Pauli nuper obtulerit: Præterea, quoniam is es, in quo Prudentia & Artes optimæ, cum præstantissimis quibusque Virtutibus certare videntur. De Natalium splendore nihil hîc attinet dicere: Quandoquidem Laleinia, Merodia, Culemburgia, Bossutia, Saueusia, Clarissimæ in Belgio familiæ, iam olim Nobilissimo Stemmati V. sint insitæ. Constat præterea Dominationis V. Maiores, Ducibus Burgundiæ, & Principibus Austriacis, fuisse probatissimos. Vt alios omittam: Antonius Parens, Caroli Quinti Inuictissimi Imperatoris signa & auspicia secutus, in Africam traiecit, cùm Algerium expugnare pararet. Quo tempore, præerat insigni Turmæ Ordinariorum Equitum Belgicorum, Eamque honorificam Præfecturam toto vitæ spatio retinuit: Atque diuersis Expeditionibus, sub eodem Cæsare, & Philippo filio potentissimo Hispaniarum Rege, eâ cum laude interfuit, vt moriens, magnam nominis claritatem militari Virtute partam, Posteris reliquisse videatur. Itaque, nostrâ demùm ætate, Serenissimus Belgicarum Prouinciarum Princeps Albertus, quò Auita, Vestraque merita compensaret; Illust. Dominationem V. præcellenti Comitis Dignitate condecorandam censuit: Quam, vt propitij Superi, vnà cum Illust. Coniuge, Liberisque omnibus, quàm diutissimè seruent incolumem; opto, voueoque.

Illustr. Dominationi V.

Addictissimus Cliens,

PHILIPPVS LOCRIVS, Auctoris Parens.



DE SCOPO AVCTORIS: AD LECTOREM.

DOnec sinebant Fata: Noster LOCRIVS
Suâ Iuuentâ feruidus;
Labore gaudens; & perosus otium;
Aggressus est ARTÆSIAM
Ornare scriptis; quò celebrem Patriam
Celebriorem redderet.
Non ille lucubrare pernox destitit,
Non conquieuit perdius,
Antiquitates è tenebris erutas
Vt Posteris relinqueret.
Agebat hoc vnum, remotis omnibus
A se procùl negotijs.
Vetustiorum proindè docta Codicum
Scrutatus exemplaria,
Hinc indè multa seligebat, congruo
Et digerebat ordine,
Apis Matinæ simius, quæ flosculos
Suo recondit alueo.
Nec destitit: multo quoàd pertexeret
Sudore Commentarium,
Qui (vera si fas eloqui) potissimùm
Res tractat Atrebatium.
CHRONICON tamen placuit vocari BELGICVM:
Passim quòd hoc Volumine
Prouinciarum multa fiat mentio
Et Belgicorum Principum.
AVCTORIS iste finis & scopus fuit:
Qui membra fractus improbo
Labore, proximique Fati præscius,
Nuper Typis nostratibus
Opus suum commiserat: Quod attamen
Haud ipse vidit editum.
Nam fortè Prælo dum subest: * Heu! Occidit

* Obijt Ferricus Locrius 22. Augusti, anno 1614.

Ætatis

Ætatis octauo suæ
Lustro; secante liuidâ Lachesi manu
Matura necdùm stamina.
Quod si superstes extitisset integris
Impressionis viribus:
Parabat vniuersa Scripta seriò
Nouam sub incudem dare.
Non passa Parca est: Quæ solet confundere
Mortalium negotia.
Hoc scire, Lector, te volebam: LOCRIO
Ne sis iniquus Arbiter.
Si quid redundat: Si quid hic forsan deest:
Fac, Sortis humanæ memor,
Censendo cogites; eodem te modo
Scribendo posse labier.
Affectus omnis absit: In re qualibet
Est iste Iudex pessimus.
Si vis Amico gratus esse Mortuo,
Precare fausta Manibus,
Qui non Sibi, sed arbitratus Patriæ,
Dîas in auras editus,
Beatioris Ingenî dotes suis
Dicauit Atrebatibus.

Amico vitâ functo posuit, PHILIPPVS MEYERVS.

ANAGRAMMATISMVS.

FERRIVS DE LOCRE PAVLINAS.


FERREVS PRISCA ILLA ENVDO.

Expositio.

DVM *reparas magno Patrios molimine Fastos,*
Et curâ vigili nobile condis Opus:
Eulogium, LOCRI, *potes vsurpare; quod ecces*
Dant tibi transpositis Nomina versa notis:
FERREVS *in Studijs: Duri demistque laboris:*
ENVDO *Patria tempora* PRISCA *mea.*

Ex Inuentione ANTONII MEYERI, PH. F.





IN OPVS POSTVMVM V. C.
FERREOLI LOCRII

ANAGRAMMA.

FERREOLVS LOCRIVS.
FLORVS LVCE ORERIS.

LOCRIVS occiderat, lugebat Belgica Clio,
Ibat ob incultas taxea sylua comas;
Mox vbi circũ oculos noua lux effulsit, & isthæc
Verba dedit (Phœbi verba monentis erant)
O Dea sume animos, tuus, ô tua Buccina, viuit
LOCRIVS, ad nigros desine flere rogos.
Occidit, heu! (clamat) quidnam vox improba, quidnam
Insultas lachrymis futilis vmbra meis?
Occidit, at (lachrymas procul exige Diua) reuixit,
Floridus ecce virûm rursus in ora volat.
Occidit, at Manes tandem repedare Paternos
E gelidâ Proles Postuma cogit humo:
Florida viuit enim, & floret tibi viuida Proles,
Excipit à Patrio quam noua vita rogo;
Floret & æternos florebit clara Decembres,
Et patrio illustris nomine semper erit.
Ergo nouâ iam LVCE ORERIS mihi lucide LOCRI,
(Diua refert) positis floridus exuuijs?
O macte, Euboici spera modò pulueris annos
Temporis in falcem ferree FERREOLE:
O macte, ô posthac mihi lucide floride LOCRI,
LVCIVS Inuidiâ Iudice FLORVS eris.

IOANNES BAPT. RIVERIVS.

Anagramma.

FERREOLVS LOCRIVS PAVLINAS.

PLINIVS LAVRV SERA FLORESCO.




ATORVM domitrix quid stertis Fama, meumque
Quin toto, ut quondam, nomen in orbe canis?
Euge vola: Quid lenta iaces? Ecce inclytus Orbi
Iam nouus exorior PLINIVS: Euge vola.
Desine iam, ô Latium, mirari dogmata, quondam
Quæ cecinit Samius, non sine mente, Senex:
Nunquam Animæ intereunt, sed tantùm ergastula mutant,
Cuique nouas Parcâ constituente domos.
FLORESCO en SERA tot post ego secula LAVRV
PLINIVS, inque nouo iam nouus Orbe canor.
Sedem in te posui, LOCRI, dum Fata dedere,
Tu mea grata domus, tu meus hospes eras.

Aliud.

FERREOLVS LOCRIVS PAVLINAS.

FLORVS, PLINIVS, A VERO CLARES.




Macte, A VERO CLARES, ô floride LOCRI;
Id nouus inuersi nominis ordo canit.
Gloria vera tua est (procul i procul improbe Liuor)
Quæ post Fata venit gloria, vera venit.
O macte, ô Fatis maior, Pyliosque superstes
In pulchro Ingenij Pignore viue dies.
O amor Aonidum quondam, Bifidique sacerdos
Verticis! O Patriæ gloria rara tuæ!
Eloquio (heu!) quantus (præceps dum Parca sinebat)
Historiâ quantus, carmine quantus eras!
Quid moror? ah quantum te nomina versa canebant!
(Nomina fatales ista dedere Deæ)
PLINIVS alter eras, alter (Monumenta loquuntur)
FLORVS in arguta floridus Historia.

In eiusdem obitum, Chronographicum.

LoCrIVs oCCIdIt (heV!) deCta LVgete CaMenæ.

GVLIELMVS RIVERIVS G. T. F.



Martialis.

LECTOR INHVMANA LIBER AB INVIDIA

*L*EGE, *si lubet, & mecum luge: Abi Maleuole & vingere, aut si po-sitâ adfectuum sarcinâ, non carpere aut capere, sed sapere adue-nisti, vt Æquum Lectorem decet, specta & faue. Nuper (heu!) Clarus ille Antiquitatum nostratium Illustrator* LOCRIVS CHRONICON *suum* BELGICVM *nobis euulgandum commiserat; ô vtinam in lucem emissum, & Famæ auras ingressum conspexisset! at longè aliter illi visum,*

Seneca.

——— Cuius excussis tremunt
Humana telis:

Post paullò equidem afflictissima valetudine (quæ fuit illi postrema, pro dolor!) adfectus, me aduocauit, confestim adfui, Salue (inquiens) mi LOCRI, *atque animum resume; nunquid ergo pristinas tandem vires recuperas? magnâ ille corporis & animi contentione, velut è somnio excitatus; morior (ait) mi* RIVERI, *per te viuam tamen; vt spero; labores meos, nomen meum, vitam (inquam) meam vnicè tibi commendo: corpore enim in ruinam illam sorti humanæ communem iam iam fatiscente, spem vitæ longioris, secundum Deum, aliundè nullam concepi: quid nempe aliud à morte hominem vixisse meliùs testetur, quàm litterarum illa monumenta? adeò verum est illud:*

Ouidius.

——— nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis Ingenijque bonis:

sine ijs ignoramur, non viuimus, non sumus; perindè enim prorsùs est (vt aiunt Iurisconsulti) ignorari, & non esse: Quatenus ergo *mi* RIVERI nobis denegatur diu viuere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. *Macte (inquam) mi* LOCRI, *& hasce curas pone: viues enim Deo dante, (quid me percutis?) & Partus tuus, quem luci damus, altera te donabit & luce & vita: pone, pone metum:*

Plinius.

Horatius

——— non ego te meis
Chartis inornatum sileri,
Totue tuos patiar labores
Impune LOCRI carpere liuidas
Obliuiones:

Lipsius Plantino.

Aliud nihil dico, nisi hoc (ijsdem te verbis Typographo compellare liceat, quibus aliquando eruditorum gloria IVSTVS LIPSIVS *in pari euentu illustrem illum Typographorum Principem, eum neque nominabo, Orbi satis notum, neque eius me Nepotem gloriabor)* Quidquid à me factum voles, etiam cùm me præcedes, & in vili hác terra non eris, impera: non viuũ magis amaui, quàm posteà verè viuum amabo. *Rectè (inquit) mi* RIVERI, *euge, euge,*

Horatius

——— producas sobolem, Patrisque
Prosperes decreta:

Iuuenalis.

etenim
Iura Parentis habes.

Vltimus ille (prô dolor!) cum Viro Amicissimo mihi congressus fuit. Ergo vt postremæ illius voluntati faciam satis, en ecce tibi CHRONICON *illud* BELGICVM *mi* LECTOR, *quantum quidem per me licuit, tersissimum: quòd si quid tamen peccatum sit (vti secus vix potest fieri, Auctore immaturè benè nobis erepto)* [redacted] *pro tuo candore benignè mihi gratiam facies:*

Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Terentius.

Quòd si qui tamen accedant, qui pro humana indole studiosè nimis aut morosè labores alienos examinent: neque enim deerunt, vt arbitror:

Viuitur hoc pacto, sic nouimus: Persius.

eorum calumnias nihil moror: cogere non possumus quenquam vt non maledicat, nec nos quisquam vt hoc metuamus: Saturnios illos oculos expertus sum, qui quidem duabus maximè rebus peccare mihi videntur, Temeritate & Inuidentia: hac, quòd Operibus alienis vltrò insultandum sibi censeant, vt sua præponãtur: illâ, quòd parum modestè, nihil nempe non calumniari & dente Theonino petere audeant: Attamen de hoc genere nihil mihi metuo:

——— neque enim succedere tectis
Fas habet, & postes extremâ cuspide pulsat. Ouidius.
Successus hominum carpitque, & carpitur vnà,
Suppliciumque suum est.

Faue Tu LECTOR CANDIDE, *& diuersum te ab ijs præsta: labores meos qualescunque boni consule: Auctori immaturè nobis erepto bene precare: calumnijs Pij Manes impetuntur? illud Virgilianum oppone:*

Nullum cum victis certamen, & æthere cassis: Virgilius.

Quin & Lipsianum istud: Vt flamma firmior non surrexit vnquam sine fumo, sic nec fama sine nube aliquâ liuoris: *ereptum luges?* (videtur enim semper acerba & immatura mors eorum qui immortale aliquid parent) *Æquus rerum æstimator esto, & Clari Viri vitam non finitam vel intermissam, sed exutam sua mortalitate indicato. Typos (& hac adhuc pro me apud Typographos liceat) si quis meos carpit, vt fortean suos extollat, atque ex fama mea nomen captet: si primas mereatur, lubens contumeliam patior, (licet candori suo maculam inferat) & illius fœlicitati gratulor:* Lipsius. Plinius.

——— neque enim benefacta malignè
Detrectare meum est, modò ne communia solus Ouidius.
Occupet, atque aliquem nobis quoque reddat honorem.

Sin autem; nihil moror, tenebras enim, quibus offundatur, colligit. Atque hinc in eam spem venio fore, vt eruditos homines paullò mihi æquiores experiar. Hæc te volebam mi LECTOR, *syncero animo caussam ipsam age. Memineris Tu quisquis es, ô Vir Erudite, ô Typographe, quãuis alioqui Virum ingenio magnum, doctrina illustrem, rerum experientia & Artis peritia præstantem: hominem tamen esse, qui dum aliena errata corripis, operam alienam coarguis, labi facile possis. Vale. Atrebati* II. *Kal. Iulij.* CIↃ. IↃC. XVI.

GVILIELMVS RIVERIVS
Typographus Atrebatensis.

APPROBATIONES.

CENSENDVM mihi propoſuiſti CHRONICON tuum, quod in tres tomos Annalium tributum, animus eſt tibi in lucem edere, mi LOCRI. Aggreſſus es *periculoſæ plenum opus aleæ*, cùm ſingula Arteſiæ, plurimáque Belgij geſta auſus es à tot Seculis ferè obliterata explicare, & quaſi iam obruta ex tenebris eruere, Imò quod immenſi videbatur laboris, adeóque à nemine antea tentati, per ſingulos annos digerere: *Sed labor omnia vincit improbus*. Cenſuram itaque ſi meam quæris: operam tuam ac induſtriam probo laudóque, quod ab omnibus probandum laudandúmque cenſeo. Sed quod ad Fidem attinet, quod potiſſimùm in hac Cenſura mei muneris eſt: Ego PAVLVS BOVDOT Eccleſiæ Cathedralis Atrebatenſis Canonicus, Archidiaconus, Vicarius Generalis, Doctor Sorbonicus, ac ſuarum Celſitudinum ordinarius Eccleſiaſtes, teſtificor nihil me aduertiſſe in hoc toto Opere quod Catholicæ Religioni repugnet, quo minus excudatur, vt ab omnibus Antiquitatum ſtudioſis volui poſſit. In cuius rei fidem ſubſignaui Atrebati die 2. Nouembris, anno Domini 1611.

PAVLVS BOVDOT *Archidiaconus & Vicarius Generalis R.mi Epiſcopi Atrebatenſis.*

HOC CHRONICON, præclarum R. V. FERREOLI LOCRII PAVLINATIS, Opus è denſiſsimis Antiquitatis ſiluis ſummo labore erutum, atque in tres Tomos eximio ordine & induſtria digeſtum, pridemque, vel publico teſtimonio à Magnis & Eruditiſſimis Viris deſideratum, Belgicæ non exiguum pariet decus, ſi excudatur. Datum in Ciuitate Atrebatenſi, quarto Calendas Aprilis, 1610.

FRANCISCVS DE LA DIENNEE *I.V.L. Cathedralis Eccleſiæ Atrebatenſis Præpoſitus & Canonicus, Vicarius natus Epiſcopatus Vacantis.*

CON-

CONSVLT.mi DOMINI
ANTONII DENISII
CAMERÆ ATREB.
Consiliarij Iudicium.

SCRIPTA tua (mi FERREOLE) vidi, legi, probaui: Elegantia sunt profectò, continentque quamplurima quæ ad nos pertinent, Et nescire malum est. Quidni ergo illa ederes? *Paulùm sepultæ distat inertiæ Celata Virtus.* Nec ferendum est tot tuos labores *carpere liuidas obliuiones.* Certe Patriæ meæ gratulor, quæ tam præclari Ingenii Virum nobis dedit; Verumque illud esse fateor, quod priscus ille Poëta vaticinatus est:

Summos posse Viros, & magna exempla daturos,
Veruecum in Patria, crassoque sub aëre nasci.

Vale mi SYMPOLITA; Et Amantem redama.

Tui Amantissimus, ANTONIVS DENISIVS.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ Infantis Hispaniarum, Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, &c. Serenissimorum Belgicę Principum, Priuilegio cautum est, ne quis FERREOLI LOCRII PAVLINATIS CHRONICON BELGICVM in tres tomos tributum, pręter voluntatem Gulielmi Riuerij, Typographi Atrebatensis, intra decennium excudat, aut alibi excusum in Inferioris Germaniæ Ditiones importet, aut venale habeat. Qui secùs faxit; confiscatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in Litteris datis Bruxellæ, vltima die mensis Augusti, M. D. C. XIII.

Signat.

DE LA FAILLE.



CATALOGVS SCRIPTORVM, QVORVM OPERA HOC IN OPERE VSVS EST AVCTOR.

A

ABRAHAMVS Ortelius.
Ado Viennensis.
Alcuinus.
Alexander Blancæus Murchinius.
Andreas Herbius.
Andreas Hoyus.
Andreas Schottus.
Andreas Theuetus.
Andreas Vaillandus.
Annales Franciæ.
Anselmus Gemblacensis.
Antonius Augustinus.
Antonius Denisius.
Antonius Molanus.
Arnoldus VVionius.
S. ATHANASIVS.
Aubertus Miræus.
S. AVGVSTINVS.
Aymonius.

B

BAldninus Glendius.
Baronius.
Bar-ptolomæus Anglicus.
Bar-ptolomæus Lyntrensis,
Bellarminus.
Bergomas.
S. BERNARDVS.
Bernardus Girardi,
Breuiarium Atrebatense.
Breuiarium Ariense.
Breuiarium Romanum.
S. BVRCHARDVS.

C

CAntipratanus.
Capitulare Regũ Franciæ.
Carolus Mameranus.
Cassiodorus.
Choniates.

CHRONICON:
- Affligemense.
- Andreense.
- Aquicinctinum.
- Aurelianense.
- Bertinense.
- Cameracense.
- Carionis.
- Ditmari.
- Dunense.
- Eusebij.
- Gemblacense.
- Genebrardi.
- Hennaicense.
- Leodicense.
- Marchianense
- Martini Poloni.
- Meyeri.
- Miræi.
- Palmerij.
- Premiacense.
- Vedastinum.
- Vignierij.
- Villariense.

Clictouæus.
Codex Iustinianæus.
Codex Theodosianus.

CONCILIVM:
- Bracarense.
- Claromontense.
- Lugdunense.
- Melphitanum.
- Remense.
- Toletanum.

Constantinus Imp.
Cornelius Martinus.

D

De-

Lam.

CHRO-



CHRONICON BELGICVM.

AVCTORE FERREOLO LOCRIO PAVLINATE.

ANNO AB ORBE CONDITO, IVXTA LXX. 4866.
IVXTA VVLGATAM ET EMENDATAM EDITIONEM, 4280.
OLYMPIADIS 258. ANNO 4.
AB V. C. SECVNDVM VARRONEM 1009.
CHRISTI REDEMTORIS NOSTRI 258.
STEPHANI PAPÆ ANN. 2.
VALERIANI ET GALLIENI IMPP. 4.

CHRISTI ANNO 258.

STEPHANI PAPÆ ANNO 2.



VO tempore grauissimæ de Hæreticorum baptismate in Oriente, de lapsis Pœnitentibus in Occiduo Orbe, controuersiæ agitabantur; nulla vt stabiliendo, sic longè latéque proferendo Christi Regno spes maior affulgebat, quàm si Valerianus rebus Imperij summis * admotus, longissimâ annorum serie gubernaret. Quippè Decij Imp. (sub eo Dominicum Ouile, septimùm acerbissimè vapulauit) tempestate sedatâ, in Christiani nominis assеclas & professores, nihil humanius Valeriano Principe prædicabatur. *Nemo namque Imperatorum* (vt Dionysius Alex. ad Hermammonem loquitur) *qui eum anteiuerant, tantam beneuolentiam & comitatem, aduersus illos declarauit. Imò verò ne illi quidem, qui Christiani erant, eóque nomine palàm appellati, ita sunt hos amplexati, vt ille; qui quidem initio Im-*

* Anno 55.

Valeriani Imp. Probitas.

Eusebius li. 7. c. 9

 perij

perij sui, quam familiarissime & amicissimè, atque in oculis omnium eosdem excepit; & tota domus eius pijs hominibus complebatur, eratque planè Dei Ecclesia. Hæc ille.

Origo Catholicæ Fidei apud Belgas.

Quâ Imperatoris beneuolentiâ, atque Christianę professionis libertate, Stephanus, tùm Summus Ecclesiæ Pontifex, summoperè recreatus, adesse tempus iam demùm intellexit, diuinæ & Euangelicæ legis Pręcones, vitæ integritate atque doctrinæ præstantiâ conspicuos, in varias Orbis Regiones Idolorum cultu, morumque spurcitijs infames, dimittendi, quorum operâ Gentilitatis tenebræ fugarētur; atque errantium mentibus veræ fidei lumen adsurgeret.

Quod pientissimum institutum vt generosè agitat; commodùm ab VRBE, SS. Fuscianus, Victoricus, Quintinus, Piatus, * Chrysolius, Crispinus, Crispinianus, Lucianus, aliique in Gallias delegantur; qui * Lutetiæ Parisiorum conuenientes, tributis ad prædicandum locis; Lucianus Bellouacenses, Crispinus & Crispinianus Suessionenses, Piatus & Chrysolius Neruios, Quintinus Ambianenses, Fuscianus & Victoricus Morinos, Oromansacos, finitimosque populos, ritu Christiano excolendos, sacrisque initiandos susceperunt. Atque hæc quidem eâ felicitate & progressu, vt sicubi sacras Ædes Neophytis, Catechumenis, Renatis in concionem aduocandis, statuere vellent, aliquo vix repugnante, ius atque auctoritas adessent.

* *quidam a Marcello PP. missum scribunt.*
* *Petrus Equilinus in Catal. l. 9. c. 116.*

SS. Fuscianus & Victoricus Morinorum primi Apostoli.

Testis illa Nostratium (Morinos intelligo, quos iàm olim Iulius Cæsar Atrebatium iugo, perpetuæ rebellionis odio, subiecerat) prima, in propinqui collis cliuo (*Hellefault* hodiè indigetant) Fusciani & Victorici industriâ atque labore collocata; vbi, ad priscæ Religionis memoriam, Sacellum positum etiamnùm frequentatur.

Morini Atrebatibus subiecti.
Tēplum eorum primum.
Petrus Diuæus lib. 1. Rerum. Belgicarum, cap. 19.

Atque ista quidem hîc exsurgentis, aut fortè resurgentis Ecclesiæ non exigua ornamenta, ex Valeriani, quandiù probi & mansueti Principis specimen præ se tulit, concessione emanarunt. Quippè, vt signauit Lucanus,

——— *Mitissima sors est*
Regnorum sub Rege nouo.

Verùm enimuerò quod olim Romanis contigit in Nerone, qui primis quinque ab accepto Imperio annis, eum gessit Principem, vt in Prouerbium abierit. *Omnes Principes, etiam bonos, longè a Neronis quinquennio abesse*: postmo-

dum

dùm autem in mores plusquam beluinos degenerauit; sic planè Romanę Ecclesię euenit in Valeriano. Etenim

CHRISTI ANNO 259.

STEPHANI PAPAE AN. 3.

ANNO 259. Valerianum, quintum Imperij annum vix ingressum, *Doctor quidam* (iterum Dionysij verba affero) *& Princeps Magorum Aegypti, tandem perdito consilio deprauauit: & non impulit solùm, vt homines culpâ vacuos, ac* * *sanctos Dei, vtpotè scelestorum & execrabilium incantamentorum aduersarios & oppugnatores (satis namque virium ac potentiae praesentiâ, aspectu, spiritu & voce solùm, ad detestabilium Daemonum insidias dissipandas & habent, & semper habuerunt) acerbè prosequeretur necique traderet: verùm etiam vt impuras cerimonias obiret, profanas exerceret praestigias, execranda mysteria exequeretur, mactaret pueros misellos, prolem infelicium parentum sacrificaret, tenera infantium dissecaret viscera, Dei denique creaturas discinderet, discerperetque vehementer cohortatus est, perindè ac si eo pacto res omnes prosperè & feliciter succederent.* Hactenùs ille.

* Suetonius in Nerone, vocat, *Genus hominum superstitionis nouae ac maleficae.*

Valeriani probitas corrumpitur.

Tali itaque hortatore atque impulsore deprauatus Valerianus (sic Commodum Imp. Dione teste, aulici corruperunt) immanissimam Persecutionem, velut è sepulcro reuocauit; eamque maximo suo incommodo Romani imprimis sunt experti, quã octauam Hieronymus, Augustinus, Orosius, atque Seuerus nominauerunt. *Vide Baronium.*

Impiorũ consortiũ vitãdum

Veruntamen ad nostros non admodum pertinuit ea clades, quòd Apostolorum nostrorum Fusciani & Victorici sanguini fundendo quaedam velut induciae, ab Valeriano & insequentibus Imperatoribus ad-vsque Diocletiani tempora fuerint impetratae.

CHRISTI AN. 260.

STEPHANI PAPAE AN. 4.

ANNO 260. Stephanus Papa ad Martis delubrum ductus, quum ad eius orationem, tonitruo & fulgure, quassato templo, omnes effugissent, in coemeterium Lucillae * secedens, rursus quaesitus, ac sacrificium offerens repertus, suâ in sede obtruncatur. *Baronius.*

* al. Lucinae.

CHRISTI AN. 261.

DION. PAPAE AN. 1.

ANNO 261. Sept. 12. Dionysius ex Monacho Summus Ecclesiae Pontifex assumitur, atque à Maximo Ostiensi Episcopo consecratur.

CHRISTI AN. 262.

DION. PAPAE AN. 2.

ANNO 262. Valerianus Imp. aetate septuagenarius, in eximiae tyrannidis honorarium, Macriani Ducis proditione, Sapori Persarum Regi deditur, cui equum conscensuro, quandiù vixit, ceruice curuatâ (sic Baiazetes Tamberlano, & Romanus Diogenes Belphecho, Persarum etiam

Diuina vltio in Valerianum.

Regibus, famulati) suppedanei instar subsellij præbuit officium: ac demùm excoriatus, & sale conditus, miseram cum vitâ seruitutem terminauit. Horum meminit Constantinus, Oratione ad Sanctorum cœtum, cap. 24. *Quin tu Valeriane eandem crudelitatem in Dei famulos ostendens, iustum, sanctumque Dei iudicium, quasi omnium ante oculos statuisti: dum captiuus præhensus eras, & vinctus ducebaris, purpurâ & reliquo apparatu Regio indutus. Tandem à Sapore Rege Persarum iussus excoriari, saleque conditus, sempiternum tui infortunij trophæum, ante omnium oculos statuisti.* Sic ille.

Gallienus, qui cum Valeriano Patre sexennium imperarat, solus rerum potitus, quamuis naturâ sæuissimus, Patris clade, velut prodigio perterritus, Ecclesiæ pacem reddit.

CHRISTI AN. 263. — DION. PAPÆ AN. 3.

Ecclesia Gallica ab Alemanis agitatur.

ANNO 263. Germani, sedibus patrijs relictis, postquàm diris modis Gallias agitassent, multosque ad Martyrij palmam (in quibus Priuatum Gabalitanum Episcopum) crudelitate suâ promouissent, Rhetiâ, Alpibus, totáque Italiâ penetratis, Rauennam vsque perueniunt, igni & ferro obuia quæque deuastantes.

CHRISTI AN. 268. — DION. PAPÆ AN. 8.

ANNO 268. Claudius, exercitus in Daciâ Dux, vir insignis, Domi militiæque spectatus, pertæsus socordiam Gallieni, quâ in Romanum Imperium noui quotidiè tyranni excitarentur, de illo sibi vendicando consilium agitat.

CLAVDIVS IMP.

CHRISTI AN. 269. — DION. PAPÆ AN. 9.

ANNO 269. Gallienus Imp. vnà cum fratre Valeriano & filijs, iuxta Mediolanum, à Militibus, Duce Cecropio, Claudij dolo interficitur; quo sublato Flauius Claudius Imperator salutatur.

CHRISTI AN. 270. — DION. PAPÆ AN. 10.

ANNO 270. Marius & Martha eius coniunx, cum Audiface, & Abacho filijs, Martyrio coronantur. Marij corpus in Belgicâ, Gemblacensi Monasterio honorificè requiescit. *Molanus in Natt. 19. Ian.*

Atrebatium Parœcia cæteris orbis Christiani connumerata.

Sanctus Dionysius, Summus Ecclesiæ Pontifex, Christiani Orbis Parœcias diuidit, atque in ordinem refert; quibus Atrebatensem atque Cameracensem Parœcias accenset.

Et verò distinctas ab Dionysio fuisse Orbis Parœcias,

data

data V. Id. Decembris anni huius ab eodem ad Seuerum Cordubensem Episcopum Epistola, declarat: in quâ sic legitur: *Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus, Parœcias & Cæmiteria eis diuisimus, & vnicuique ius proprium habere statuimus, ita videlicet, vt nullus alterius Parœciæ terminos aut ius inuadat*. Habetur in Gratiani Decreto 13. q. 1. c. Ecclesias.

Atqui Atrebatium, immò & Cameracensium, vt dixi, Parœcias iisdem fuisse connumeratas, vetera Atrebatensis Ecclesiæ monumenta omnino volunt; affero verba: *Dionysius Papa, qui iuxta Chronicorum fidem, ducentis* [a] *sexaginta tribus annis fuit ante Hormisdam, quem tempore* [b] *Sancti Vedasti, constat Romanam Sedem tenuisse, inter cæteras vrbes Atrebatum atque Cameracum asscriptas, cum suis aquè Parœciis distinctas reliquit.* *Etiã Cameracensium.*

Dubitari meritò possit, quid sibi hîc velit *Parœciæ* Nomen: etenim olim pro Diœcesi seu Episcopatu [c] vsurpatum fuisse, B. Bernardus stylo suo confirmat. Is enim in [d] Epistolâ quadam ad Abbatem Præmonstratensem, cuius nomen non exprimit, ita scribit: *Super omnia plangitis quod* [e] *Ecclesiam S.* [f] *Foillani, quæ de Ordine vestro est, Abbas noster de* [g] *Villari fecerit imbanniri*; &c. Et post pauca: *Post duas aut plures conuentiones pacis; post definitam sententiam iudicij, iuxta mandatum Capituli vestri, per vestros & nostros Abbates promulgatam: accitus demùm Episcopus Cameracensis (ad cuius* Parœciam *locus S. Foillani pertinere cognoscitur) cùm videret Abbatem obstinato animo omnia violare*, &c. *Quid Parœcia.*

Ceterùm hoc loco, arctiori significatione constringi, indè fortassis probari possit, quòd *iste Dionysius* (vt loquitur Glossa, ad dictum Gratiani Decretum) *diuisit vel distinxit terminos Ecclesiarum, sed non terminos Episcopatuum, quia in Gentilitate fuerunt distincti, vt 80. Dist. c. 1. Similiter termini Prouinciarum sunt distincti ante tempus Christi, vt 99. Dist. c. 1.*

Adde quod Victoricum aut Fuscianum Episcopos fuisse nusquam legatur: quamquàm vero non repugnet, Atrebates, si tùm Parœcos habuerint, habuisse simul, cui subessent Parœci, Episcopum; forte ab Ambianensibus non infœliciore, qui eâdem ætate B. Firminum Pontificem suum agnoscebant.

[a] Secundum Baronium *quinquaginta tribus.*
[b] Nó quidem tunc Episcopi, sed Institutoris Clodouæi Regis.
[c] Sic Episcopus & Presbyter antiquitùs idem erant: Vide Guliel. Durandũ l. 2. Rational. diuini offic. c. 11.
[d] Epist. 252.
[e] Fundata est anno 1126. in Hanoniâ.
[f] Vide Molan. 31. Oct.
[g] Vide Mariale nostrum l. 3. c. 76.

CHRISTI AN. 271. Alemanni à Claudio Imp. domantur.

ANNO 271. Claudius Imp. in superiorem Germaniam copias promouens, cum Germanorum millibus triginta congreditur; eorumque mediam ampliùs partem gladio conficit. DION. PAPÆ AN. 11.

AVRELIANVS IMP.

CLAVDIVS post illam cladem, è viuis (morbo, an ferro, incertum) eripitur; Domitio Valerio Aureliano successore.

CHRISTI ANNO 275. Barbari Galliâ expelluntur. FELICIS PAPÆ AN. 3.

ANNO 275. Aurelianus Imp. in Gallias proficiscitur, vt Barbaros, Tetrico (Chrocum Baronius vocat, abs quo S. Priuatus Gabalitanus, alijque de quibus suprà, interfecti) Duce, irruentes reprimeret, Augustamque Vindelicorum ab eis obsessam liberaret: quo tempore, rebus feliciter actis, Aureliam atque Geneuam fertur fundasse.

S. Priscus Martyr Tornaci.

Tornaci S. Priscus, vrgente Aureliani persecutione, passus est, cuius Caput abscissum, quùm Christianus quidam, pietatis ergo surripiens Antissiodorum aufugisset, ibidem captus, & ipse martyrium subiuit.

TACITVS IMP.

CHRISTI AN. 278. EVTYCHIANI PAPÆ AN. 4.

ANNO 278. Aurelianus Imperator interficitur: succedit Tacitus, qui in eâ dignitate sex non amplius menses continuauit.

PROBVS IMP.

CHRISTI AN. 280. Alemanni Galliâ extruduntur. Germania fit Prouĩcia. EVTYC. PAPÆ AN. 6.

ANNO 280. Probus secundum Imperij annum auspicatus, Gallias ex Barbarorum & Germanorum, qui eas denuò occupabant, potestate, cæsis eorum quadringentis ferè millibus, sub Romanorum potestatem reducit; totâque Germaniâ in Prouinciam relatâ, pacem Orbi reddit.

CHRISTI AN. 282. EVTYC. PAPÆ AN. 8.

ANNO 282. Franci audax facinus meditati, breui temporis spatio, totum Romanum Imperium incursione turbant, & timore vehementi concutiunt. Egregium planè

Franco-

Francorum antiquæ gloriæ monumentum; quos Christiana Religio posteà longè clariores, atque gloriosiores effecit.

Galli Imperium turbant.

CARVS, CARINVS ET NVMERIANVS IMPPP.

CHRIST: AN. 283



ANNO 283. Probo extincto, Carus Manlius Aurelius, Romæ ex parentibus Illyricis natus, à militibus Imperator creatur. Is Numerianum & Carinum filios, sibi in Imperio sociauit; motoque in Persas bello, Carinum in Gallias dimisit, vt eas in officio, & Romanorum obsequio contineret.

EVTYC. PAPÆ AN. 9.

Galliarũ quieti cõsulitur.

Hac tempestate, birri serici, Atrebatium opus, magno in pretio habebantur. Etenim Flauius Vopiscus, horum temporum Historicus, dum in Carino Imp. conqueritur, quosdam patrimonium suum Scenicis dare, Heredibus abnegare; inter alia scribit: *Donati sunt ab Atrebaticis birri petiti. donati birri Canusini.* Quibus verbis indicat Atrebatenses in Gallijs notos birros, à se pretiosè contextos, in turpes scenicorum vsus turpiter profudisse. Quo etiam pertinet illud Hieronymi libro secundo contra Iouinianum: *Nunc, lineis, & sericis vestibus, & Atrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis.* Quale autem vestis genus fuerit birrus, etsi ambigatur; existimat tamen Molanus vestem fuisse, quâ caput tegebatur. Nam birretum, diminutiuum à birro, Gallis paruum est pileum: & Mauortes, * quibus Ægyptij vtebantur ad declinandum pretia birrorum, capitis quoque erant tegumenta. Porrò birri sic distinguebantur, vt eorum quidam viliores essent, vtpote ex pilis texti atque hirsuti: alij verò sericei, & pretiosi idcircò appellati, quos honestiores atque Palatini gestabant. Immò & in Ordine sacro, Episcopi. Vnde B. Augustinus, sermone de communi vitâ Clericorum: *Offeratur* (inquit) *mihi birrum pretiosum; fortè decet Episcopum, quamuis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem de pauperibus natum.* &c. Vide Molanum l. 3. de Canonicis c. 7. & 8. & diploma XI. Pij. IV. in summa constit. PP. MM.

Birri Atrebatũ.

* Mauortes sunt velamina fœminis olim in via, dum incederent. Vide Isidor. Etymologica, l. pe nult. c. 25

DIOCLETIANVS IMP.

Christi An. 284. — Caii. Papæ An. 1.



ANNO 284. Aurelius Diocletianus, Carino & Numeriano F. Impp. extinctis, ab exercitu Imperator acclamatur.

Christi An. 286. — Caii. Papæ An. 3.

ANNO 286. Diocletianus Maximianum in Regni consortem asciscit.

Christi An. 297. — Marcellini. Papæ An. 1.

Rusticorũ in Galliâ tumultus. — [a] Gall. *Bagarides.*

ANNO 297. Rusticani in Galliâ tumultuantur, suæque factioni [a] Bagandarum nomen imponunt: quibus comprimendis Maximianus ab Diocletiano legatus, eos leuibus prælijs domitos, pacatiores Regno effecit. Similes Rusticorum turbas, eodem in Regno ann. 1251. & 1320. excitatas, vide apud Fulgosum lib. 9. c. 7. vt illas sileam, quæ an. 1525. in Germaniâ tragicè efferbuerunt; vt refert Prateolus l. 4. de vit. Hæret. c. 35.

Bononiensis in Flandris Præfectus limitaneus.

Carausius obscuro licet loco natus, ex militari tamen peritiâ, egregiam famam sub Diocletiano consecutus, Oceanum Britannicum, quem Franci & Saxones infestabant, tutandum excipit, atque in Atrebatium agro, non procul Bononiâ sedem figit.

Christi An. 303. — Marcel. Papæ An. 7.

ANNO 303. Beati Fuscianus & Victoricus, ex Morinis, B. [b] Quintini visendi & salutandi ergo, quo cum Româ in Gallias concesserant, Ambianum commeantes, in B. Gentiani ædibus, hospitantur. Qui mox ad Rictiouarum, seu Rictium Varum (vt vult [c] Baronius) Galliarum Præfectum, tyrannumque truculentissimum delati, vnà cum Gentiano Hospite, immane martyrium [d] patiuntur. Quod quale fuerit, ex Romanorum Martyrologio audiamus: *Ambiani sanctorum Martyrum Victorici & Fusciani, sub eodem Imperatore; in quorum naribus & auribus iussit Rictiouarus Præses immitti [e] tarinchas, & clauis ardentibus tempora transfigi, deinde oculos euelli; ac postmodum eorum corpora iaculari; sicque vnà cum sancto Gentiano eorum hospite, capitibus amputatis, migrarunt ad Christum.* Sic ibi XI. Decemb.

Morinorum Apostoli Martyrio coronantur.

[b] Molan in Natal. 11. Dec.
[c] In notis ad Martyrol. Rom. 6. Ian.
[d] Locus martyrij iuxta Ambianum esse fertur.
[e] i. Sudes ferreas ignitas.

Persecutio Ecclesiæ Gallicanæ.

Eadem temporis tempestate, tanta in Gallijs finitimisque locis edita Christianorum strages fuit; vt omnium neque nominis, neque numeri certi ratio iniri potuerit; quorum, qui propiùs nos attingũt, martyrij Lauream retulere,

FIRMINVS, primus Ambianorum Episcopus;

QVINTINVS, Augustæ Viromanduorum;

CRISPI-

CRISPINVS & CRISPINIANVS, Sueſſione,
PIATVS, Tornaci;
CHRYSOLIVS, Vrelenghemi, non procul Armentariâ in Flandris;
LVCIANVS, Bellouaci;
FERREOLVS, in territorio Viennenſi; de quo Martyrologium Rom. 18. Sept. & Baronius in Notis, & Annal. Eccleſiaſticis, Gregorius Turonenſis, &c.
IVLIANVS, Ferreoli comes, Aruernis;
IVSTVS puer, Bellouaci;
MACRA virgo, Rhemis;
GENESIVS, Arelate;
ROGATIANVS & DONATIANVS fratres, Nannete;
TIBERIVS, MODESTVS, atque FLORENTIA, in agro Agathenſi, ſiue montis Peſſulani;
VINCENTIVS, ORONTIVS, & VICTOR, Ebreduni;
VICTORINVS Græcè & Latinè doctus, ac libris ſcriptis clarus, in Pictonibus;
Sexcenti decem & octo, Coloniæ;
Innumerabiles, Treueris:
Et vt verbo abſoluam, triginta dierum ſpatio, diuerſis in Prouincijs, viginti circiter hominum millia, martyrij palmam promeruerunt.

Quanto autem cœli huius damno, Sancti Fuſcianus & Victoricus occubuerint, Molanus in Natalibus, ſic verè teſtatur: *Vt breuiter ſtatum Eccleſiæ Audomarenſis ſubyciam; ibi primùm prædicauerunt Romani viri Fuſcianus & Victoricus: verum ÿs ſub Rictionaro, Martyrio coronatis, populus gradatim redÿt ad vomitum, & ad priſtinos idolatriæ errores.* (Vbi ſupra.) (*Morini ad Idolatriam relabuntur.*)

CONSTANTIVS ET GALERIVS IMPP.

(CHRISTI AN. 304) (MARCEL. PAPÆ ANNO 8.)



ANNO 304. Diocletianus & Maximianus abdicant ſe Imperio, vitamque priuatam amplexantur, ille quidem Nicomediæ, hic verò Mediolani. Quibus ſolutus curis Diocletianus excolendis hortis animum addicit, eóſque in delicijs habet: vndè pòſt paulò ſollicitanti Maximiano, vti abdi-

catum Imperium resumeret, fertur respondisse: *Si hortorum delicias agnouisses, nequaquam de Imperio cogitares*. Quâ quidem in voluptate, iuncto Imperij neglectu, Attalum Asiæ Regem, socium habuit, de quo sic Iustinus: *Omissâ Regni administrat one, hortos fodiebat, gramina seminabat*; &c.

Hortorũ deliciæ quæ.

Impp. suaues.

———————Et paruo quæ legerat horto,
Ipse focis breuibus ponebat oluscula. ———

Iuuenal. Satyrâ 4 de Curio Dentato.

Vide I. Lipsium l. 2. de Constantia c. 1. 2. & 3.

Constantius & Galerius, ex spontaneâ Diocletiani & Maximiani abdicatione, Imperium adepti, idipsum partiuntur; Constantio Gallias, Hispanias, Italiam & Africam; Gallerio Illyricum, Græciam, & reliquum Orientem obtinentibus.

Baronius.

Constantius moribus integer, scelerumque purus, atque in Christianos perhumanus, diuiso taliter Imperio, in Gallias maximè affectum conuertit; Britanniam recuperat; Batauiam, aduenâ hoste depulso, purgat;* Ambiani, quod peruetus est opidum, & Picardorum, in Attesiæ finibus, Metropolitanum, domicilium collocat, quod minimè postmodùm aspernati fuere Constantinus, Constantius F. Iulianus, Valentinianus, Valens, Gratianus, Theodosius, ex ordine Cæsares.

Baronius.

Galliæ à Constantio Imp. habitantur.

Ambianum Cæsarum sedes.

*Diuæus

Quod de Valentiniano, Valente, & Gratiano, dixi, ex Theodosij Codice lib. 8. tit. 7. confirmo; * Petrus Diuæus, cætera:

*Diuæus li. de Antiquitt. Belg. c. 6.

IMPPP. VALENTINIANVS, VALENS, GRATIANVS, A A A.

AD PRÆTEXTATVM, P. V.

*Filios contumaces, qui patres, vel acerbitate conuicij, vel cuiuscunque atrocis iniuriæ dolore pulsassent; Legis emancipatione rescissâ, damno libertatis immeritæ multare voluerunt. Datum XV. Kal. Septemb.**

Imperatorũ decretum in filios contumaces.

*An. 367

AMBIANIS,

Lupicino & Iouino Coss.

Porrò dictus Prætextatus Romæ Sacrorum omnium Præsul erat, præferens Vettij nomen. Ad eundem habetur altera Sanctio Valentiniani & Valentis Impp. in eodem Theodos. Codice, lib. 14. tit. 4. de Suarijs; cap. 4. data Remis in Gall. ijsd. Coss.

AN-

Christi An. 306. | Marcelli Papæ An. 3.

Anno 306. Constantinus cognomento Magnus, Constantio Patre, Eboraci in Britanniâ, solidâ cum laude, vitâ functo, ad summum Imperij culmen, incomparabili Ecclesiæ bono conscendit. Natus est* Eboraci, Helenâ Britannâ Imperatrice matre; Anno Christi 277. Aureliani Imp. 5. Felicis Papæ tertio.

*Reclamat his Lipsius.

Burgundionum origo.

Hac tempestate Burgundionum nomen innotescere, eorũq; virtus formidabilis esse cœpit, Hinc Paulus Diaconus lib. 12. *Sub Valentiniano, Burgundionum quoque nouorum hostium cœpit nomen nouum, qui plusquam* LXXX. *millia, vt fertur, armatorum ripæ Rheni fluminis insederant. Hos quandam subactâ Germaniâ interiore à Druso & Tiberio adoptiuis filijs Cæsaris, per castra dispositos, in magnam coaluisse gentem, atque ita etiam nomen ex opere præsumpsisse, quia crebra per limitem habitacula constituta, Burgos vulgò vocant, eorumque esse preualidam & perniciosam manum, Galliæ hodiéque testes sunt, in quibus præsumpta possessione consistunt; qui tamen non multo pòst tempore * Christiani effecti sunt.* Hactenus ille. *Et conformiter ad nomen alludens Luitprandus: & quoniam* (scribit) *ipsi domorum congregationem, quæ muro non clauditur, Burgum vocant, Burgundiones à Romanis appellati sunt.*

Vnde nomen.

*An. 431 secundũ Thomã Bozium l. 4. c. 4. de Signis.

Constantinus Imp.

Christi An. 307. | Marcel. Papæ An. 4. | *Constantinus Imp. Gallici soli cultor.*

Anno 307. Constantinus in Gallijs, & Militum & Prouincialium, ingenti cum fauore regnat, cæsis Francis & Germanis, captisque eorum Regibus, quos etiam bestijs, quum magnificum spectaculum parasset, obiecit.

Christi An. 312. | Melchiadis Papæ An. 2. | *Constantinus in Italiam pergit.*

Anno 312. Constantinus, superatis Alpibus, exercitum in Italiam promouet; atque Maxentium rerum semper nouarum satagentem, atque ipsi Cæsari insidiantem, Crucis Dominicæ virtute præsentiáque fretus, in fugam fœdissimam vertit, vitáque exuit.

Christi An. 313. | Melch. Papæ An. 3. | *In Galliã reuertitur.*

Anno 313. Constantinus rebus in Italiâ compositis, multisque in Ecclesiæ fauorem, nullo Maiorum exemplo, peractis, in Gallias reuertitur.

Germani iterùm tumultuantes, à Cæsare comprimuntur.

Maternus Agrippinensis, Rheticius Augustodunensis,

Galliæ Episcopos in pretio & honore habet.

Marinus Arelatensis, in Gallijs, Episcopi, vt in quâdam Cæciliani Episcopi Carthaginensis, contra Donatistas hæreticos, causſâ Iudices crearentur, Constantinus Imp. ab Melchiade Pont. Max. impetrat. Magnus honor Cæsaris in Pontifices Gallicanos.

CHRISTI AN. 316.

ANNO 316. Diocletianus, qui ab Imperio ad hortos se contulerat, annos 68. natus, miserrimo mortis genere exspirat. SILVESTRI PAPÆ AN. 3.

CHRISTI AN. 320. *Lustrato Oriente in Galliã reuertitur.*

ANNO 320. Constantinus, lustrato Oriente, Gallias repetens, *quùm introiſſet** *Principia* (verba sunt Iustinianei Codicis) *& salutatus eſſet à Præfectis & Tribunis, & à viris eminentiſſimis acclamatum eſſet*; AVGVSTE CONSTANTINE, * DEVS TE NOBIS SERVET: VESTRA SALVS, NOSTRA SALVS; VERÈ DICIMVS; IVRATI DICIMVS: *Adunati Veterani exclamauerunt: Constantine Auguste, quid nos Veteranos facis, si nullam indulgentiam habemus?* &c. & paulò pòst Constantinus: *Perſpicuum ſit ne quis eorum, in vllo munere ciuili, nec in operibus publicis conueniatur: nec vllâ collatione, nec à Magiſtratibus, nec vectigalibus, in quibuſcumque nundinis interfuerint, vllam ob venditionem proponendam dare debebunt. Publicani quoque (vt adſolent agentibus ſupplere) ab eiſdem Veteranis amoueantur: quiete poſt labores ſuos perenniter perfruantur. Fiſco quoque noſtro eâdem Epiſtolâ interdicimus, vt nullum omninò ex his inquietet: ſed liceat eis emere & vendere, optimis negotijs pecuniam tractare, & mercimonia agitare: nec ſolùm integra beneficia eorum ſub ſæculi noſtri otio, & pace perfruantur, ſed etiam nullo munere ciuili, id eſt, corporali, ſeu perſonali vel deportatorio onere, eos affici concedimus.* Hactenus ibi: Cæterùm in Theodosiano * Codice, ad finem dicti Diplomatis, id etiam legitur: *Dat. Kal. Martij, in ciuitate Velouocorum, Conſtantino Aug. VI. &* * *Conſtantino Cæſ. Conſſ.* Quæ latiùs produximus quò liquidò constet Constantinum, cum Cæsaribus filijs in Gallijs, vt sæpè diximus, egisse. Hinc Nazarius in Constantini Panegyrico precatur; vt cum illis se Romam conferat; hæc enim habet ad Calcem: *Vnum modò eſt, quo fieri poſſit Roma felicior, maximum quidem, ſed tamen ſolum; vt Conſtantinum Conſeruatorem ſuum, vt Beatiſſimos Cæſares videat; vt fruendi copiam, pro deſiderij modò capiat, & vos alacris excipiat: & cùm Reipublicæ ratio digredi fecerit, receptura dimittat.* Sic ille.

SILVESTRI PAPÆ AN. 7.

Priuilegium Veteranorũ Galliæ.

Constantini ſedes in Gallijs probata.

Æmulantur Romani, Cæſaris in Galliã præſẽtiã.

* Intentoria. Lib. 12. tit. 47. c. *Cùm introiſſet.*

* Theodosianus Codex habet *Dij te nobis ſeruent.*

* Alaricus Gothorum Rex, illũ Codicẽ valdè imminuit; adeò vt vix decima eius pars superſit.

* Constantio.

Per hæc tempora, *S. Siluester, Ecclesiæ Romanæ Episcopus, nolens imitari Iudæos* (verba affero Guilielmi Durandi) *qui dicunt primâ Sabbathi, secundâ Sabbathi*, &c. *nec Gentiles, qui dicunt, dies Solis, dies Lunæ*, &c. *adinuenit hoc nomen* FERIA. *In fine tamen Septimanæ seruauit Sabbathum, propter auctoritatem Hebraici sermonis, vel propter figuram, quia Sabbathum interpretatur requies; & sequentem diem Dominicam, propter sui primatum, quanquam Prima Feria posset appellari; hinc secunda feria, tertia feria*, &c. Hæc ille; quanquam non eodem ordine: consule eius Rationale Diuinorum officiorum, lib. 7. cap. 1. — *Dies per Ferias distinguendi Origo.*

CHRISTI AN. 324. ANNO 324. Constantinus, sacris vndis, ritu Christiano Romæ, ab Siluestro Papâ expiatus, Bizantium migrat; vbi quid, quid alibi præstiterit, abundè Baronius Tomo tertio Annalium Ecclesiasticorum describit. — *SILVES. PAPÆ AN. 11. Constantinus baptizatur.*

CHRIST. AN. 325. ANNO 325. In Nicænâ Synodo, ad diem Paschalem, singulis annis, minore negotio reperiendum, AVREVS NVMERVS, dies nouem & decem complectens, ordinatur; quem annorum circulum Patres, Enneadecaterida nuncuparunt: atque ita deinceps vniformis eius Festi Obseruatio per vniuersum Orbem obtinuit. — *SILVES. PAPÆ AN. 12. Aureus Numerus instituitur.*

Supplicium Crucis à Romanis olim decretum maleficis, Constantinus cessare iubet. *Sozom. l. 1. c. 8.* Proscripsit & supplicium inscriptionis facierum. *Vide l. 2. de Pœnis Cod. Theodosiani.* — *Supplicium Crucis inhibetur.*

CHRISTI AN. 336. ANNO 336. Constantinus filijs Imperium partitur. Auitam sortem Constantino grandiori natu; Constantio Orientis partem; Intermedias tertio filio Constanti attribuit. — *MARCI PAPÆ AN. 1. Constantinus Imperiū partitur.*

Hac tempestate S. Marcus Pont. Max. instituit vt Episcopus Ostiensis, à quo Romanus Pontifex consecratur, Pallio vteretur; & vt diebus solemnibus, Nicænum Symbolum in Missâ, clarâ voce caneretur. *Breuiarium Romanum ex Damaso.* Primus Pontificum Rom. qui ab Ostiensi Episcopo fuit consecratus, fertur S. Dionysius Græcus. *Genebrardus.* — *Symbolū in Missā solemni cantādū. Rom. Pōtificis ab Ostiensi Episcopo consecratio.*



CONSTANS IMP.

CHRISTI AN. 337.  NNO 337. Constantinus Imp. annos sexaginta quinque natus, Imperij 31. in * Suburbanâ villâ Nicomediæ, quò morbi initio, ad calida balnea concesserat, feliciter in Domino obdormit. Eius corpus Constantinopolim, recens à se constructam, delatum est, atque in vestibulo Basilicæ SS. Apostolorum, quam etiam condiderat, collocatum. IVLII PAPÆ AN. I.

*Quid sit *Suburbanum*, vide egregiam disquisitionem in Baronij Annalibus, ad annum 325.

Constantinus, Constantius & Constans, partitum anno superiore patris Imperium adipiscuntur.

CHRISTI AN. 340. ANNO 340. Constantinus Iunior Imp. inuadere ausus fraternæ ditionis Imperium, apud Aquileiam ad Alsam fluuium occiditur. IVLII PAPÆ AN. 4.

CHRISTI AN. 342. ANNO 342. Constans Imp. gentem deuincit Francorum, eosque fœderatos ac socios Romanis facit. *Socrates lib. 2. cap. 10.* IVLII PAPÆ AN. 6.

CHRISTI AN. 350. ANNO 350. Constans Imp. ætatis 27. Imperij 13. perfecto, mense Martio, Augustoduni in Galliâ, interficitur à Magnentio Legato suo; qui primus Christianórum regnandi libidine, prodito Domino, in Gallijs Imperium arripuit, atque Decentium Germanum suum Cæsarem creauit. Elogium sepulcrale Constanti, optimo Imperatori nostro, Sanctus Athanasius tale inscripsit, & ad Constantium Imp. fratrem transmisit; IVLII PAPÆ AN. 14.

Constans Imp. in Gallijs degens interficitur.

Galliæ Regnum tyrannicè inuaditur.

Constantis Imp. Epitaphium, S. Athanasio. Autore.

*Magnam scilicet & multam * illi gratiam debebam *, quod piæ memoriæ tuum fratrem cuius donarijs Ecclesiæ plenæ sunt, ipse Magnentius eius Legatus, occiderit, nihil eam necessitudinem, cùm ante oculos versaretur, reueritus; nihilque gratiam beato tuo fratri, in Baptismate donatam respiciens, velut Dæmon & Furia Infernalis in eum insiluit; atque itá sanctissimus ille vir martyrium assecutus est.*

* Magnentio.
* Ironia.

Seruatius Tungrorum & Maximus Treuirorum Episcopi, à Magnentio in Græciam ad Constantium mittuntur Legati.


SS. Seruatius & Maximus.



CON-

CONSTANTIVS IMP.

CHRISTI AN. 351.



NNO 351. Constantius, anno Imperij 15. Liberorum exspes, & Imperio, ob instantia à Persis & Tyrannis bella, nutante, Gallum ex Constantio, Constantini Magni fratre, & Gallâ Matre genitum, vicesimum quintum ætatis annum agentem, Cæsarem creat, collocatâ ei in Matrimonium Constantinâ Sorore, vt profecturus ipse in Occidentem, aduersus tyrannos relinqueret, qui Orientis administret Imperium. IVLII PAPÆ AN. 15.

CHRISTI AN. 353. ANNO 353. Constantius Imp. Magnentium in Pannoniâ apud Mursum adortus, exposcente vindictam Numine, de innoxio Constantis sanguine, nobili victoriâ profligat & interficit, atque Decentium Cæsarem ad laqueum adigit. IVLII PAPÆ AN. 16. *Vindicta de Magnentio, ob Constantis cædem.*


Indè in Gallias profectus Constantius, Hyemem agit Arelate; atque 6. Id. Oct. Natalem diem suum celebrat, anno ætatis tricesimo completo. *Constantius Imp. Arelate in Gallijs agit.*

CHRISTI AN. 354. ANNO 354. Alemani & Barbari, Gundomado & Vadomario (qui Fratres, & Alemanorum Reges erant) ducibus, in Gallias irrumpunt. LIBERII PAPÆ AN. 3. *Galliæ ab Alemanis turbantur.*

CHRISTI AN. 355. ANNO 355. Constantius in Concilio Mediolanensi occupatus, Iulianum Galli Imp. in Oriente, fratrem, creat Cæsarem, sorore Helenâ Virgine in coniugem ei traditâ: Inde dimittit in Gallias, Barbarorum irruptione fluctuantes: quo quidem tempore Iulianus vulpinam callens, Catholicum se optimè simulabat, quo Christianorum gratiam promereretur. LIBERII PAPÆ AN. 4. *[...]cedantur.*

IVLIANVS IMP.

CHRISTI AN. 361.



NNO 361. Constantius, dirissimâ iam antè in Christianos, qui Arianæ factioni adhærere recusabant, persecutione concitatâ, tertio Nonas Oct. è vitâ excedit. LIBERII PAPÆ AN. 10.

Iulianus, viginti annos Christianam fidem professus, ac decem ob Constantij metum simulatus, hoc anno adeptus Imperium, metuque solutus, Christianam fidem solemniter abnegat.

AN-

CHRISTI AN. 362.

LIBERII PAPÆ AN. 11.

ANNO 362. Victricius miles, Christi amore militiam detrectans, atque abijciens cingulum, abs Tribuno multis affectus tormentis, & capitis damnatus, carnifice, qui ad eum cædendum missus fuerat, cæcitate percusso, ipse vinculis solutis, liber euasit; & post Rhotomagensis Episcopus creatus, Morinorum & Neruiorum gentes indomitas, verbi prædicatione ad Christi fidem perduxit. Et demùm Confessor, in Domino obdormiuit. De illo sic Paulinus Episcopus Nolanus: *Per Sanctum Victricium, sanctificatum est nomen Christi, in remotissimo Neruici litoris tractu; quem tenui anteà spiritu fides veritatis afflauerat, & in terrâ Morinorum, situ Orbis extremâ, quam fluctibus fremens tundit Oceanus. Sedebant Gentium populi viâ maris arenosâ, in regionibus vmbræ mortis: deserta Siluarum & litorum barbari & incolæ latrones frequentabant. Verùm prædicatione beatissimi Victricij, à Domino lucem magnam acceperunt; ipsæque vrbes, opida, insulæ Ecclesiis & Monasterijs venerabiliter celebrabantur.* Hæc ille: Vide Baronium, Molanum, &c.

S. Victricius.

Morini ad Christi fidem reuocantur.

Gallicanarum Prouinciarum tùm Præfectus erat Sallustius, easque grauiter exagitabat; cuius Vices-gerens Dioscorus vocabatur, aduersus quem beatum Hilarium Pictauiensem Episcopum, Commentarium scripsisse, Hieronymus est testis.

Galliarum Præfectus.

CHRISTI AN. 363.

LIBERII PAPÆ AN. 12.

ANNO 363. Iulianus Imp. in prælio contra Persas, telo diuinitùs vibrato costas transadigitur; simulque fluentem excipiens manu cruorem, in aërem proijcit, exclamans; VICISTI GALILÆE: indè in castra relatus, nocte mediâ miseram euomit animam.

In cæteris, de illo id fertur, quod subditos allocuturus tali soleret vti exordio: *Audite me, quem Alemanni audierunt, & Franci.* Quod nec siluit Dæmon aliquandò consultus; eius verba sunt:

Quin & Occidentalium virorum Alemanico solo
Prælijs crebris capto, vastauit arua.

Sic apud Suidam de Iuliano.

IOVIANVS IMP.

IOVIANVS diuino planè consilio ab exercitus Ducibus, Imperator 5. Kal. Iulias eligitur, clarus equidem Catholicæ fidei confessione, eiusque restituendæ ac

promo-

promouendæ studio: verùm menses non amplius septem & dies viginti eâ ornatus dignitate, communem mortis viam ingressus est.

VALENTINIANVS IMP.

CHRISTI AN. 364. LIBERII PAPÆ AN. 13.



NNO 364. Iouiani defuncti in Solium Valentinianus atque Valens proueħuntur; qui Imperium partiti, Valens Orientem, Valentinianus Occidentem administrandum susceperunt.

Valentinianus & Valens in Gallijs agunt. Cæterùm Valentinianum & Valentẽ Ambiani in Gallijs egisse, ex occasione ad annum 304. notauimus; quod verò etiam in nobilissimo Remorum oppido hæserint, nullo negotio probare possumus. Siquidem in Theodosiano Codice, plurimæ Constitutiones eorum habentur Remis conscriptæ; vt lib. 13. tit. 6. de Prædijs Nauiculariorum, *Ambiani.* Anno 367. ad Dracontium Vic. Afric. cap. 4. *Dat.* IV. *Kal. Ma. Remis, Lupicino & Iouino Coss.* Item eod. lib. tit. 10. de Censu *Remis.* siue Adscriptione, ad Florentium P P. Galliarum cap. 3. *Dat.* III: *Non. Iun. Remis, Lupicino & Iouino Coss.* Item lib. 14. tit. 4. de Suarijs, ad Prætextatum, cap. 4. *Dat.* VIII. *Id. Octobr. Remis, Lupicino & Iouino Coss.* &c.

Remensis oppidi antiquitas & Fundator. Remensem porrò Ciuitatem, vt antiquissimam, Richardus Vitus libr. 1. Historiæ Britannicæ scribit ab Remo, Nannetis Celtarum & Britanniæ Regis filio, anno ab Orbe condito, 2754. tempore Ragau, Phalegis filij, ædificatam & nomen sortitam fuisse. Vide infrà ad an. 1095.

Primus Remensium Episcopus. Eius autem primus fuit Episcopus S. Sixtus (al. Xistus) à S. Petro circa annum Christi 46. illùc & ad Suessionenses missus; *De quo Demochares in tab. Vsuardus, Martyrol. Rom. Baronius*, &c. His verò temporibus florebat S. Donatianus, *S. Donatianus.* septimus eiusdem Sedis Episcopus, Brugensium in Flandris hodiè Patronus, qui Agrippinensi Concilio, an. 346. celebrato interfuit. Eius Corpus Brugis honorificè quiescit, ex Balduini Ferrei, primi Flandriæ Comitis largitione, quod ipse, pace cum Carolo Caluo Francorum Rege, socero suo, factâ, ab Ebone Remorum Episcopo, donum acceperat: *De quo vide Molani Natales 14. Oct.*

Atque hæc de Remensibus prolixiùs, quod ab ipsis

Remensis Ecclesia Diœcesis Atrebatensis mater.

Sanctissimum Vedastum, Apostolum nostrum, acceperimus, quodque Atrebatensis Ecclesia, vnâ cum Cameracensi, Tornacensi & Morinensi; multis temporibus Remensium Archipræsuli fuerit subiecta.

CHRISTI AN. 367. — LIBERII PAPÆ AN. 16.

ANNO 367. Valentinianus postquam crebris pulsatus febribus, vix ex insperato conualuisset, Gratianum iam adultum, vel adulto proximum Ambiani Picardiæ opido Metropolitano, Cæsarem & Augustum denuntiat.

CHRISTI AN. 371. — DAMASI PAPÆ AN. 5.

Manna Atrebatium.

ANNO 371. secundum B. Hieronymum in Supplemento Chronici Eusebiani (Molanus an.403. scribit) Atrebatense solum, cœlo aquas negante, miserandæ sterilitatis fastidio consenescens, miro prorsùs modo fœcundatur, Lanâ (MANNA vulgò vocamus) cœlitùs cadente, pingui rore permixtâ, ac per totum territorium diffusâ: ad cuius beneficij à Deo Opt. Max. eiusque Virgine Matre, Diuâ tutelari nostrâ, accepti, memoriam, Lanæ istius pars sacris Reliquijs adiuncta, hactenùs magnâ curâ & honore seruata est. Audiamus quid Ioannes Molanus* de rebus hisce censuerit: *Cùm ditio ea foret planè arida, & veluti maledicta; anno quadringentesimo tertio, summam accepit fertilitatem, quam hactenus conseruat. Quia autem Deo hanc fertilitatem donante,* APVD ATREBATAS, *vt scribit Paulus Orosius,* VERA LANA DE NVBIBVS PLVVIÆ MIXTA DEFLVEBAT; *hinc in tanti beneficij memoriam, Lana illa (quæ vulgò Manna dicitur) cum sacris Reliquijs conseruatur, & annua fit gratiarum actio, de adeptâ agrorum fertilitate. Commonstratur etiam statuto tempore, nempè in maximâ aëris terræque siccitate, ac sideratione, ad eliciendam implorandamque è Superis pluuiam. Contulit autem Calistus Pontifex indulgentias per* Festi Octauas, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto.* Hactenus Molanus; qui Auctor, quià mihi sæpè toto hoc opere nominandus est, quantam apud omnes fidem mereatur, Illustrissimus Dominus, Cæsar Baronius, Cardinalis, eiusmodi Elogio protestabitur: *Equidem tanti viri, de Ecclesiâ Dei, & veritate Catholicâ optimè meriti, nec breuem scedulam deperire, æquanimiter patiar: cui (dicam ingenuè) istæc omnia hâc ex parte accepta fero; quod in densissimam siluam primus ipse ingressus, mihi alijsque aditum patefecit: quo etiam nomine, quùm ego, tum eruditi omnes plurimum nos ei debere lubenter agnoscimus & confitemur.* &c. hactenùs ille in Tractatu de Martyrologio Rom. ca. 9.

* In natal. Sanctorum 5. Febr. An. 1497 magna eiusmodi Lanæ copia, etiã apud Tornacum nubibus decidit. *Philippus Meyerus lib. 2. Annal. Mss. Flandriæ & Artesiæ.*

* Celebratur Dominicâ secundâ post Pascha; & dicitur Festum Reliquiarum Atrebatensium. Vide infrà ad annũ 1286.

Ioannis Molani S. T. D. Elogiũ.

CHRISTI AN. 375 ANNO 375. Valentinianus Imp. in procinctu contra *Quados, eorum supplicem audiens legationem, lethali subitò morbo correptus, vomitu sanguinis extinguitur, anno ætatis 55. DAMAS. PAPÆ AN. 9.

*Erant olim Bohemorũ populi.

GRATIANVS IMP.

GRATIANVS, Augustus ante annos septem nuncupatus, solus imperare incipit cum Valente.

Valentinianus Valentiniani Imp. filius quadrimus, sextâ die post parentis obitum, operâ Cerealis auunculi, Augustus solemni more appellatur, quod Gratianus approbauit.

CHRISTI AN. 378. ANNO 378. Alemani, icto nuper fœdere, perfidè fracto, Rheno transito, gelu constricto, populabundi Gallias inuadunt; contra quos mouens Gratianus, apud Argentariam commisso prælio, quadraginta, alij septuaginta millia cædit; quinque millia in deditionem accepta, dimittit. DAMAS. PAPÆ AN. 12.

Triginta millia scribit Platina in vitâ Anastasij Papæ.

Gratianus de Alemanis Gallias iterũ inuadentibus insigni victoriâ triũphat.

Valens Imp. miserè moritur, anno ætatis 50.

CHRISTI AN. 379. ANNO 379. *Gratianus Theodosium Regni participem facit, cùm paruulum haberet & fratrem, auidior fidæ societatis, quàm nimiæ potestatis.* S. August. l. 5. c. 25. de Ciuit. Dei. Eius verò Imperio Orientem attribuit.

Gratianus ex Alemanis iterum Gallos infestantibus ingentem victoriam refert, parte eorum in deditionem accepta. DAMAS. PAPÆ AN. 13.

Iterum idem de ijsdem.

CHRISTI AN. 383 ANNO 383. Gratianus ab exercitu suo proditus, & ab obuijs vrbibus non receptus, iuxta Lugdunum, Rhodanum fluu. traijciens, ab Androgathio interficitur. DAMAS. PAPÆ AN. 17.

Per hæc tempora S. Damasus Pont. Max. pœnam talionis constituit ijs, qui alterum falsi criminis accusassent. Instituit vt in Ecclesiâ Psalmi ab alternis canerentur, & in fine cuiusque Psalmi diceretur, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; & vt Confessio esset Missæ exordium. Eius etiam iussu B. Hieronymus, Diuinæ scripturæ libros in Latinum conuertit. *Ex Breuiario Romano 11. Dec. simili ferè stylo.*

Talionis pœna.

Alia ab Damaso Papâ ordinata.

THEODOSIVS IMP.

Christi An. 388. — Siricii Papæ An. 4.

Gallia pacatur.

ANNO 388. Theodosius Imp. Maximo, qui Imperium affectabat, insigni pugnâ superato, & captiuo, Occidentale restituit Imperium, atque Orientale pacatius reddit.

Christi An. 389. — Siricii Papæ An. 5.

ANNO 389. Sancta Monica D. Augustini religiosissima mater, anno ætatis suæ 56. Augustini 35. in portu Romano, dum expectat oportunam nauigationem in Africam, ad beatã vitam euocatur. Vide infrà ad an. 1162.

Christi An. 390. — Siricii Papæ An. 6.

Ædes Atrebati B. Virgini sacra

ANNO circiter 390. B. Diogenes homo Græcus ab Siricio Pont. Max. in Gallias mittitur; quem S. Nicasius Remorum Archiepiscopus, Pontificiâ dignitate ornatum, ad Atrebates delegauit, fidei restitutorem futurum; apud quos demandatam sibi Spartam gnauiter adornans, Ecclesiam construi curauit, eamque Deiparæ Virgini nuncupauit. De illo sic in tabulas Cathedralis Ecclesiæ relatum: *Quidam Diogenes natione Græcus, tempore Vandalicæ Persecutionis, quæ crudeliter grassata est in Regno, & in Ecclesiis eiusdem Regni Francorum, à Romano Pontifice in Galliam, gratiâ prædicationis est directus, & à quodam temporis illius Remorum Archiepiscopo, Episcopus consecratus. Hic primùm prædicauit Atrebati.* Sic ibì. Atquì Diogeni hoc tempus dedimus, ijs ad inuicem collatis, quæ habent dictæ tabulæ, Demochares, Platina, Molanus, Baronius, Gul. Gazæi Catalogus, alijque. Vide infrà ad an. 407.

Christi An. 392. — Siricii Papæ An. 8.

ANNO 392. Valentinianus Iunior Imp. adhuc Catechumenus, S. Ambrosium summoperè rogans, tùm vt ab eo baptizaretur, tùm vt Comitem Arbogastem, Francum, summæ potentiæ virum, sibi placaret, apud Lugdunum, ipsius Arbogastis insidijs necatur; anno ætatis 21. Imperij 16. & menses sex, quùm quadrimus imperare cœpisset. *Baronius.*

ARCADIVS ET HONORIVS IMPP.

Christi An. 395. — Siricii Papæ An. 11.



NNO 395. Theodosius omnium optimus Imperator, ingenti Christiani Orbis iacturâ & luctu, moritur; Arcadio & Honorio filijs, qui Patri in Imperium successerunt, relictis. *Baron.*

Floret Aniciorum Familia. *Vide Baronij Annales.*

CHRISTI AN. 407.

INNOCENTII PAPAE AN. 6.

ANNO 407. Galliæ, Barbarorum irruptione & vastatione, summo funere exscinduntur: quam calamitatem beatus Hieronymus in Epistolis hoc stylo depingit; *Præsentium miseriarum pauca percurram. Quod rari huc vsque residemus, non nostri meriti, sed Dei misericordia est. Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, VVandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & (ô lugenda Respublica!) Hostes Pannonij vastarunt. Etenim Assur venit cum illis: Maguntiacum, nobilis quondam ciuitas, capta atque subuersa est, & in Ecclesiâ, multa hominum millia trucidata. Vangiones longâ obsidione deleti. Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemete, Argentoratus, translati in Germaniam. Aquitaniæ, nouemque populorum Lugdunensis & Narbonensis Prouinciæ, præter paucas vrbes, populata sunt cuncta, quas & ipsas foris gladius, & intus vastat fames.* Hæc ille.

Epist. 15. ad Ageruchiam.

VVandalorum in Gallias irruptio.

Atrebatum aliaque opida à VVandalis vastantur.

Quo æstuante Barbarorum furore, Sanctus Nicasius Remorum Episcopus, peractis Missarum solemnitatibus, à VVandalis intra Ecclesiam Remensem, pro fide Catholicâ est decolatus. Molanus in Natt. 14. Decemb. & Baronius tom. 5. Annal. qui multis, hinc inde disputatis, hoc anno 407. eum occubuisse concludit. Quanquam ipse Molanus, & Sigebertus repugnent; quorum hic an. 451. ille an. 453. Martyrio coronatum scribunt. Eos consule, & iudicium tuum interpone, ô Lector.

Sanctus Nicasius à VVandalis Martyrio coronatur,

Eandem tempestatem B. Diogenes, Atrebatium Pontifex sibi mitiorem haud quaquam expertus est, qui suo in templo, velut è speculâ sublimi, Barbarorum immanitatem vt arbitratur, atque Ecclesiæ & Patriæ calamitatem lachrymis precibusque prosequitur, ab ijsdem VVandalis, qui nihil inausum sinebant, correptus, gloriosum capitis obtruncatione Martyrium consecutus est. *Vide Molanum in B. Nicasio, 14. Decemb.*

Etiam. S. Diogenes Atrebatensis Episcopus.

Tot ac tantis cladibus depressâ, si non oppressâ Patriâ, profundâque rerum caligine circumfusâ; quùm hisce flagellis, qui superstites erant, resipiscere, & ad meliorem vitæ frugem sese recipere debuissent; contrà, ad Idololatriæ aut hæreseos cœnum recurrere; in flagitiorum baratrum, fato quodam voluntario præcipites ruere; ad

Atrebates alijque ad vomitũ reuertuntur.

suas quemque voluptates ferarum more trahi, tantâ cum dementiâ, vt nulla penitùs Catholicæ Religionis memoria, nullumque Fidei Christianæ vestigium superesse viderentur.

Caussa Persecutionis. Atque hæ malorum Iliades, Stiliconis proditione, velut Lernâ palude, exortæ sunt, quâ per Barbaros in Imperium, sub Galliarum funere, immissos, Eucherio filio, ad summa moderamina, obseratam hactenùs ianuam aperiret.

THEODOSIVS IVNIOR IMP.

Christi An. 408 ANNO 408. Arcadius Imp. anno ætatis 31. Kal. Maij, è viuis tollitur, Imperio ad Theodosium Iuniorem, filium adhuc paruulum, transmisso. *Innoc. Papæ An. 7.*

Stilico, detectâ fraude & proditione, ab Heracliano obtruncatur. Hinc Heracliano, Africæ Prouinciæ Præfectura in præmium decreta. Eucherius autem Stiliconis filius, mandato Honorij, sequente anno, est interfectus.

Christi An. 412. Gallia à Gothis miserè torquentur. ANNO 412. Gothi abs Italiâ penitus recedentes, Athaulpho Rege Duce, Gallias, sub grauissimorum scelerum pondere, ingemiscentes, impetunt; atque atrociter quaqua-versùm, extremæ velut pestes, grassantur. *Baronium prolixè de his agentem consule.* *Innoc. Papæ An. 11.*

Christi An. 414. Sedatur Gothis à Romano exercitu fugatis. ANNO 414. Romanus exercitus, Constantio Coss. Duce, Gothos in Gallijs sedem tyrannidi dare cogitantes, toto Regno excedere cogit; eosque, Hispaniam vsque prosequens, exterminat, intercluso omni commeatu, atque vsu commerciorum. *Innoc. Papæ An. 13.*

FRAN-



FRANCORVM REGVM
INITIA ET PROGRESSVS.

FARAMVNDVS REX.

Christi An. 419

Bonifacii Papæ An. 1.

Primus Francorũ Rex.



NNO 419. *Sunnone & Marcomiro Francorum Ducibus defunctis, Franci in commune deliberant, vt & ipsi, sicut aliæ gentes, vnum Regem habeant, & filium Marcomiri Ducis Faramundum sibi Regem ordinant, qui regnauit annis* XI. Sigebertus in Chronico iisdem verbis.

De istâ Regis electione, & futuris Francorum contra Gallos victorijs, quidam Hildegastus vates fertur circa an. 252. prædixisse:

Numine ab Occiduo veniet victoria Francis,
Olim quod coluit Gens pia Dardanidum.
Quicquid habet Gallus, quicquid Germania tota,
Sub tua per Fatum sceptra, Sicambre ruet.
Hunc tibi cùm dederint Fatalia tempora Regem,
Primores statuent quem sine Rege Duces.
Quo victore suum Francus per secula mille,
Et genus & Proauum protrahet absque morâ.
Iupiter ecce dabit Romana palatia Franco,
Et repens Aquilam supprimet ipse Leo.

Ex vet. l. Ms. Biblioth. Illustr.mi Herois, D. Maximil. de Bailloeul.

Christi An. 422.

Bonif. Papæ An. 4.

Lex Salica scribitur.

Quâ linguâ.

Vnde sic dicta.

ANNO 422. LEX SALICA à Quadrum-viris Fracis, stylo Germanico conscribitur quã; deindè Clodouæus, Childebertus, & Clotarius politiore limâ ornantes, in Latinam coloniam transtulerunt. Latina in manibus est; perijt Teutonica. Dicta est autem SALICA, à Salijs, Germaniæ populis, & hi à Salâ, eiusdem Regionis fluuio. *Tilletius*. Gratũ grato Lectori futurum benè spero, si quæ Legis eius recognitor præfatus est, adiecerim: *Dictauerunt*, inquit, *Salicam Le-*

gem

gem Proceres ipsius Gentis [Francorum] *qui tunc temporis apud eandem erant Rectores. Sunt autem electi de pluribus viri quatuor, his nominibus: VVisogast, Bodogast, Salogast, & VVindogast; in locis quibus Salogheue, Bodogheue, VVindogheue. Qui per tres mallos conuenientes; omnes caussarum origines, sollicitè discurrendo tractantes, de singulis decreuerunt iudicium hoc modo. At vbi, Deo fauente, Clodoueus Comatus & Pulcher & Inclytus, Rex Francorum primus, recepit Catholicum Baptismum, quicquid minus in pacto habebatur idoneum, per praecelsos Reges Clodouaeum, Childebertum & Clotarium fuit lucidiùs emendatum & procuratum decretum hoc.* &c. Hæc ibì.

Qui scripserint. Quo loco. Corrigitur. A quibus.

CHRISTI AN. 423. ANNO 423. Honorius Imp. ætatis an. 39. & mense vno expleto, Imperij à morte Patris 28. Romæ moritur, atque sub Mausolæo, iuxta S. Petri Corpus, reconditur. BONIF. PAPÆ AN. 5.

CHRISTI AN. 425. ANNO 425. Valentinianus Honorij F. à Theodosio Imp. Augustus salutatur. COELESTINI PAPÆ AN. 2.

CLODIO REX.

CHRISTI AN. 428. ANNO 428. * Clodio, à Faramundi Patris Fato, Rex Francorum, totum illum Galliarum tractum, quem Rhenus ad Ortum alluit, sibi in sedem vendicans, ab Aëtio Patricio, fortissimo Hunnorum Duce, inopinatò exceptus, atque in fugam conuersus, abdicare cogitur. Hìnc nos: COELES. PAPÆ AN. 5. * al. 431.

Clodionis Regis in Belgicam aduetus, & indè fuga.

Quando silet Mauors; Veneris quùm castra frequentant
Francigenæ, leuibus, cytharæ sub murmure, plantis
Ducentes choreas, sponsâ feriente iugale
Fœdus, & explosi zonam soluente pudoris,
Heroas inter fuerat quæ gratior omnes:
Ingruit armatas cogens in terga cohortes
Aëtius, atque nouos procul hinc iubet ire colonos;* * al. Aëtius.
Solaque demulsit victorem sponsa, suorum
Tristius irato spirantem pectore funus.

CHRISTI AN. 445. *Iterùm in Belgicam Clodio irrũpit.* ANNO 445. (secundum Sigebertum: Meyero 448.) Clodio instauratis auctisque copijs, Rheno & Mosâ transmissis, Tungris ac Taxandris subactis, ad-vsque Scaldim peruenit, cæsisque Romanis, Cameracum atque Tornacum sibi parere cogit. Indè ducto in Morinos exercitu, Golduerum, Ruthenorum Cymbrorumque Ducem, Mo- LEONIS PAPÆ AN. 6.

Cameracũ, Tornacum atque Teruánam subigit.

rinis suppetias occurrentem, vnà cum filiâ, capit; Teruannam Morinorum vrbem diripit; Golduerì filiam [a] Flandberto, ex Blesinde Sorore, Nepoti collocat; eumque, pulso Romanorum præsidio, Belgici littoris Præfectum facit. De his sic Sigebertus: *Clodius Rex Francorum, missis exploratoribus de Dispargo* [b] *Castello, vsque ad vrbem Cameracum, transiit Rhenum, & partito multo Romanorum populo, citra Rhenum vsque Ligerim fl. habitantium, Carboniam* [c] *Siluam ingressus, vrbem Tornacum obtinuit, & indè vsque ad vrbem Cameracum properauit. Vbi pauco tempore residens, Romanos, si quos ibi inuenit, peremit; & exindè ad Sommam* [d] *fl. perueniens, omnia occupauit.* Hæc ille. Et Sidonius Apollinaris in Panegyrico, ad Auitum Augustum;

Francus Germanum primùm, Belgamque secundùm
Sternebat; Rhenumque ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis, & vtroque superbus in agro,
Vel Ciuis, vel Victor eras:

[a] Ab eo Flandria fertur nomen accepisse, vel à Flâdrinâ Liderici Harlebecani coniuge.
[b] Est hodie Cliniæ opidum vulgò *Duysborg.*
[c] al. Carbonariā.
[d] al. Somonam.

CHRISTI AN. 448.

ANNO 448. Francis in Belgicâ sensim inualescentibus, adeóque ipsi Celticæ minitantibus; Galli, nihil, quod sustinendo hosti necesse videbatur, remittentes, habitis in opido Remensi Comitijs, Valerium Cauarinum, Parisiorum Senonumque Regulum, exercitui præficiunt. Dies pugnæ, mense Iunio, adest, conferuntur Signa, pugnatur acerrimè, sed fortunâ ancipiti; donec classicis receptui canentibus, hinc indè in castra concessum est, & pòst paulò de pace cogitatum.

Cauarino filia erat, nomine Poliena, ætate nubilis, cuius cum Clodione pactæ nuptiæ, vetera illa odia penitùs diremerunt, tantâ cum amicitiæ significatione, vt sub communi Gallorum voce, commune etiam solum cœlumque participarent. *Stephanus Forcatulus lib. 5. de Gallorum Imperio & Philosophia.*

Communem lætitiam auxerunt ducenti Franci Equites, qui die, quâ Clodionis & Polienæ thalamus adornabatur, totidem puellas spendidas, mirificâ hilaritate (an Sabinarum cum Romanis ritu?) sibi etiam Matrimonij copulâ deuinxerunt. *Id.*

Sic diuulsæ veteres Gallorum Francorumque consuetudines, coniugali fœdere fuerunt resarcitæ. Quis enim inficias iuerit Francos à Gallis iam olim traxisse originem?

Flandbertus Belgicæ Præfectus.

LEON. PAPÆ AN. 9.

Gallorũ & Francorum pugna.

Eorumdē ex nuptijs communibus fœdus.

CHRISTI AN. 449. — LEON. PAPÆ AN. 10.

ANNO 449. Clodio Rex moritur, atque Cameraci sepelitur, postquam annos vnum & viginti Francis imperasset. *Petitaus.*

Prolixa cæsaries quibus permissa.

Is inter cætera lege cauit, vt solis Regibus eorumque Liberis & Agnatis, cæsariem nutrire liceret, eâque eleganter comptâ & in humeros defluente, in publicum prodire: quæ consuetudo Gallorum Primoribus iam olim etiam familiaris erat, vt tetigit in quodam Panegyrico Claudianus:

——————tum flaua repexo
Gallia crine ferox, euinctaque torque decoro.

Vide infrà ad an. 1097.

contra ac Sicambri atque Æthiopes, qui in vertice religatam aut horrentem comam ferre consueuerant, vt notauit Martialis;

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,*
Atque aliter tortis crinibus AEthiopes.

**Hodie Geldri vocantur.*

MEROVÆVS REX.

DEFVNCTO Clodione, Merouæum Franci salutant Regem, quem alij Clodionis Filium, alij Generum, alij non nisi Equitum apud Francos Magistrum fuisse memorant, relictisque Alberico, Reginaldo ac Rantario, paruulis Clodionis Filijs, ob singularem bellicæ rei scientiam, Regem assumptum. *Iacobus Meyerus, in Annalibus Flandriæ. Forcatulus, Bernardus Girardi.*

Castrum atque fons Mõtium Hannoniæ.

Is Albericus (Alberonem quidam vocant) Clodionis secundò-genitus, fertur Castri-locum Montibus Hannoniæ exædificasse, ibidemque fontem illum, qui hodiéque supremo in foro aquas suas fœcundissimè eructat, magno Ciuium commodo, excitasse. *Richardus VVasseburgius lib. 2. Antiquitatum Belgicæ.*

S. Remigius nascitur.

B. Remigius Remorum Archiepiscopus futurus, matre Ciliniâ, nascitur. *Baronius in Notis ad Martyrol. Rom. 1. Octob. Meyerus in Annal. ad ann. 449. & 930.*

CHRISTI AN. 450. — LEON. PAPÆ AN. 11.

ANNO 450. Theodosius Imp. à peregrinatione Ephesum susceptâ (vbi de successore diuinitùs admonitus est) quùm redijsset, paulò pòst moritur, siue equo lapsus inter venandum, siue morbo, siue flumine abreptus (nam alij

aliam mortis caussam prodiderunt) anno ætatis vndequinquagesimo; Imperij ab exitu parentis Arcadij, 43. per tres menses inchoato. *Gabriel Bisciola, in Epitome Baroniana.*

S. Pulcheria, Theodosio fratre defuncto, anno vno quinquagenaria Maior, & virginitatis voto obligata; vt coniugij titulo, saluâ virginitate, Marcianum Virum Tribunitium eueheret in Imperium, maritali fœdere eum sibi deuincit. *Idem.*

CHRIST. AN. 451. — LEON. PAPÆ AN. 12.

ANNO 451. (secundum Baronium; [a] Meyero & [b] Molano 453.) Attila, cognomento Dei flagellum, Gallias numerosissimo milite stipatus, nihil non crudele spirans, inuadit.

Attila Gallias inuadit.

Heu, heu! quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moues funera Galliæ!

Agros atque lares proprios, habitandaque fana;
Apris relinquet & rapacibus Lupis.

[a] In Annal. [b] In Chronicâ recapitulatione Sanctorũ Belgij c. 4. Horat. l. 1. carm. odâ xv. Id lib. Epod. oda xvi.

Conflatum quingentis Barbarorum millibus exercitum, Sigebertus & Forcatulus scribunt: Baronius ad septingenta millia extendit: alibi [*] quinquaginta millia lego; sed errorem esse, ex interfectorum multitudine statim apparebit. De ijs Sidonius Apollinaris, qui eâ ætate vixit, in Panegyrico ad Auitum:

[*] In Chronicâ recapitulatione SS. Belgij Molani c. 4.

Subitò quum rupta tumultu
Barbaries, totas in te transfuderat Arctos:
Gallia; pugnacem Rugum comitante Gelono:
Gepida trux sequitur; Scotum Burgundio cogit,
Chunus, Bellonotus, Neurus; Basterna, Taringus,
Bructeras, vlnosâ quem Velicen abluit vndâ,
Prorumpit Francus; cecidit citò secta bipenni
Hercinia in lintres, & Rhenum texuit alno:
Et iam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se, Belga, tuos: &c.

Talibus copijs fretus Attila, torrentis instar, per montium præcipitia decurrentis, Belgicam Galliasque deuastat; tanto cum funere, vt vix aliquod opidum (si Tricensem [*] excepteris) eius tempestatis permiserit immune. Nostratium ceciderunt Atrebatum, Tornacum, Teruanna, Aldenburgum, aliaque obuiam loca.

[*] Gal. Troyes en Champaigne.

Atrebatum aliaque Belgicæ opida deuastat.

Talibus rerum omnium eluuionibus Gallis supra mo-

dum exacerbati (*graues nempè sunt morsus irritata necessitatis*) ingentem pugnatorum manum, sub Aëtio, Romanorum Patricio, Duce, vndique contrahunt, atque in campis Catalaunicis (Mauritij Campos Iornandes, siue Iordanus Rauennatium Episcopus etiam appellat) hostem aggressi, in fugam armis victricibus coniecerunt, cæsis vtrinque (vt Paulus Diaconus & Sigebertus notauerunt) millibus centum octoginta*. Quâ clade, Panico velut terrore turbatus Attila quùm in Illyricum diuertisset, occurrente Marciano Imperatore, iterùm vertere solum cogitur, egrè tandem considens in finibus Venetorum.

Galli Attilam in fugam conyciunt. | *Pontius Latro, contra Catilinam.* | *Lib. de rebus Geticis.* | ** Forcatulus posuit 162000.*

Ad hunc frementes verterunt bis mille equos
Galli canentes Cæsarem.

Horatij Epod. 9

De istâ Gallorum victoriâ fusè scripserunt. *Baronius*, *Forcatulus*, *Iordanus*, *Sigebertus*, *Meyerus*, *Bernardus Gerardi*, &c.

CHRISTI AN. 455. *Attila Mors.* | LEON. PAPÆ AN. 16.

ANNO 455. Attila, Aëtij hortatu, à muliere cultro confoditur, vt volunt quidam: alij sanguinis profluuio, ex nimiâ ebrietate contracto, scribunt occubuisse, in quibus Sigebertus, Iordanus, Meyerus, Forcatulus. Huius hæc sunt verba: *Attila, dum præter alias vxores Ildicam* puellam, forma gratia spectatam, solemni epulo duceret; hilaritate & crapulâ resolutus, vino & somno distentus, erumpente de naribus sanguine, postquam tantum alieni sanguinis effuderat, sine vulnere occubuit.* Et quibusdam interiectis: *Hernacus & Dinzio, Attilæ superstites liberi inglorij, Fortunæ se credentes in minore Scythiâ, & quocunque fatum vocauit, larem fixerunt. Ita magnis euecti auspicijs, tenui exitu, maiestatem toti mundo formidabilem obscurarunt.* Hæc ille lib. 5. de Gall. Imp.

** Meyerus Milzobth vocat, aitq; Bractianorum Regis fuisse filiam.* | *Eius liberi inglorij.*

Aëtius Valentiniani Imp. manu trucidatur, atque cum ipso (scribit Marcellinus) Hesperium cecidit Imperium, neque hactenùs valuit releuari. De cuius nece, in Valentiniani detestationem Sidonius:

Aëtium Placidus mactauit semiuir, amens.

Id potuit vnum adulterij facinus, in pudicissimâ Maximi Senatoris coniuge ab Imperatore perpetratum. *Consule de his Baronij Annales.*

Valentinianus Imp. consilio Maximi tyrannidem meditantis, à Thrasilâ* Aëtij milite, Domini mortem vlciscente, trucidatur. *Baronius*, *Meyerus*.

** Sigebertus scribit Trasilas*

CHRISTI AN. 457 | LEON PAPÆ AN. 18

ANNO 457. Marcianus Imp. dum se ad bellum con-

tra VVandalos parat, campum ingressus ad supplicandum, 6. Ian. moritur. Excelluit studio Fidei Catholicæ, prudentiâ in administratione Imperij, largitate in pauperes, & corporis atque animi castitate, vt vix post Constantinum sit vllus cum Marciano conferendus.

Leo Tribunitius, communi Senatus sententiâ, salutatur Romanorum Imperator, & ab Anatolio coronatur. *Baronius.*

CHRISTI AN. 458. — ANNO 458. (Baronio 456.) Merouæus Francorum Rex, dum Regni sui fines extendere cogitat, ipse vitæ metam ingreditur, CHILDERICO filio successore. *Sigebertus, Meyerus, Bernardus Girardi.* — LEON. PAPÆ AN. 19.

CHILDERICVS REX.



HILDERICVS Rex in Gallias penetrans, paternum non detrectans institutum, firmiores tandem radices ibì agit; atque Lutetiam Parisiorum, longâ obsidione expugnatam, Regni Metropolim Regumque sedem facit. Hinc Francorum & Gallorum animi, firmo amoris glutino coaluerunt. — *Lutetia Galliæ oppidum fit Regum Francorum sedes.* — SIMPLICII PAPÆ AN. 4.

CHRISTI AN. 471. — ANNO 471. Sanctus Remigius, Remensis Ecclesiæ Pontifex consecratur. *Meyerus, Sigebertus.* — *S. Remigius fit Episcopus.*

CHRISTI AN. 472. — ANNO 472. Sidonius Apollinaris creatur Episcopus Aruernensis. Eius aliquoties anteà meminimus. — SIMPL. PAPÆ AN. 5.

CHRISTI AN. 474. — ANNO 474. Leo Imp. moritur: cuius tempore, quùm omnia Cœmiteria extra vrbem essent posita (vigentibus namque Gentilium legibus, ex Lege 12. Tabularum nefas erat intra mœnia mortuum sepelire) omnia illa Gentilium iura per contrarium vsum & pientissimam Leonis Imp. Nouell. Constit. 53. quæ incipit: *Meâ quidem sententiâ* &c. sunt antiquata, ac prorsus abrogata. *Baronius in Not. ad Martyrologium Rom. 3. Ian. Vide infrà ad an. 563. & 570.* — SIMPL. PAPÆ AN. 7. — *Sepeliendi mos vetus.* — SIMPL. PAPÆ AN. 8.

CHRISTI AN. 475. — ANNO 475. Carocus in Morinis, Rinacharius, (al. Rachnacarius, & Rantarius) Atrebatibus atque Cameracensibus, Heribertus Treuiris, Reguli à Francis totam Belgicam occupantibus, præficiuntur. *Vignierius in Chron. Burgundiæ. Vide infrà ad an. 509.* — *Atrebatium aliorumque locorum Præfecti.*

Euaricus Rex Gotthorum, Gallias armis atterit, Epi-

scopis spoliat, studio Arianæ perfidiæ dilatandæ. *Baron.*

CHRISTI AN. 484. *Tornacensium ad fidem cõuersio.* — FELICIS PAPÆ AN. 2.

ANNO 484. S. Eleutherius Tornacensium Pontifex consecratur. Templum Apollinis, quod Tornacenses frequentabant, radicitùs euertit, fidemque Christianam latissimè eâ in gente diffudit; vt meritò in eius solemnitate canant;

Miro modo sunt conuersi
Per hunc Ciues vniuersi.

Sigebertus; Meyerus; Molanus in Natt. 20. Febr.

CLODOVÆVS, PRIMVS REGVM FRANCORVM CHRISTIANVS.

CHRISTI AN. 484. *S. Remigius quo loco apud Clodouæum Regem, adhuc paganũ.* — FELIC. PAPÆ AN. 2.

CLODOVÆVS (Ludouuicum Sigebertus vocat) Childerico Patre defuncto, Francorum excipit Imperium. Is Gentilis adhuc, veneratione prosecutus est S. Remigium Rhemorum Episcopum, cui etiam amplissimas villas dono dedit, quas tamen ille erogandas curauit in pauperes. *Baronius, Meyerus,* &c.

Gentilis, inquam, atque origine Geldrensis, adeóque Belgicæ proles inclyta. De quo proindè interest audire Molanum: *Scribit Hincmarus & Gregorius Turonensis, in Historiâ suæ gentis, Clodouæo ingresso ad Fontem vitalem, dixisse Sanctum Remigium:*

MITIS DEPONE COLLA, SICAMBER.

Clodouæus Rex origine Geldrus.

Ex quo, primus hic Franciæ Christianus Rex, videri possit, ortu aut origine Geldrensis. Geldros enim olim Sicambros dictos fuisse, multi constanter asserunt; & Sidonij carmine comprobatur;

SIC RIPÆ DVPLICIS TVMORE FRACTO,
DETONSVS VAHALIM * BIBAT SICAMBER.

*Hodie vocatur VValia, Geldriæ fluuius.

Quò etiam pertinet quod Paulus Aemilius scribit, primos Francorum circa Toxiandriam, secundos in Tungris constitisse. Sed & Hincmarus refert Sicambros Tornacum, Cameracum, aliasque Belgicæ Prouinciæ partes occupasse, in ijsque sub Clodione & Merouæo Regibus vixisse. Hactenùs Molanus in Natt. SS. Belgij, 13. Ian. Vide suprà, ad annum 445.

CHRISTI AN. 486. *S. Vedastus in Gallijs floret.* — FELIC. PAPÆ AN. 4.

ANNO 486. Claret in Gallijs B. Vedastus, Sancti Firmini, Virdunensis Episcopi, Nepos, Atrebatium futurus

Episco-

Episcopus. *Sigebertus*, & *Richardus VVasseburgius*, *in Antiquitatibus Belgiæ*, *lib.* 2.

CHRISTI AN. 489. ANNO 489. Clodouæus Rex, quicquid Galliarum ab Rheno ad-vsque Sequanam & Ligerim, iuris Romanorum erat, in Francorum potestatem transscribit. *Petiteus*. FELIC. PAPÆ AN. 7.

CHRISTI AN. 494. ANNO 494. Clotildis (Sigeberto Rotildis, alijs Crotildis) Cilperici, Burgundionum Regis filia, Christianæ Fidei professione nobilis, Clodouæo Regi vxor collocatur. GELASII PAPÆ AN. 3.

CHRISTI AN. 498. ANNO 498. Melodunense * castrum à Clodouæo Rege capitur. *Sigebertus*. ANASTASII PAPÆ AN. 2.

* Gal. *Melun*.

CHRISTI AN. 499. ANNO 499. Clodouæus periclitans cum toto exercitu in prælio contra Alemannos, Christo inuocato, & conuersione promissâ, victor *euadit; & mox exsequitur quod promiserat; primùm B. Vedasto Regem de rebus Fidei instruente; deindè sancto Remigio eundem Baptismatis vndis abluente. De B. Vedasto, primo Clodouæi Catechistâ, sic Albinus Flaccus (al. Alcuinus) in eius vitâ: *Superatis hostibus, & rebus in pace compositis, & Alemannis suæ subiectis Ditioni; Rex ouans, cum laude triumphi ad patriam rediјt. Et vt fidelis tantæ sibi gloriæ largitori sponsor appareret, festinauit seruorum Christi sacrâ imbui prædicatione, & sancti Baptismi ablui Sacramentis. Venit autem ad Tullum opidum, vbi Sanctum agnouit Vedastum, laudabili religione soli Deo seruire, & dulcissimos contemplatiuæ vitæ carpere fructus. Hunc verò ad sanctum Remigium Christi charissimum Sacerdotem, ad Remorum properans Ciuitatem, sibi socium assumpsit, quatenus per singulos itineris sui gressus, saluberrimis ab eo imbueretur doctrinis, & Catholicæ Fidei firmis initiaretur fundamentis; vt paratus Fide & virtutum scientiâ, à tanto Pontifice * spirituali ablueretur Lauacro, & ab illo donis cælestibus confirmaretur; quod ab isto diuina priùs proueniens gratia, Euangelicis cœptum fuerat prædicationibus.* Hactenùs ille.

SYMMACHI PAPÆ AN. 1.

Clodouæi Regis ad Christi fidem conuersio.

* Theoderici Italiæ Regis epistolam congratulatoriã vide apud Cassiodorũ lib. 2. variarũ c. 4.

S. Vedastus Clodouæi Regis Catechista.

* B. Remigio.

Tria in Clodouæi Baptismate miranda occurrunt; Primum, Sacri Olei Ampulla * columbæ ore cælitùs allata; quod dignum Apostolorum temporibus miraculum Hormisdas Papa dixit. *Baronius*.

Clodouæi Baptismus; in quo tria notanda.

I. Sacrum Oleum.

* *Seruatur Remis. Id tamen Luculentus Meyerus pro fabulâ habet.* Videatur Annales ad an. 543.

Secundum, Strumarum per Regem, manuum attactu, sanatio; quod genus morbi Clodouæus primò fugauit in Laniceto Armigero fidissimo; eaque potestas ad posteros Gallorum Reges dimanauit. *Forcatulus*. Eandem Eduardo Anglorum Regi (imperabat an. 1052.) concessam fuisse,

II. Strumarum sanatio.

Poly-

Polydorus testatur l. 8. rerum Anglicanarum.

III. *Lilia.* Tertium, Tria aurea Lilia, in nitido colore Saphiri, miro splendore micantia, è superis transmissa, vt notauit *Ioannes Ludouicus Viualdus, Tract. de laudibus & triumphis trium liliorum, in Prologo. In eandem scribit sententiam Forcatulus; consule lib. 6. non procul à principio, vbi prolixiùs; Bernardum Girardi lib. 1. & cateros Francorum.*

CHRISTI AN. 506. *Codex Theodosianus.* CHRISTI AN. 509. *Clodouæi de Barbaris victoria.* Porrò, notant Forcatulus & Bernardus Girardi, tria Francorum millia, Regis exemplo, simul Baptismum suscepisse: adeò verum est id vulgatum:

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

ANNO 506. Alaricus Visigothorum Rex, Codicem Theodosianum, ex nimiâ prolixitate contractum, atque ab Episcopis approbatum, curat per Auianum edi, Iudicibusque vtendum tradit. *Baronius.* SYMMA. PAPÆ AN. 8.

Rinacharij Atrebatium Præfecti cædes. Phinibertus, Rinacharij filius. Phiniardus Phiniberti filius. Eum occidit Lidericus Bucanus primus Flandriæ Saltuarius. Vide an. 631. ANNO 509. Clodouæus Rex, accepto victoriæ signo à Clericis cantantibus, PRÆCINXISTI ME VIRTVTE AD BELLVM; Alaricum Regem collatis in Aquitaniâ armis superat & interficit; eoque peremto, quicquid Galliarum Visigothi possidebant, cum Tholosâ, Regni Gothorum sede, ad partes Francorum transfert, ad Pyrenæum vsque montem, suum dilatans Imperium. *Sigebertus. Ad hæc* (scribit Meyerus) *Rinacharium,* * *seu Raganarium, Cameracensium Atrebatiumque ac Flandrorum Principem* (vide suprà ann. 475.) *Flantberti, vt quidam volunt, filium occidit. Necauit & eius Fratres, Richarium & Lingomirum: Cararicum item Regulum, & eius filium, cum alijs multis sui sanguinis, vt solus regnaret in Gallijs.* Et post pauca: *Præterea datum est memoriæ natum ex Rinachario Phinibertum, qui quùm detrectaret in nostram concedere Religionem, pulsus à Francis fugerit in Daniam ad Clochilacum, filiumque reliquisse nomine Phiniardum, Christianum quidem, verùm sectæ Arianæ asseclam ac tyrannum, occisum tandem in præcipiti senectute, ab Lyderico, cognomento Buccensi.* Hæc ille lib. 1. Annal.

SYMMA. PAPÆ AN. 11. Psal. 17. Epistolas dissuasorias Theodorici Italiæ Regis vide apud Cassiodorum l. 3. variarum c. 1. 2. 3. & 4. * Fertur abnepos fuisse Regis Clodionis. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 514. *Clodouæus Rex moritur.* ANNO 514. Clodouæus Rex, gloriosè promoto ac stabilito totâ Galliâ Imperio, moritur apud Lutetiam Parisiorum, anno ætatis, 45. Conditus in æde Diui Petri, quæ nunc sanctæ vocatur Genouefæ. SYMMA. PAPÆ AN. 16

Eius Epitaphium, quod à B. Remigio scriptum creditur, est tale:

Diues

Diues opum, virtute potens, clarusque triumpho,
Condidit hanc Sedem Rex Clodouæus, & idem
Patritius magno sublimis fulsit honore.
Plenus amore Dei contempsit credere nulli,
Lumina cui varijs horrent portenta figuris:
Mox purgatus aquis, & Christi fonte renatus,
Fragrantem gessit infuso Chrismate crinem;
Exemplumque dedit, sequitur quod plurima turba
Gentilis populi; spretóque errore suorum,
Doctorem cultura Deum, verumque Parentem:
His felix meritis, superauit gesta priorum.

Eius Epitaphiũ.

Iacobus Middendorpius libro sexto de Academijs.

Succedunt in Regnum quatuor filij, Childebertus, Clotarius, Theodoricus & Clodomirus, qui diuiso inter se Regno, Childebertus Parisiorum, Clotarius Suessionum, iũctâ Flandriâ & alijs, Clodomirus Aurelianorum, & Theodoricus Nothus Metensium Regna sunt consecuti. *Meyerus, Baronius, Sigebertus, Bernardus Girardi, Petrus Oudegherst*, &c.

CHILDEBERTVS REX.

HORMISDÆ PAPÆ AN. 8.
IOANNIS PAPÆ AN. 1.
FELICIS PAPÆ AN. 3.



CHRIST AN. 521. ANNO 521. Clodomirus, Aurelianorum Rex, ab Godomaro Burgundionnm Rege interficitur, liberis tribus relictis, quorum duos Clotarius Patruus, in Childeberti fratris conspectu interfecit. *Bernardus Girardi.*

CHRIST AN. 524. ANNO 524. Clotarius Radegundem in thalami consortem assumit. *Meyerus.*

CHRIST AN. 530. ANNO 530. SANCTVS VEDASTVS, præclarus Clodouæi, primi Francorum Regum Christiani, in rebus Fidei institutor, ad Atrebatios per B. Remigium Remensem Archiepiscopum, Pontifex delegatur. Hic repertâ inter euersæ Vrbis rudera & solitudinis vepres, Beatissimæ Virginis Mariæ Arâ, Templum eius honori, impensè lætatus, erigit; Ædiculam, popularis tumultus ignaram, cælestibus mentis exercitijs percommodam, iuxta * Crintionis fluuioli decursum collocat, atque quadraginta ferè per annos, optimus Pastor Atrebatensis Ecclesiæ sustinet prouinciam. Operæpretium fuerit Templi Cathedralis audire tabulas, in quibus sic lego: *Conuersâ Gentilitate, B. Vedastus*

S. Vedastus ad Atrebates Episcopus mittitur.

Templũ B. Virginis Atrebat. restituit.

Oratoriũ S. Vedasti.

rintiò fl.

* Gal. [illegible]chon, [illegible]ibhoe Ab[illegible] B. [illegible]elasto [illegible]

dastus singula ciuitatis Atrebatensis loca peragrans, quæsiuit inter ruinas ædificiorum, si aliquod Ecclesiæ signum inuenire valuisset. Nam antiquis temporibus, sacræ in illis locis fidei floruisse religionem agnouit, dudum ab Attilâ Hunnorum Rege deletam; & inuenit antiquæ ruinas Ecclesiæ, nec non inter murorum fragmenta, veprium densitates crescere. Tunc subitò ex ruinosis speluncis immanis Vrsus prosiluit: cui vir Dei cum indignatione præcepit, vt in deserta secederet loca, qui illicò tali territus comminatione fugit, nec vnquàm posteà illis visus est in partibus. Reparatis igitur templorum ædificijs, maximè autem Atrebatensi Ecclesiâ reædificatâ, propter Aram S. Dei Genitricis integram inuentam, præfatus Dei Sacerdos Vedastus, in eâ pacificè sedit, ipsamque, diuinâ auxiliante gratiâ, rexit Ecclesiam annis circiter quadraginta. Qui etiam pro suæ sanctitatis testimonio, loco Sancti Remigij prædicti, à B. Mamerto euocatus cum cæteris Episcopis apud Viennam conuenit, vbi solemne ieiunium trium dierum ante Ascensionem est institutum.* Hactenùs ibi.

* An. 451.

Vrsus S. Vedasti.

Litaniæ triduanæ ante Christi Ascensionem, à S. Vedasto institutæ.

Eadem tempestate, B. Antimundus à sancto Remigio primus Morinensis Ecclesiæ Pontifex destinatur. *Meyerus lib. 1. Annal. Petrus Diuæus Histor. MS. de Rebus Belgicis lib. 2. c. 21. Antonius Demochares tom. 2. de Missæ Sacrificio cap. 16.*

S. Antimundus primus Morinorum Episcopus.

MORINENSIVM EPISCOPORVM CATALOGVS.

PRIMVS, dictus ANTIMVNDVS, quem Sanctum vocat Demochares, aitque Clotarij 2. Regis temporibus diem suum obijsse.

2. Athalbertus, seu Sthabertus.
3. S. AVDOMARVS.
4. Drancius, al. Diancius.
5. Theodoricus Bainus, al. Baiuus. *ex vita SS. Luglij & Lugliani.*
6. Rauengerus.
7. S. ERKEMBODO.
8. Adelgerus.
9. Guntbertus.
10. Etharius.
11. Rodoaldus, al. Radnaldus.
12. Atalfus.
13. Vigbertus.

14. Theoduinus, al. Theodonius.
15. Erembaldus.
16. S. FOLQVINVS; Vide infrà ad an. 817.
17. S. HVNFRIDVS: Vide ad an. 855.
18. Actardus, al. Sotardus; Vide ad an. 868.
19. Adelbertus.
20. Herelandus, al. Heritaudus; Vide infrà ad an. 894.
21. Stephanus; Interfuit Synodo Suessionensi an. 909. congregatæ, *Baronius in Annal. Ecclesiasticis tom. 10.* Item & Eleuationi Corporis sancti Folquini an. 928. *Demochares tom. 2. de Missa Sacrificio.* Obijt temporibus Arnulphi primi Flandriæ Comitis. *Iperius in Chron. MS.*
22. Vifridus, seu Vicfridus, aut VVirfridus, Bertinici cœnobij Asceta & Præpositus. *Iperius.*
23. Dauid.
24. Framericus.
25. Balduinus; hic vrbis mœnia, Roberti Regis ætate, instaurauit. Florebat ann. 1021.
26. Drogo; Vide ad an. 1081.
27. Hubertus.
28. Gerardus.
29. B. IOANNES; Vide ad an. 1099. & 1130.
30. Milo, Monachus Ordinis Præmonstratensis; Vide ad an. 1130.
Balduinum quendam, hoc nomine secundum, nominat Bresinius successorem Milonis: verùm omittunt Demochares tom. 2. de Missæ Sacrificio; Affligemense Chonicon; Ioannes Iperius; Meyerus; Franc. Belforestius in Cosmographiâ; &c.
31. Milo 2.
32. Desiderius; Rogeri Iunioris, 4. Insulensium Castellani Filius. Obijt an. 1194.
33. Lambertus; Sedebat an. 1201.
34. Ioannes 2.
35. Adam.
36. Petrus de Kalâ, Flandrię Archidiaconus; Obijt an. 1250.
37. Rudolphus. Sedebat an. 1255. vt ex eius Diplomate ad Canonicos opidi S. Pauli constat.
38. Henricus. Sedebat an. 1283.
39. Iacobus.

dastus singula ciuitatis Atrebatensis loca peragrans, quæsiuit inter ruinas ædificiorum, si aliquod Ecclesiæ signum inuenire valuisset. Nam antiquis temporibus, sacræ in illis locis fidei floruisse religionem agnouit, dudum * *ab Attilâ Hunnorum Rege deletam: & inuenit antiquæ ruinas Ecclesiæ, nec non inter murorum fragmenta, veprium densitates crescere. Tunc subitò ex ruinosis speluncis immanis Vrsus prosiluit: cui vir Dei cum indignatione præcepit, vt in deserta secederet loca, qui illicò tali territus comminatione fugit, nec vnquàm posteà illis visus est in partibus. Reparatis igitur templorum ædificijs, maximè autem Atrebatensi Ecclesiâ reædificatâ, propter Aram S. Dei Genitricis integram inuentam, præfatus Dei Sacerdos Vedastus, in eâ pacificè sedit, ipsamque, diuinâ auxiliante gratiâ, rexit Ecclesiam annis circiter quadraginta. Qui etiam pro suæ sanctitatis testimonio, loco Sancti Remigij prædicti, à B. Mamerto euocatus cum cæteris Episcopis apud Viennam conuenit, vbi solemne ieiunium trium dierum ante Ascensionem est institutum.* Hactenùs ibi.

[Margin: * An. 451.]

[Margin: *Vrsus S. Vedasti.*]

[Margin: *Litaniæ triduanæ ante Christi Ascensionem, à S. Vedasto instituta.*]

Eadem tempestate, B. Antimundus à sancto Remigio primus Morinensis Ecclesiæ Pontifex destinatur. *Meyerus lib. 1. Annal. Petrus Diuæus Histor. MS. de Rebus Belgicis lib. 2. c. 21. Antonius Demochares tom. 2. de Missæ Sacrificio cap. 16.*

[Margin: *S. Antimundus primus Morinorum Episcopus.*]

MORINENSIVM EPISCOPORVM CATALOGVS.

PRIMVS, dictus ANTIMVNDVS, quem Sanctum vocat Demochares, aitque Clotarij 2. Regis temporibus diem suum obijsse.

2. Athalbertus, seu Sthabertus.
3. S. AVDOMARVS.
4. Drancius, al. Diancius.
5. Theodoricus Bainus, al. Baiuus. *ex vita SS. Luglij & Lugliani.*
6. Rauengerus.
7. S. ERKEMBODO.
8. Adelgerus.
9. Guntbertus.
10. Etharius.
11. Rodoaldus, al. Radnaldus.
12. Atalfus.
13. Vigbertus.

14. Theo-

14. Theoduinus, al. Theodonius.
15. Erembaldus.
16. S. FOLQVINVS; Vide infrà ad an. 817.
17. S. HVNFRIDVS: Vide ad an. 855.
18. Actardus, al. Sotardus; Vide ad an. 868.
19. Adelbertus.
20. Herelandus, al. Heritaudus; Vide infrà ad an. 894.
21. Stephanus; Interfuit Synodo Sueſſionenſi an. 909. congregatæ, *Baronius in Annal. Eccleſiaſticis tom. 10.* Item & Eleuationi Corporis ſancti Folquini an. 928. *Demochares tom. 2. de Miſſæ Sacrificio.* Obijt temporibus Arnulphi primi Flandriæ Comitis. *Iperius in Chron. MS.*
22. Vifridus, ſeu Vicfridus, aut VVirfridus, Bertinici cœnobij Aſceta & Præpoſitus. *Iperius.*
23. Dauid.
24. Framericus.
25. Balduinus; hic vrbis mœnia, Roberti Regis ætate, inſtaurauit. Florebat ann. 1021.
26. Drogo; Vide ad an. 1081.
27. Hubertus.
28. Gerardus.
29. B. IOANNES; Vide ad an. 1099. & 1130.
30. Milo, Monachus Ordinis Præmonſtratenſis; Vide ad an. 1130.
Balduinum quendam, hoc nomine ſecundum, nominat Breſinius ſucceſſorem Milonis: verùm omittunt Democharestom. 2. de Miſſæ Sacrificio; Affligemenſe Chonicon; Ioannes Iperius; Meyerus; Franc. Belforeſtius in Coſmographiâ; &c.
31. Milo 2.
32. Deſiderius; Rogeri Iunioris, 4. Inſulenſium Caſtellani Filius. Obijt an. 1194.
33. Lambertus; Sedebat an. 1201.
34. Ioannes 2.
35. Adam.
36. Petrus de Kalâ, Flandrię Archidiaconus; Obijt an. 1250.
37. Rudolphus. Sedebat an. 1255. vt ex eius Diplomate ad Canonicos opidi S. Pauli conſtat.
38. Henricus. Sedebat an. 1283.
39. Iacobus.

40. Enguerardus; al. Enguerannus, Crecquius *; interfuit Synodo Siluanectensi, anno 1317. *Gal. de Crecquy

41. Ioannes tertius, Viennensis, indè Remorum Archiepiscopus.

42. Raymundus Saguetius, posteà Archiepiscopus Lugdunensis, Casleto abs Anglis, Philippo Valesio regnante, intercepto.

43. Ægidius, tempore Innocentij Papæ & Ioannis Francorum Regis.

44. Robertus Gabonensis, qui postmodùm Pontifex Cameracensis; deindè, Vrbano VI. Pont. Max. sedente, Antipapa, Clementis septimi nomine assumpto.

45. Gerardus Daihuillius, anteà Atrebatensis, hìnc in Morinis aliquanto tẽpore elapso, Episcopus Cameracensis.

46. Aldemarus siue Aderamus; Sedebat an. 1374.

47. Petrus Orgemontanus, posteà Pontifex Parisiensis. Obijt anno 1409.

48. Ioannes 4. cognomento Tabary, Caroli sexti Regis medicus. Interfuit octauæ Synodo. Oeconomicæ, sub Eugenio 4. Florentiæ, an. 1439. celebratæ.

49. Matthæus Reginaldus, Caroli septimi à Confessionibus.

50. Ludouicus Lutcemburgensis, qui posteà Rothomagensis Archiepiscopus; inde Anglorum Regis Consiliarius, atque Eliensis Sedis in Angliâ Pontifex.

51. Henricus Lotharingus; deindè Metensis Episcopus, *Hunc omittit Demochares, tomo 2. de Missæ Sacrificio.*

52. Henricus Iunior (Ioannem vocat Demochares) Cardinalis, qui Florentino Concilio interfuit, sub Eugenio 4. congregato.

53. Dauid à Burgundiâ; qui deindè Traiectensem Sedem occupauit.

54. Antonius de Croy, Philippi, Portiani Comitis filius.

55. Franciscus Melodunæus, anteà Atrebatẽsis Episcopus.

56. Philippus Lutcemburgius, tit. SS. Petri & Marcellini Cardinalis, & Tusculanus exindè Episcopus. Mortali vitæ nuntium misit anno 1519. secũdum Democharem.

57. Ioannes Lotharingus, indè Cardinalis, Archiepiscopus Narbonensis; Metensis & Albanensis Episcopus.

58. Franciscus Crecquius.

59. Antonius Crecquius, Francisci frater; quo sedente Teruanna *, anno 1553. ab Carolo Quinto Cæsare expugnata, & in fauillas supremo funere resoluta est. Quo factum vt ista Diœcesis, suo interitu tres alias genuerit, Bononiensem, Audomarensem, atque Hyprensem, vti suo loco, sicut & de plerisque istorum Episcoporum, dicemus. Atque hactenùs de Episcopis Morinorum.

* Moriū (Forte Morinum) cū vocat Bartholomæus Anglicus lib. 15. de rerum proprietatibus, cap. 113. secutus Herodotum in Regionum descriptione.

THEODORICVS REX, expeditionem parat aduersus Gothos in Gallijs agentes; cum quibus declinato conflictu, ex morbo moritur, ante quidem annum 534. quo Cassiodorus scripsit Epistolam primam libri vndecimi Variarum, in quâ hæc lego: *Theodoricus ille diu potenti nomine gloriatus, in triumphum Principum nostrorum, languoris potius pugnâ superatus, occubuit; ordinatione credo diuinâ, ne nos aut affinium bella polluerent, aut iustè productus exercitus vindictam aliquam non haberet.* Fallitur ergo Sigebertus, qui scripsit eum occupasse Ditionem Gothorum in Gallijs, & mortuum anno Domini 537.

Theodebertus Theodorico Patri succedit, qui multis iniquè aut patratis aut toleratis, occubuit, Theobaldo filio relicto, qui Patris fatum mox secutus, Clotarium Regem Propatruum suum testamento hæredem inscripsit. *Bernardus Girardi lib. 1.* Vide post Baronium, Stephanum Forcatulum libro tertio de Gallorum Imperio & Philosophiâ.

Hâc ferè tempestate, volunt quidam Aymonem, Ardennæ Principem, Matrimonij leges excepisse, cum Veraiâ, Caroli Nasonij, Tungrorum Ducis filiâ; ex quorum thalamo prodierint quatuor illi filij, qui Patri famam in hæc tempora perennantem, ex rebus gestis pepererc; quique ideò volgò iactantur LES QVATRE FILS AYMON. *Richardus VVassæburgius, in Antiquitatibus Belgicæ l. 2.* — *Quatuor Filij Aymonis.*

CHRISTI AN. 531. — BONIFACII PAPÆ AN. 2. — ANNO 531. Childeberti Regis virtute, pars ea Galliarum, quam hactenùs Visigothi possederant, cedit Francis. *Baronius.*

CHRISTI AN. 532. — IOANNIS PAPÆ AN. 1. — ANNO 532. Ioannes 2. Pont. Max. docet templa circuire, die Dominicâ. *Guilielmus Eysengreinius lib. 6. Chronici Vrbis Spirensis.* Cæterùm Philippus Bergomas eam institutionem in annum 535. refert, auctoremque scribit Aga- — *Supplicatio Dominicalis.*

pytum* summum Pontificem. *lib. 9. Chron. Suppl.* *al. Agapetum.

Ciclus Paschalis. Romana Ecclesia Ciclo Paschali, annorum 532. quem Dionysius Abbas composuerat vti incipit. *Meyerus in Anna.*

Codex Iustinianaeus. Iustinianus Imp. Legum Romanarum libros ingentes, vno complectitur volumine, quod Iustinianaeum appellatur. *Sigebertus in Chronico.*

CHRISTI AN. 534. IOANNIS PAPAE AN. 3. ANNO 534. Aurelius Cassiodorus Senator, cuius aliquoties meminimus, amplissimâ Praetorij Praefecturâ augetur. Ex fructu erit legisse eius Variarum Epistolas, libri 9. vicesimam secundam & seqq.

CHRISTI AN. 535. AGAPETI PAPAE AN. 1. *S. Medardus Nouiom. & Tornac. Episcopus.* ANNO 535. S. Medardus Veromanduorum Episcopus, ab Augustâ Veromanduorum* per Vandalos atque Hunnos euersâ, Sedem Episcopalem Nouiodunum (Meyero Nouiomagum) transfert, eique Tornacensem adnectit. *hodie Fanum S Quintini appellatur.

CHRISTI AN. 536. AGAPETI PAPAE AN. 2. *Apparitio S Michaëlis.* ANNO 536. 8. Id. Maij, In monte Gargano Apparitio sancti Michaelis Archangeli. *Vide Baronij notas ad Martyrol. Rom. 8. Maij.*

CHRISTI AN. 537. SILVERII PAPAE AN. 1. *Vbi Sacra celebranda.* ANNO 537. Iustinianus Imp. Sacra in priuatis aedibus fieri, Sanctione editâ vetat. *Nouel. 58. Baronius, Bisciola.*

Ratio Capellae seu Oratorij aedificandi. Idem Iustinianus Sanctionem promulgat, ne quis, praeter voluntatem Episcopi, Oratoria seu Capellas fabricet. *Nouellâ 67.* Porrò Oratoria & Capellas pro ijsdem accipi, vsus obtinuit; inde Capellaniae & Capellani nomen exortum: quâ caussâ? audiamus Gulielmum Durandum: *In plerisque locis* (inquit) *Sacerdotes Capellani vocantur; nam antiquitùs Reges Franciae ad bella procedentes Cappam Beati Martini secum portabant, quae sub quodam tentorio seruabatur, quod ab ipsâ Cappâ, dictum est Capella; & Clerici in quorum custodiâ ipsa Capella erat, inde Capellani dicebantur; & consequenter ab illis, ad cunctos Sacerdotes nomen illud in quibusdam regionibus est transfusum. Sunt etiam qui dicunt, quod antiquitùs in expeditionibus in tentorio fiebant domunculae, de pellibus Caprarum supra tectae, in quibus Missae celebrabantur, & indè Capellae nomen tractum est.* Sic ille lib. 2. Rationalis Diu. Offic. c. 10. fusiùs lege in Notis Baronij ad Martyrol. Rom. XI. Iunij. *Capellanorum Etymon. Cappa B. Martini.*

CHRISTI AN. 540. VIGILII PAPAE AN. 1. ANNO 540. Childebertus Rex, cum Patruele Theodeberto, in Fratrem Lotharium insurgit; sed Matre eorum Rothilde satis-agente apud Deum, ne inter fratres fieret ciuile bellum, horrendâ tempestate coërciti, cùm super

Lotha-

Lotharium ne signum quidem horroris apparuerit, reddunt se Fraternæ paci. *Sigebertus, Baronius, Bisciola, ijsdem penè verbis.*

Concilium Aurelianense celebratur, in quo statuitur, *vt Clericus cuiuslibet gradus sine Pontificis sui permissu, nullum ad Sæculare iudicium præsumat attrahere; neque Laico, inconsulto Sacerdote, Clericum in Sæculari iudicio liceat exhibere.* Conc. Aurel. Can. 31. ijsdem verbis. *Clerici sæcularis iudicij immunes, absque Episcopi consensu.*

CHRISTI AN. 541. ANNO 541. (Sigeberto an. 545. Meyero an. 540.) S. Remigius Francorum Apostolus, humanitatis vinculis exsolutus, cœlum gloriosus ingreditur. *Vide Baronij Annales, & de obitus eius tempore censuram ad hunc annum.* Episcopum egit annos 74. Vnde propter ætatis prolixitatem, Iubilæus nominabatur. *Vide Molani Natales 13. Ianuarij.* VIGILII PAPÆ AN. 2. *S. Remigius moritur.*

In diuersis Galliarum locis diuersa visuntur prodigia. Cometes Paschæ die apparet; Cœlum ardere visum, sanguis nubibus effluit, domus cuiusdam cruentatur; clades, pustulæ seu vesicæ in populo. *Sigebertus.* *Prodigia in Gallijs.*

Consulum in Chronicis concinnandis nomina sopiuntur, Imperatorum autem, quibus perpetuò adnexus sit Consulatus, assumuntur. Inuidiosè hoc quidem Iustinianus; an quod maluerit proprio, quàm alieno, nomine tempora notari? an quod immoderatos sumptus, in ingressu Consulatus fieri solitos, tollere voluit? an Triboniano adscribendum, quod amplissimam dignitatem, quam ipse Ethnicus consequi non poterat, alijs inuidit? *Baronius.* *[C]hronica [a]d Impp. [a]nnos re[l]ata.*

Iustinianus Imp. aduersus Hæreticos, Sanctiones edit. Ne priuilegijs datis (ea verò fuere varia) fruerentur Hæreticæ fœminæ. Vt Hæretici omnes velut ingrati, à Parentibus exhæredarentur, Catholicis tantùm filijs ab eis hæredibus institutis. *Hæreticorum priuilegia antiquata.*

CHRISTI AN. 545. ANNO 545. Controuersia in Occidente oritur de Paschatis celebrandi die; hinc in Concilio Aurelianensi quarto sic statutum: *Quæ Festiuitas annis singulis ab Episcopo, Epiphaniorum die in Ecclesijs denuntietur. De qua solemnitate, quoties aliquid dubitatur; inquisita vel agnita per Metropolitanos à Sede Apostolica sacra Constitutio teneatur.* Et hæc quidem aduersus Iustiniani Imp. edictum, sibi, quod suum non esset, arrogantis, quo vna Hebdemada augebatur Quadragesimæ ieiunium. *Baronius.* VIGILII PAPÆ AN. 6. *Controuersia de Paschatis celebrandi Die.*

AN-

CHRISTI AN. 549. *Nummus Francorum.* VIGILII PAPÆ AN. 10.

ANNO 549. Franci aureum nummum natiuo & Galliarum metallo cudunt, non Romani Imperatoris, vt cæteri solent, Imagine, sed suâ impressâ.

CHRISTI AN. 550. VIGILII PAPÆ AN. 11.

ANNO 550. Theodebertus Francorum Rex vitâ excedit, eique succedit Theodebaldus filius. *Sigebertus*. Cæterùm Baronius Theodeberti mortem ad annum 552. refert, aitque occubuisse, quo tempore Italiam inuaderet.

CHRISTI AN. 553. *Crotildis, Clodouæi Regis Coniux moritur.* VIGILII PAPÆ AN. 14.

ANNO 553. (Sigeberto 554.) Crotildis Regina, dierum, bonorumque operum plena, apud vrbem Turonicam obit; quæ Parisios magno cum psallentium præconio deportata, in Sacrario Basilicæ S. Petri, ad latus Clodouæi Regis sepulta est, funus curantibus Childeberto atque Clotario, filijs. Nam Basilicam ipsa construxerat, in quâ & Beata Genouefa, Parisiensium Patrona tumulum recepit. *Bisciola ÿsdem penè verbis, qui post Baronium ex Gregorio Turonensi, Sigeberto, & alÿs.*

CHRISTI AN. 554. *Canonicorum Atrebatensium initia.* VIGILII PAPÆ AN. 15.

ANNO 554. Canonici Atrebatensis Ecclesiæ aggregantur. Intelligamus ex Monumentis MSS. eiusd. Eccles. *Sancti Vedasti mentionem B. Remigius in testamento suo sic fecisse inuenitur*: ECCLESIÆ ATREBATENSI, CVI AVCTORE DEO, VEDASTVM FRATREM MEVM CHARISSIMVM, EPISCOPVM CONSECRAVI, EX DONO LVDOVICI PRINCIPIS, VILLAS DVAS IN STIPENDIA CLERICORVM DELEGAVI, *ORTOS VIDELICET, ET SABVCETVM. *Ex quo constat illos beatos viros, suo labore & expensâ, primò Canonicos in Ecclesia Beatæ Mariæ Atrebati instituisse, circa annos Domini* CCCCC. LIV. Sic ibì.

*al. Orcos. Vide infrà ad an. 1095.

CHRISTI AN. 555. *Septem Horarũ Canonicarum institutio. Prouinciæ quot continere debet Ciuitates. Hæreticorum pœna.* PELAGII PAPÆ AN. 1.

ANNO 555. Pelagius in summum Ecclesiæ Pontificem assumptus, *Clericis in Sacris constitutis mandat, vt septem Horas Canonicas* * *cotidiè celebrent. Item vnaquæque Prouincia decem vel duodecim* * *Ciuitates contineat; Hæretici & Schismatici non solùm ab Ecclesiasticis, sed etiam Sæcularium manibus puniantur, quandò rationibus ad sanitatem nequaquam possunt reuocari.* 23. q. 5. c. *Quia nos.* Vide Bergomatem lib. 5. Supplementi, & Eisengrenium in Chronico Spirensi.

* Vide Roberti Bellarmini Controuersias.

* Vide infrà ad an. 1095.

Theodebaldus, dum à suis pugnatur in Italiâ, moritur adolescens ac penè puer. Hæreditas ad Consanguineos deuoluta, Childebertum & Lotharium. *Vide Baronÿ Annales.*

AN-

CHRISTI AN. 556. ANNO 556. Regnum Francorum in maximum discrimen adducitur, ex bello ciuili, conflato inter fratres Reges, Childebertum & Lotharium siue Clotarium, ob diuisionem bonorum Theodebaldi Regis defuncti: cui & domesticum bellum accessit, quùm Chramnus, Clotarij filius, contra Patrem arma sumpsit; quo tempore, idem Clotarius aduersus Saxones rebellantes, & auxiliantes ei Thuringos in expeditione esset, quos tandem graui pugnâ & exscidio perdomuit. *Sigebertus*, *Meyerus*, *Bernardus Girardi*, *Bisciola*, &c. PELAGII PAPÆ AN. 2. *Filij contra patrē congressus.*

CHRISTI AN. 557. ANNO 557. Radegundis Regina, Clotarij Regis vxor, Religionis habitū induit, floretq; gloriâ Sanctitatis Pictauij, cū Regijs alijsq; Virginibus, Monasterij septis reclusa. *Surius tom. 4. Fortunatus lib. 8. Vincentius in Speculo lib. 21. cap. 79. 80. & 85. Trithemius; Gregor. Turonensis, &c. Vide infrà ad an. 590.* PELAGII PAPÆ AN. 3.

CLOTARIVS REX.

CHRISTI AN. 559. ANNO 559. (Baronio an. 562.) Childeberto Parisiorum Rége absque liberis defuncto, Clotarius integro Francorum potitur imperio. *Sigebertus*, *Bernardus Girardi*, &c. PELAGII PAPÆ AN. 5.

CHRISTI AN. 562. ANNO 562. Cramnus, à Clotario Patre in gratiam receptus, & rursùm deficiens, profugus, latet cum vxore in Britanniâ. *Baronius.* IOANNIS PAPÆ AN. 3.

Cassiodorus Paschalem Computum scribit, simul de Indictione inueniendâ currente, alijsque ad Paschalis temporis Computum spectantibus. *Vide Paulum Petauium, Regium in supremâ curiâ Parisiensi Senatorem, tractatu de Epochâ annorum Incarnationis Christi, Indictionibus, & varijs ab annis Christi supputandi modis.* *Paschalis Computus & Indictio.*

CHRISTI AN. 563. ANNO 563. Mos vetus perseuerat, quo defunctorum, etiamsi Christianorum, corpora (excipio sanctorū Martyrum & Confessorū) in Ecclesijs minimè sepeliantur. Hinc, vt suprà diximus* Constantini Imp. corpus Constantinopoli, ad SS. Petri & Pauli Basilicæ fores, terræ mandatum. *Vide Concilium Bracarense cap. 36.* Nec solùm extra Ecclesiam, quin & extra Vrbem* olìm mortuorum cadauera sepeliri consuetudo erat, ex lege duodecim Tabularum; licet ab antiquissimi æui memoriâ in domo suâ quisque sepelire- IOANNIS PAPÆ AN. 4. *Mos vetus sepeliendi defunctos.*

* An. 337.

* Vide suprà an. 574.

tur, vt testatur Isidorus, lib. 15. cap. 11. Eam autem Legem duodecim Tabularum, de non sepeliendo mortuo intra Vrbem; contrario vsu penè abolitam, restituit Theodoricus Rex Italiæ. At ea omnia Iura, Leo Imp. Nouel. Constit. 53. irrita prorsùs reddidit. *Baronius in Notis ad Martyrol Rom. 10. Febr.* Vide infrà ad an. 570.

CHRISTI AN. 564. *Filij contra Patrem militantis supplicium.* | IOANNIS PAPÆ AN. 5.

ANNO 564. (Sigeberto 563.) Chramnus cum Clotario Patre confligens, captus strangulatur, & in casulâ cũ vxore & filiabus incenditur, dignâ illas quoq; pœnâ prosequente, quæ eum ad rebellãdum impulerant. *Baronius tom. 7. Annal.*

CHERIBERTVS REX.

CHRISTI AN. 565. | IOANNIS PAPÆ AN. 6.

ANNO 565. (Sigeberto 564. Meyero 568. Bernardo Girardi 560.) Clotarius Rex anno Regni sui 52. Compendij ex febre moritur: quo defuncto, quatuor eius filij Regnum partiuntur: Cheribertus Parisijs sedem Regni (id ab Mosâ fl. Ligerim vsque protendebatur;) Chilpericus Suessione; Guntheramnus Aurelianis; Sigebertus Remis collocauerunt. Horum omnium religiosissimus habitus est Sigebertus. *Baron.*

CHRISTI AN. 566. *Episcoporum assumendorum ratio.* | IOANNIS PAPÆ AN. 7.

ANNO 566. In Concilio Parisiensi statuitur, neminem admittendum ad Episcopatum, quem Regis auctoritas, absque legitimâ atque Canonicâ electione intruderet, sed quem Clerus eligeret, & Episcopi Prouinciales vnà cum Metropolitano approbarent.

Septem proles ex eodem partu.

Meretrix quædam in Longobardiæ regno, vno partu septem edit liberos. *Bergomas.*

Pax inter Gotthos & Francos.

Eadem ferè tempestate, Chilpericus Gelesuintham, & Sigebertus Brunechildem, Sorores, Athanagildi, Gotthorum Regis filias, in coniuges sibi deuinciunt: quibus nuptijs sancita pax inter Gotthos & Francos.

CHRISTI AN. 567. *Adulterij merces.* | IOANNIS PAPÆ AN. 8.

ANNO 567. Gelesuintha, Chilperici Regis, à Pellicibus infatuati, iussu strangulatur. Hinc Rex Fredegundem, Pellicum Principem, in vxorem assumit; cuius fœminæ caussâ Gelesuintham Reginam necatam Fratres agnoscentes, illum Regno deturbauerunt.

CHRISTI AN. 570. *S. Vedastus moritur.* | IOANNIS PAPÆ AN. 11.

ANNO 570. Sanctus VEDASTVS, Atrebatium Apostolus, fato corripitur: de cuius obitu, sic in tabulis Atrebatensis Ecclesiæ legitur: *Beatus Vedastus, in senectute bonâ, migrauit*

grauit ad Dominum, prout gloriosum transitum eius, per spatium duarum fermè horarum, è cœli fastigio, vsque ad domum ipsius Pontificis, Columna lucis * *edocuit. Corpus verò eius in Ecclesia Atrebatensi, vbi Pontificalis Cathedra fungebatur officio, tumulatum exstitit honorificè, multis postmodum coruscans miraculis*. Sic ibi. De eius autem sepulturâ, Albinus seu Alcuinus Flaccus, Caroli Magni præceptor, ad Raddonem Vedastini Monasterij anno 795. Abbatem, sic loquitur; *Dum digno honoris officio feretrum, in quo iacebat corpus, paratum staret in medio, sed accedentes, mouere illud non valebant; quid verò agerent, ambigebant, quò se verterent, nesciebant. Sciscitabantur à Scopilione Archipresbytero, viro religioso; qui secretarius fuerat sermonum Sancti Dei, si aliquid de suâ eum testari sepulturâ memoraret; timentes ne fortè illis hoc ideò accidisset, quia intra murum eiusdem Ciuitatis illum sepelire disponebant. Quibus ille respondit, sæpius illum se audisse dicentem; quod nullus intra muros Ciuitatis sepeliri debuisset;* * *quia omnis ciuitas locus debet esse viuorum non mortuorum. Volebant siquidem illum in Ecclesia Beatæ semper Virginis Mariæ, vbi sede Pontificali præsederat, tumulari. Ipse verò sepulturæ suæ locum in Oratorio, quod paupere sumptu, id est ligneis tabulis, propter littus Crientionis fluuioli ædificauerat, fieri disposuisse dignoscitur. Quod licet ipse pro humilitate, quâ semper vsus est, fieri voluisset; omnes tamen qui aderant, attendentes meritorum eius insignia, indignum ducebant tanti viri Corpus, in loco humili debere sepeliri; præsertim quùm nec locus ipse habilis esset tanto monumento; nec, palude obsitus, foret accessibilis populo. Dum talia inter se queruntur; venerabilis vir Scopilio, illachrymans super Corpus sacratissimum, incumbens orationi, in hanc vocem erupit: Permitte, obsecro, te perferri ad locum, qui tibi filiorum curâ, præparatus existit. Et his dictis, accipientes capulum, in quo sancti viri Corpus iacebat exanime, nullum onus sentientes, portauerunt eum subiectis humeris, cum alacritate animi ad sepulturæ locum; sepelieruntque eum in iam dictâ Ecclesiâ Beatæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, in dexterâ parte altaris, vbi quondam Pontificalis cathedra fungebatur officio; nobilem terræ condentes thesaurum, in quo loco per aliquod iacuit tempus, quo vsque Domino reuelante ad locum vbi nunc eius fulget memoria, est à viris sanctis Autberto & Audomaro Episcopis, felici translatione mutatus.* Hactenùs Alcuinus.

S. VEDASTO defuncto, B. DOMINICVS in Atre-

Left margin notes:
* Illi similes columnæ apparuere in morte sanctorũ Ioannicij Anachoretæ & Vulthani. *Vide Baronij Annales Tom. 10.*
* Vide suprà ad an. 563.

Right margin notes:
In eius morte prodigiũ.
Aliud.
Scopilio Archipresbyter Atrebatensis.
Vetus mos sepeliẽdi extra vrbẽ.
Oratoriũ S. Vedasti, adeòque Vedastini Monasterij initia seu causa.
Eiusdem sepultura.

batensem Cathedram successor nominatur, eiusdem antea Vicarius, vt vocant, atque Archidiaconus, de quo scriptores pauca vel nulla scriptis suis posteris transmisere.

S. Vulganius. Eadem tempestate, B. Vulganius, patriâ Anglus, Atrebati moritur, *in cellulâ* (vt Auctor vitæ eius loquitur) *iuxta Monasterium, atque sepelitur in Ecclesiâ villæ, quæ dicitur* BONORVM VIRORVM TERMINVS. *Atrebatum, Terminus Bonorum Virorum appellatum.* Quam quidem villam, quàm Atrebatum, nullam aliam esse arbitratur Molanus; ita fortè appellatum, ob eximiam in Christi famulos hospitalitatem. Inde eius Corpus Lensium Artesiæ opidum, quarto lapide Atrebato, Lilam versus abiunctum, transfertur. *Lensium Opidum Artesiæ.* Quo opido, post multa tempora, à Gallis deuastato, inde aufertur: at inito pacis fœdere etiam refertur. *Molanus in Natal. 2. Nouemb.*

CHRIST. AN. 572. ANNO 572. Cheribertus Rex, ob incestas nuptias, à sancto Germano Parisiensi Episcopo excommunicatur, ac paulò pòst moritur, anno Regni sui octauo. IOANNIS PAPÆ AN. 13.

CHILPERICVS REX.

CHRISTI AN. 573. ANNO 573. Hispani & Franci de Pascha celebrando dissentiunt, Hispanis XII. Kalendas Aprileis, Francis verò XIV. Kalend. Maij, Pascha celebrantibus. BENEDICTI PAPÆ AN. 1. *Altera controuersia de Paschatis celebrandi die.* Sed Francos rectè celebrasse, per hoc diuinitùs claruit, quod fontes in Hispaniâ, qui in Sabbatho Sancto Paschæ, ad baptizandum sponte diuinitùs repleri solent, non in Hispanorum, sed in Francorum Pascha repleti sunt. *Sigebertus in Chron. iisdem verbis.*

CHRISTI AN. 575. ANNO 575. Romæ desitum Latinè loqui. *Guilielmus Eisengreinius lib. 6. Chron.* BENED PAPÆ AN. 3.

CHRISTI AN. 579. ANNO 579. Pace inter Francorum Reges turbatâ, conspirantibus in Sigebertum Chilperico & Gunthéramno, Sigebertus de vtroque victor euasit. PELAGII SECVNDI PAPÆ AN. 2. Verùm pòst paulò, dolo impiæ Fredegundis, dum aduersus Chilpericum Germanum Regem iterum certamen parat, per sicarios, necatur, anno ætatis 40. de his sic Meyerus: *Sigebertus Tornacum, & in eâ Chilpericum fratrem, Regem Francorum Occidentalium prælio victum eoque profugientem pertinaciter obsidet, submissis ab vxore Chilperici Fredegundâ, clam ex opido percussoribus*

cussoribus, in castris obtruncatur. Soluitur obsidione Tornacum; Chilpericus periculo liberatur; amissas recuperat ciuitates, donatque Episcopo Crasmaro fiscum Regium, vt aiunt, in Tornaco, cum temporaria quadam iurisdictione in Flandris. Hæc ille. *Tornacum.*

CHRISTI AN. 580. ANNO 580. Merouæus, Chilperici Regis filius, inuito patre, venit in manus cum Brunechilde, Athanagildi Visigothorum Regis filiâ, moribus corruptissimis fœminâ. Hæc viam quâ Cameraco Atrebatum, hinc Teruannam iter est, saxis pulchro opere instrauit, cuius vulgatum superest hodiè nomen, LA CHAVSSEE DE BRVNEHAVLT. Eius meminit Chronographus Bertinicus hisce verbis: *Brunechildis, licet insolens esset, & periculosa, Ecclesias tamen honorabat. Ecclesiam sancti Vincentij Landunensis fundauit: multa etiam opera miranda construxit; inter quæ stratam publicam de Cameraco ad Atrebatum, hinc ad Morinum, & vsque in mare ad VVitsantum fecit, quæ Calchera Brunechildis appellatur vsque in hodiernum diem.* Hactenùs Ioannes Iperius Bertinensis Chronographus & Abbas. De eadem Brunechilde vide Cæsaris Baronij Notas ad Martyrologium Romanum XI. Febr. Littera D. Ioannem Tilletium in Chronico Franciæ ad hunc annum; Adonem in Chron. ad an. 583. &c. PELAG. 2. PAPA AN. 3. *Calchera Brunechildis.*

CHRISTI AN. 583. ANNO 583. S. DOMINICO Pontifice nostro è viuis erepto; S. VENDVLPHVS eius in locum surrogatur. Hic Cameracum, quòd bellorum procellis desolatissimum ac infrequens Atrebatum esset, Episcopion transportauit, ibique fixit; atque eius facti aliquot habuit sequaces, Atrebatijs nihilominùs iuris sui à Cameracenatibus secreti atque distincti plenissimè potientibus; Episcopo vtramque Diœcesim ab ipso etiam Vedasto acceptam, moderante. Etenim in Tabulis Ecclesiæ Atrebatensis sic lego: *Vedastus siquidem ordinatus est Episcopus, ita sanè quod auctoritate loci huius Atrebatensis, Cameracensi quoque vrbi præsideret: non quod prius alterâ illarum Sedium ab altera dependeret; sed quia vir sanctus, propter vicinitatem* locorum vtramque procurare sufficiebat.* Sic ibi. Cæterum de sancto Vendulpho, & Sedis Episcopalis ad Cameracenates translatione, ibidem sic legitur: *Vedulphus in Episcopatu Dominico successit. Ab isto & cæteris eius successoribus, vsque ad Lambertum Cardinalem & Episcopum huius Atrebatensis Sedis, Cameracensis Ecclesia quandam specialem dignitatis aulam accepit, eo quòd Pontifices* PELAG. 2. PAPA AN. 6. *Episcopion Atrebaten se transfertur Cameracum.*

* *solitudinem.*

 tunc

tunc propter solitudinem loci Atrebatensis, ibidem specialiùs habitare cœperint. Nemo tamen suspicetur Atrebatensem Ecclesiam illi aliquo iure subiectam; quandoquidem Dionysius Papa, qui iuxta Chronicorum fidem, ducentis sexaginta tribus annis, fuit ante Hormisdam . . . . inter cæteras vrbes Atrebatum atque Cameracum asscriptas, tum suis æquè Parœcijs distinctas reliquerit. Et licet nobilis Atrebatensis Ecclesia, Cameracensi ad tempus subiecta inueniatur, suæ tamen dignitatis vestigia in ipsa subiectione conseruans, duos suo titulo semper habuit Archidiaconos & Vice-Dominum; qui absente Episcopo, caussas Atrebatensis Episcopatus animaduertebat.

CHRISTI AN. 584. — PELAG. 2 PAPÆ AN. 7.

ANNO 584. Moritur Ferreolus Vrcensis Episcopus, vir sanctitate celebris, atque anniuersariâ memoriâ consecratus, qui & Scriptorum suorum reliquit monumenta, libros videlicet Epistolarum, Sidonium Apollinarem insequutus. *Gregor. Turon. lib. 6. c. 7. 8. & 9.*

CHRISTI AN. 586. — PELAG. 2 PAPÆ AN. 9. — *Sacerdotũ Mensa vt ordinanda.*

ANNO 586. Concilium Toletanum sub Rechared Hispaniarum Rege adgregatur; cuius Canon Septimus ita habet: *Pro reuerentia Dei, & Sacerdotum; id vniuersa constituit Synodus, vt quia solent, crebrò mensis otiosæ fabulæ interponi; in omni Sacerdotali conuiuio, lectio diuinarum scripturarum misceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.* Neque hoc singulare in Sacerdotum mensis videri debet, quùm etiam apud Principes, & quidem, à Religione nostrâ auersos, id factum legamus. Siquidem in Turcarum Imperatorum Annalibus, his verbis scriptum I. Lipsius grauis Auctor, testatur: *Quoties conuiuas vocabant, vescebantur adhibitis Talismanis* (ità Sacerdotes dicunt) *quorum præceptis & admonitionibus inter conuiuandum aures præbebant, & Alcoranum legi iubebant.* Lips. L. 1. Monit. & Exemp. Polit. c. 2. monit. 4. num. 4.

CHRISTI AN. 587. — PELAG. 2 PAPÆ AN. 10. — *Leprosi qui curandi.*

ANNO 587. Synodus Lugdunensis secunda celebratur; in quâ de Leprosis Sancitum: *Placuit etiam vniuersa Concilio, vt vniuscuiusque ciuitatis Leprosi, qui intra territorium ciuitatis ipsius aut nascuntur, aut videntur consistere, ab Episcopo Ecclesiæ ipsius, sufficientia alimenta, & necessaria vestimenta accipiant, vt illis per alias ciuitates vagandi licentia denegetur.*

CLOTARIVS SECVNDVS REX.

CHILPERICVS Rex, equo desiliens reuersus de venatione, gladio per Sicarium confossus extinguitur, Fredegundis vxoris dolo. *Sigebertus, & Chronica Francorum.*

Clotarius 2. Chilperici ex Fredegunde filius, menses tantum sex* natus, Patri in regnum successit, eius tutelam gerente Guntheranno Patruo. *Ibidem.*

* al. nouem.

CHRISTI AN. 590. — GREGORII PAPÆ AN. I.

ANNO 590. Nascitur sanctus Bertinus, Monasterij sui in sancto Audomaro primus Abbas. Audiamus Chronographum Bertinicum: *Anno Verbi Incarnati quingentesimo, nonagesimo, vel circiter, sanctæ Sedi Apostolicæ præsidente Beatissimo Papâ Gregorio, Imperatoria sceptra gerente Mauricio, & in Francia regnante Clotario secundo adhuc puero; ab Oriente solis iubar emicans, qui nostras Occidentales tenebras illustraret, ortus est Beatus puer Bertinus, in Constantinensi regione, nec longè à Constantiâ ciuitate Alamanniæ, in loco suæ hæreditatis, nuncupato Vasinia Prouinciæ Moguntinæ.* Sic ille.

Sanctus Bertinus nascitur.

Eadem ferè temporis tempestate nascitur & Sanctus Audomarus, de quo idem Chronographus: *In eadem etiam regionis parte, specialiter in loco, qui Aurea-Vallis dicitur, vulgariter autem* GVLDINDAL, *natus est Beatus Audomarus, eadem ambo* (sc. cum B. Bertino) *stirpe progeniti: de genere scilicet Regum & Ducum Austrasiorum, Lotharingorum & Brabantinorum; magni videlicet Adolphi, sanctique Arnulphi, Ansegisi, Pupini Maioris & Minoris, Caroli Tuditis, & Caroli Magni, vt testatur idem Carolus Magnus in quodam priuilegio, in quo, Sanctum ipsum nominans, dicit:* ET QVONIAM IDEM SANCTVS DE GENERE NOSTRO FVISSE DIGNOSCITVR. &c.

Sanctus Audomarus nascitur.

Vtriusq; genus.

Beata Radegundis Regina vitâ defungitur: *Baronius in notis ad Martyrologium Rom. 13. Augusti, vbi plura;* & in Annalibus, vbi in cæteris notat, veterem fuisse vsum, vt in funere fidelium defunctorum, vnà cum alijs lætitiæ canticis caneretur *Alleluya*, vt sanctus Hieronymus admonet in Epistola ad Aletium de funere Ruffinæ coniugis.

S. Radegundis moritur.

Alleluya in funeribus olim cantatum.

Sanctus Gregorius, primus omnium Pontificum Romanorum se SERVVM SERVORVM DEI inscribit. Idem lege cauit, vt nullus bigamus sacro Presbyterij Ordine initiaretur;

Quis Papa seruũ seruorum Dei se primus inscripserit.

Bigami ab Ordinibus sacris prohibiti. tiaretur; vnde vulgatum illud:

Ordo sacer non detur ei, si quis bigamus sit.

Et mulieres a Monachorũ cœnobijs. Item ne mulieres Monachorum cænobia ingrediantur, aut eorundem Commatres fiant:

Quadragesimali ieiunio, quatuor priores dies, ab feriâ quartâ inchoantes, adiunxit.

Introitum Missæ, cum vno alicuius Psalmi articulo, ordinauit.

Alia Edicta. Item vt nouies *Kyrie eleison* diceretur & *Alleluya* & *Offertorium* & Oratio Dominica, & post Communionem caneretur; vtque in principio omnium horarum Canonicarum, *Deus in adiutorium meum intende*, cum *Gloria Patri & Filio*, &c. dicatur. *Bergomas*, *Sigebertus*.

CHRISTI AN. 594. ANNO 594. Sanctus Gaugericus ex Euosio Galliarum castro, parentibus Christianis oriundus, in Atrebatensem Episcopum, ab Ægidio Remensi Archiepiscopo, Clotarij Gallorum Regis instantiâ, quod Sedis dignitatem subire reformidaret, sacratus assumitur. Is Beati Benedicti Regulam professus, Asceterium in Cameracensium Acropoli seu Arce (vulgus Citadellam vocitat) quùm Martis virium istarum, quas hodiè cernere est, locus hic exsors esset, ædificari curauit, sanctorum Medardi & Lupi honori nuncupauit, & Landonem Fratrem præfecit Abbatem. *Molanus in Natt. SS. Belgij* XI. *Augusti*; *Sigebertus in Chron. Demochares Tom. 2. de Missa sacrificio c. 15. qui ad an. 595. refert*, &c. GREG PAPÆ AN. 5.

S. Gaugerici Monasteriũ Cameraci.

CHRISTI AN. 597. ANNO 597. Sanctus Augustinus, ab Sancto Gregorio ordinatus Anglorum Apostolus, in Britanniam cum socijs ferè 40. transmittit, eiusque cæli gentem, in Fidelium societatem ex Gentilitatis tenebris transcribit. *Baronius*, *Meyerus*, *Bergomas*, &c. GREG PAPÆ AN. 8.

Angli ad fidem cõuertũtur.

CHRISTI AN. 598. ANNO 598. Guntheranus Francorum Rex, è viuorum societatē per mortem eripitur. Eum sanctitate claruisse scribit Sigebertus. GREG. PAPÆ AN. 9.

Vestis purpurea Clericis inhibetur. In Concilio Narbonensi cauetur, ne purpureis vestibus Clerici vterentur.

CHRISTI AN. 601. ANNO 601 Fredegundis Regina moritur. GREG. PAPÆ AN. 12.

Simoniæ pestis immaniter toto terrarum orbe, ac maximè in Franciæ Regno grassatur; de qua Audoënus Rothomagensis Episcopus, in B. Eligij vitâ sic loquitur. *Illis*

diebus

diebus, immaniter Simoniaca hæresis pullulabat in vrbibus, & in cunctis finibus regni Francorum, maximéque à temporibus Brunechildis, infelicißimæ Reginæ, vsque ad tempora Dagoberti Regis: violabat hoc contagium Fidem Catholicam. Hæc ille; quam quidem Ecclesiæ labem B. Gregorius varijs moliminibus conatus est exterminare. *Consule Baronij Annales.*

Simoniæ labes grassatur.

Hoc anno, quinto Regum Francorum Theodeberti atque Theodorici fratrum, conflato inter eos & Clotarium, filium Regis Chilperici, hæredem verò Gunthe-ramni, ciuili bello, magnâ factâ vtrinque cæde, victoria fratribus cessit, fugiente Clotario. In quâ pugnâ Angelus Domini astans, euaginatum visus est tenuisse gladium. *Baronius.*

Angeli apparitio.

CHRISTI AN. 605.

SABINIANI PAPÆ AN. I.

ANNO 605. Clotarius Rex, Templum Morinense ad eximium Deiparæ decus construere orditur; quod ad coronidem tandem perductum, vectigalibus ampliter in æuum sumendis auxit. *Vide nostrum Mariale l. 2. c. 20.*

Tēplum Teruanense erigitur.

Sabinianus Pont. Max. renuntiatus, Diem & Horas, campanæ pulsu, propter Ecclesiæ officia, distinguere iussit, vtque lampades accensæ, continuè in templis seruarentur, *Eisengreinius, Bergomas*, &c.

CHRISTI AN. 613.

BONIFACII 4. PAPÆ AN. 7.

ANNO 613. Monasticum institutum in Gallijs ab sancto VValerico propagatur, illo Monasterium iuxta Ambianum, sumptibus Clotarij Regis exædificante. *Baronius.*

CHRISTI AN. 614.

BONIF. 4. PAPÆ AN. 8.

ANNO 614. Brunechildis, Clotarij Regis iussu, Camelo imposita, circumlata ad ludibrium, indomiti equi caudæ capillis & brachijs alligata, raptatur & discerpitur: hic finis fœminæ crudelis & ambitiosæ fuit, quæ nihil non tentauit vt regnaret & Regina moreretur; cuius operâ & consilio, decem Reges fuerunt extincti. *Baronius; Sigebertus, qui ad an. 618. Brunechildis interitum differt.*

Crudelitas vindicata.

CHRIST. AN. 615.

DEVSDEDIT PAPÆ AN. I.

ANNO 615. Deus-dedit in Romanum Pontificem assumptus, decreuit ne quis eam puellam vxorem ducat, quam è sacro Baptismi fonte leuarit.

CHRISTI AN. 618.

BONIFACII 5. PAPÆ AN. I.

ANNO 618. Bonifacius V. Summus Ecclesiæ Pontifex creatus, delinquentibus Templa & Aras in Asyla concedit. Sacrilegos anathematis telo vbique feriri sancit; nitidum pannum, quem Corporale vocamus, Corpori Dominico à Sacerdote semper supponi iubet.

Asyla. Sacrilegi. Corporale.

ANNO 620. Sanctus Chylianus, aliàs Chilenus, Gen-

CHRISTI AN. 620. BONIF. 5. PAPAE AN. 3.

Sanctus Chylianus ad Atrebates mittitur per S. Pharonē Episcopum.

te Scotus, ab Sancto Pharone, primùm Clotarij 2. Gall. Regis Palatino, postea, abdicatâ aulâ, Meldensi Episcopo, ad Atrebates missus, sopitum propè Christianæ Fidei ignem, in cordibus errantium postliminiò excitat & accendit. Audiamus in Genebrardo Auentinum*: *Atrebatensem Ecclesiam* (inquit) *Chilenus Scotus, à Pharone Episcopo Meldensi missus, doctrinâ & miraculis clarus, ad Christum reduxit sub Heraclio.* Hæc ille. Heraclius autem, secundum Sigebertum de Cosroe triumphauit anno Christi 631. Imperij sui anno 19.

*Lib. 23. cap. 17.

Claret miraculis.

Vas vitreum & vinum prodigiosè restituta.

Audiamus iterum de Chyliano Petrum Equilinum: *S. Pharo* (ait) *Chilenum fratrem suum, ad Prouinciam Atrebatensem, ad prædicandum misit, qui ibidem miraculis claruit. Die quodam cum eodem Chileno, Pharo ad mensam sedebat, & vas vitreum vino plenum cadens in terram confractum est. Quod S. Chilenus redintegrauit, vinumque effusum adeò in vase recuperauit, quod neque terra madefacta videretur.* Sic Equilinus, in Catal. SS. lib. 9. c. 116.

An Chylianus fuerit Pharonis frater.

Hìc leuis oritur quæstio; quomodo Chilenus siue Chylianus, Pharonis frater ab Equilino nominetur, quùm Chilenus origine sit Scotus; Pharo autem in Gallijs natus esse videatur, Patre Hagerrico Burgundo, Theodeberti Gall. Regis Palatino, qui ex Leodegundâ Coniuge has solas sustulerit proles, Pharonem, VValpertum, Conoaldum, & filiam vnicam Pharam Virginem, singulas sanctitatis laude celebres; vt notauit *Equilinus in Catal. l. 1. c. 39.* Sed facilis est responsio; inter sese fratres vocatos, ob eximiam quandam, quâ se prosequebantur, amicitiam & familiaritatem.

An Episcopus, an Confessor tantùm.

Altera, nonnihil difficilior iterum exsurgit: An sanctus Chilenus seu Chylianus fuerit Episcopus, an Confessor tantùm? Certè Ioannes Molanus grauissimus scriptor, eum dicit Episcopum; vndè in Indiculo & alibì: *Sanctus Chylianus Episcopus & Confessor, quiescit Albiniaci, in territorio Atrebatensi.* Sic ille in dicto Indiculo Sanctorum Belgij, & conformiter in Natalibus, & Vsuardi Martyrologio. Veruntamen, cum veniâ, id tituli, alteri Chyliano, Herbipolensi Episcopo putem tribuendum, qui cum socijs in Germaniâ, Iulij 8. Martyrio coronatus est: de quo Petrus Equilinus, & cæteri Auctores allegati ab Baronio in Notis ad Martyrol. Rom. Iul. 8. Albiniacensem verò so-

summodò Confessorem Equilinus nominat, neque aliter habent ipsa Prioratus Albiniacensis monumenta: neque repugnat Chronographus Cameracensis, qui & Atrebatensis, vulgò Gerardinus, alijque veterum: qui titulus, si verus, neutiquàm cum decoro ab ijs silendus fuisset. Atque de his hactenùs.

Cæterùm hâc ipsâ ætate, celebris quidam Comes, nomine Eulfus, Chileni famâ, quæ longè latéque in Atrebatibus & Gallijs diffundebatur, illectus, prædium, quod in Albiniaco, ad Scarpæ fl. præterlabentis marginem irriguum, & fœcundis pascuis peramœnum, Atrebato tribus circiter millibus, Occasum versus, seiunctum habebat, S. Chileno in spiritalis vitæ vsum dono concessit. Quâ Comitis liberalitate Chilenus admodùm recreatus, ad locum illicò perrexit; in quo sancti Sulpitij (cuius Corpus vel Corporis Reliquiæ, in S. Gisleni * apud Aduaticos honorificè quiescunt) Oratorium * quùm reperisset; stupore & lætitiâ colluctantibus, Ecclesiam exstruere, eodem in loco est aggressus; cui ædibus ad vsum Canonicorum postmodùm adiunctis, Monasterij forma accessit. Vndè Chronographus Cameracensis: *In vico Albiniaco Monasterium est Canonicorum, sancti videlicet Chyliani, qui Scotus fuisse traditur*. Hæc ille. Vide infrà ad an. 1131.

Albiniacum ei donatur.

S. Sulpitij Oratorium ibi repertum.

* Molan. in Natt. 27. Ian.

* Hinc S. Sulpitij ibi memoria in cottidiano officio.

Ecclesia, & Monasteriũ Albiniacensium.

Obijt porrò S. Chylianus Id. Nouemb. mediumque Ecclesiæ suæ pro sepulchro occupauit. At temporis successu eleuatus, atque argenteâ thecâ inclusus, post princeps altare etiamnum visitur. Eulfus autem fundator ibidem iam antè ab Chyliano adhuc superstite tumulum acceperat. *Ex monn. MSS. eius loci; Molano, alijs.*

Obitus Chiliani & Eulfi Comitis eius loci fundatoris.

CHRISTI AN. 626.

ANNO 626. (quibusdam 618. alijs 605.) Sancti Mommolinus, Bertramus, & in primis Bertinus, Patriæ & sanguinis vinculo Beato Audomaro, vt suprà diximus, coniunctus, ex Luxouiensi Monasterio in Flandriam conuenientes, in agro Sithiensi, quem ab Adroaldo, viro præpotente Beatus Audomarus dono acceperat, Ecclesiam construunt, cellâ iuxtim adiunctâ, quæ ob id veteris Monasterij nomen retinet. Audiendus hîc Iperius: *Quidam prædives opum, vir illustris Adroaldus nomine, nullum habens filium, cum Beato Audomaro tractare cœpit, qualiter possessionum suarum Ecclesiam heredem faceret, villam quæ* SITHIV *vocatur,*

HONORII PAPÆ AN. I.

Monasterij S. Bertini initia.

Villa Sithiu, Audomaropolis.

cum suis appendicijs, Beato obtulit Audomaro, vt ibi Xenodochium construat. Iussu igitur Beati Audomari, tres sancti viri prædicti Bertinus, Mommolinus, & Ebertramnus Ecclesiolam construxerunt & Cellam, in territorio eiusdem villæ, in loco qui adhuc & propter hoc vocatur vetus Monasterium super fluuium Agniona, anno Domini 626. Sic ille.

SERIES ABBATVM MONASTERII SANCTI BERTINI.

1. SANCTVS BERTINVS.
2. S. MOMMOLENVS.
3. Erlefridus.
4. S. ERKENBODO.
5. VVimarus.
6. Nantharius.
7. Dadbertus.
8. Hardradus.
9. Odlandus.
10. Nantharius 2.
11. Fridogisus.
12. Hugo.
13. Adalardus.
14. Hugo.
15. S. HVNFRIDVS.
16. Carolus Caluus Rex.
17. Hilduinus.
18. SANCTVS FVLCO.
19. Rudolphus.
20. S. FVLCO iterùm.
21. Balduinus Caluus.
22. Adololphus Comes.
23. Arnulphus Comes.
24. S. GERARDVS.
25. VVido.
26. Hildebrandus.
27. Regenaldus.
28. Adololphus 2.
29. Hildebrandus 2.
30. Balduinus 2.
31. Arnulphus 2.
32. VValterus.
33. Trugandus.
34. Odbertus.
35. Hemfridus.
36. Rodericus.
37. Bouo.
38. Heribertus.
39. Ioannes.
40. B. LAMBERTVS.
41. Ioannes 2.
42. B. SIMON.
43. B. LEONIVS.
44. Godescalcus.
45. Simon 2.
46. Ioannes 3.
47. Iacobus.
48. Simon 3.
49. Gillebertus.
50. Iacobus 2.
51. VVillelmus.
52. Ioannes 4.
53. Galterus.
54. Eustachius.
55. Ægidius.
56. Henricus Condescarius.
57. Anselmus *Bristel.*
58. Ioannes *le Long.*
59. Iacobus *de Condé.*
60. Ioannes 6.
61. Alardus.

62. Ioan-

62. Ioannes 7. cognomento *de Greboual.*
63. Ioannes 8.
64. VVillelmus 3.
65. Ioannes *de Lannoy.*
66. Iacobus *du Val.*
67. Antonius *de Berghes.*
68. Inglebertus *d'Espaigne.*
69. Gerardus *de Hamericourt.*
70. Vedastus *Grenet* Atrebas.
71. Nicolaus *Mainfroy* Atrebas.
72. Guilielmus *Loeumel*, qui hodiè feliciter præest. De quibus fusiùs suis tempore & loco.

CLOTARIVS REX consortem Regni sibi facit Dagobertum filium, ex Bertrude Reginâ susceptum, atque à Beato Arnulpho Metensi Episcopo optimis moribus imbutum. *Baronius.*

CHRISTI AN. 630. *Gal. Marcenes.* — HONOR. PAPÆ AN. 5.

ANNO 630. Sancta Rictrudis Beati Amandi consilio, Marchianense* Cœnobium, in Atrebatensi, non agro quidem, sed Diœcesi construere aggreditur; cui Sanctus Ionatus Amandi discipulus, primus Abbas datus est. Postmodùm verò æquum visum fuit, ibi sub S. Rictrude, gloriosâ fundatrice, Virgines honestasque viduas, cum Monachis adgregari. Horum luculentum profert testimonium eiusdem loci Chronicon MS. à quodam non imperito ibì Monacho, hortatu Simonis Abbatis 20. olim conscriptum, in quo sic narratur: *Marchianensis locus, circunfluentibus aquis & palustri arundine circundatur; habetque versus Aquilonem siluam grandem, ad Australem partem fluuium* SCARPE, *qui labitur ad Orientem; in cuius vtraque parte adiacent prata, herbis palustribus strata. Ad Orientem Marchianensis villæ, cœnobio ritè composito, & à duobus Reuerendissimis Episcopis, Auberto videlicet & Amando, Monasterio in honorem Apostolorum Petri & Pauli,* VI. *Kalendas Nouemb. solemniter dedicato, nobilis Matrona Rictrudis, voti compos effecta, vniuersa quæ sibi residua visebantur esse, testamentum legitimum faciens, perpetuo iure possidenda liberaliter Sanctis Dei, & eidem contulit Monasterio. Obtulit quoque tres filias suas Virgines infantulas, Regi Christo sponso charissimas futuras. In eodem cœnobio primùm Monachis, adseruiendum Deo, à Beato Amando delegatis Pastor vigilantissimus ac procurator interius exteriusque fidelis & simplex Ionatus datus est eis, qui Beati Amandi Pontificis discipulorum vnus, eius sacrâ eruditione admodùm informatus, ad hoc officium*

Sancta Rictrudis. Monasterium Marchianense fundatur. Fuit primò virorum. Inde Virginũ. Monasterij Templũ consecratur. Primus eius Abbas.

Moniales introducuntur, Monachis remanentibus. *idoneus inuentus est. Verùm postmodùm rationi consentaneum visum est (quoniam sua bona Beata Rictrudis huic loco consecrarat; ibique Deo seruire statuerat) vt ibidem Sanctimoniales inter seruos Dei collocarent, quæ primatus ordinem obtinerent. Itaque permodico superstite conuenticulo eorum, cum pace mutuâ nobiles Matronæ illuc certatim confluunt; religiosæ viduæ ac Virgines rasæ, quibus tamen ob humilitatem dominari renuebat Sancta Rictrudis.* *Primatus loci penes Moniales.* *Quæ decurso vitæ suæ termino, in omni virtutum exercitatione, ætatis suæ anno septuagesimo quarto, 4. Idus Maij* diem clausit extremum.* *Sancta Rictrudis moritur.* *Post S. Rictrudis dormitionem, Marchianensis cœnobij Abbatissa fuit Clotsendis filia eius; cui successerunt aliæ; rexeruntque hanc Ecclesiam Sanctimoniales per annos trecentos triginta tres, vel circiter.* Hactenùs ibi. Vide latiùs in Aub. Miræi Originibus Cœnob. Belg. l. 1. c. 3. Molani Natal. 12. Maij, & infrà ad an 1028.

* Anno 687. vt notat Francisc. Balduinus in Chron. MS. Artesiæ.

Porrò ad Sanctæ Rictrudis (ibi hodieque cum Sanctâ Eusebiâ filiâ, thecis inauratis reclusa, magnâ religione asseruatur) vbi ante eleuationem quieuerat, sepulcrum, tale Epitaphium legitur.

Eius Epitaphiũ.

Hîc quondam iacuit totum veneranda per Orbem
Rictrudis, pietatis ager, virtutis Imago.

Fuit B. Rictrudis ex Guasconiâ, Arnoldo siue Erkenoldo & Lichiâ, nobilissimis parentibus oriunda. Illi Sanctus Amandus Christianæ pietatis magister; Adalbaldus in maritum; Maurontus Leuita & Abbas, Clotsendis Marchianensis post matrem, Eusebia Hamaticensis post Beatam Gertrudem Abauiam Antistitæ; & Adelsendis (quæ præmaturè in nocte Natiuitatis Domini mundo erepta est) quatuor sanctæ proles obtigerunt.

Clotarius Rex cum Dagoberto filio, ingenti editâ cæde, de Saxonibus triumphat. *Meyerus.*

Per hæc tempora Leyda & Harlemum Batauorum opida conduntur. *Petiteus in Chron. Hollandiæ.*





SALTVARIORVM FLANDRIÆ INITIA.

LIDERICVS BVCANVS.

CHRISTI AN. 631. — HONOR. PAPÆ AN. 6.

ANNO 631. CLOTARIVS GALLORVM REX, LIDERICVM BVCANVM Saluarti Digeonensis Satrapæ, ex Emengarde* Russiloniâ coniuge, filium, Flandriæ tunc sæpè aut palustris, aut saltuosæ, Præsidem tutelarem constituit. Sedem legit in Arce Bucâ, vetere celebrique, (à Iulio Cæsare nonnulli conditam volunt) à quâ ei cognomen; cuius Arcis Reliquiæ in antiquiori Lilæ castello olim visebantur; quas, vt ferunt, sustulerit parœcialis B. Mauritij Ecclesia ibidem exædificata. *Marchantius lib. 2. Flandriæ; Bresinius tom. 1. Chronici MS. Flandriæ & Artesiæ. Vide infrà ad annum 676. & 792. vbi Emengardis, siue Ermegardis Epitaphium.*

*al. Ermegarde.

Flandria.

Arx Buca, vbi hodiè Insula seu Lila.

Ecclesia S. Mauricij Insulensis.

Eodem anno, Clotarius Rex, quum annos 44. regnasset, morte corripitur, Dagoberto eius filio, paterna sceptra capessente, eademque ad annos sedecim gestante.

CHRISTI AN. 632. — HONOR. PAPÆ AN. 7.

ANNO 632. Dagobertus Rex, alioqui Regnum præclarè administrans, cùm filijs careret, & amori mulierum impensiùs deditus esset, vxorem, quia sterilem repudiat, raptamque è Monasterio puellam sibi copulat; cuius flagitij quùm grauiter a B. Amando argueretur, penitentiæ loco, eum Sede suâ exegit & in exilium relegauit.

Dagoberti in Monialem facinus.

CHRISTI AN. 633. — HONOR. PAPÆ AN. 8.

ANNO 633. aut circiter (ista enim temporis ratio, etsi nonnulli repugnent, ad vitandam confusionem videtur habenda) Sancto Gaugerico Atrebatium Pontitifice in Beatorum sedes assumpto; Bertoaldus ex illustri Francorum prosapiâ ortus, succenturiatur. Porrò *sanctus Gaugericus sepultus est* (scribit Ioannes Molanus) *apud Cameracum, in Basilicâ, quæ ab ipso* (vti ad annum 594. ante notauimus) *in*

S. Gaugerici mors & sepultura.

montis

S. Medardi Ecclesia Cameraci. *montis vertice, ad honorem Sancti Medardi erat exstructa. Sed ibi Carolus Quintus Imperator exstruxit Castrum siue Citadellam, vt loquuntur. Vnde Canonici sancti Gaugerici quùm cogerentur Templum suum deserere, receperunt se in Parochialem Ecclesiam sancti Vedasti, vbi in magnifico choro, quem exstruxerunt, Corpus S. Gaugerici reposuerunt. Atque ità Ecclesia sancti Vedasti dicitur etiam Ecclesia sancti Gaugerici.* Hæc Molanus.

S. Vedasti Ecclesia Cameraci. — In Natt. SS. Belg. xi. Aug.

Cæterùm de Bertoaldo Episcopo in Chronico Cameracensi, hæc leguntur: *Hic amore & veneratione B. Gaugerici ductus, quâ semper vt filius fragrabat, in cubiculum sancti viri, vnde animam ad cælos emisit, lectum suum constratum locauit, non præsumptione lubrici animi, sed certus quia hunc locum nullæ aduersæ partis fantasticæ insidiæ vexarent, quem vir tantus obitus sui casu dicauit. In quo quùm aliquâ nocte pausaret, apparuit illi per visum Beatus Gaugericus, blandè quidem & leniter alloquens, vt promptiùs emoto lectulo, præsumptionis culpam meminisset piare, si propitium sibi eum habere voluisset. Mox ille summoto lectulo, quod iussum fuerat, expleuit; & in eodem cubiculo altare Domino, in honore Beati Gaugerici dedicauit, pigneribusque sanctorum compositis, diuinis cultibus aptauit, vbi vsque in hodiernum celebratio sancti peragitur, immò & Deo vota soluuntur.*

Templũ B. Gaugerici Cameraci erigitur.

CHRISTI AN. 635. Sanctus Eligius. — HONOR. PAPÆ AN. 10.

ANNO 635. Sanctus Eligius Nouiomensis Episcopus, editum montis iugum, Atrebato duobus ad Aquilonem passuum millibus remotum, valdè frequentat; &, licet cultu asperum, cælestibus tamẽ exercitijs suaue reddit, ibique exiguum sacellum meditationibus commodum componit: quod quidem labentibus retrò annis Eremitæ aliquot, inde Canonici, vt vocant, Sæculares, posteà Regulares, Beati Augustini regulam professi occuparunt. Quem propterea locum MONTEM SANCTI ELIGII appellare placuit, neque hactenus Nomenclaturam dimisit. *Monn. MSS. eius loci; & Andreas Vaillandus, ibid. Prior, lib. MS. Præsulum Eligianorum.*

Initia Cœnobij Montis S. Eligij iuxta Atrebatũ.

CHRISTI AN. 637. — HONOR PAPÆ AN. 11.

ANNO 637 (fortè vt nonnulli volunt 639.) Sanctus Emebertus, aliàs Ablebertus, Bertoaldo defuncto, in Atrebatensem Episcopum adoptatur. Is patriâ Brabantus, parentes habuit Nobiles; patrem Vintgerum Comitem; Matrem Amelbergam; sorores Raineldem, Gudulam Bruxellanorum Patronam, & Pharaildem in Cathalogum Sanctorum relatas. *Vide Molani Natales varijs locis.*

S. Gudula Patrona Bruxellanorum.

AN-

Christi An. 639 | Severini Papæ An. I.

ANNO 639. Dagobertus Rex octauo demùm anno, dimissis concubinis & illegitimâ vxore, ex propriâ & legitimâ, quam sibi iunxit, filium suscepit, quem Beato Amando ab exilij ærumnis in patriam reuocato, & veniâ postulatâ, baptizandum & educandum tradere voluit. At is ne eius officij caussâ in curiam traheretur, diu renuit; at victus tandem Regis & Procerum precibus, assensus filium baptizauit & Sigebertum vocauit 40. à Natali eius die; qui infans nemine respondente, AMEN diuino miraculo respondit. *Baronius, Richardus VVasseburgius, in Antiquitatibus Belgicæ, lib. 2.* &c.

S. Amãdus ab exilio reuocatur. *Miraculum.*

Christi An. 640. | Ioannis Qvarti Papæ An. I.

ANNO 640. B. Bertinus transactis in cœnobio, quod anno 626. struxerat, quatuordecim annis; loco, quòd Ascetis capiendis angustior esset, cedit; & nauim conscendens eò diuinitus appellit, vbi hodieque pernobile cernitur Monasterium. Id Iperius Verbis hisce aperit: *Sanctus Bertinus quùm in veteri Monasterio resedisset annis quatuordecim, quia locus ille permodicus erat, vt aptiorem locum quæreret, spem ponens in Domino nauem conscendit, cum aliquibus socijs suis. Et ecce statim contra fluenta præcipitis fluuij, Angelico ministerio nauis impellitur; donec Bertinus ex ordine decantati Psalterij, versiculum illum pronuntiaret;* HÆC REQVIES MEA IN SÆCVLVM SÆCVLI, &c. *Lecto versiculo, nauis stetit immobilis circa medium, vbi nunc est Monasterium suum. Cognoscens igitur, illum sibi à Deo electum locum, ibi Monasterium ædificauit, in honorem Dei sanctique Petri Apostolorum Principis, Anno Domini sexcentesimo quadragesimo; in quo breui tempore centum quinquaginta Monachos adunauit.* Sic Iperius; Vide etiam Molani Natales 9. Sept.

S. Bertinus alio & commodiore loco Monasteriũ construit. *Miraculum.*

Christi An. 642. | Theodori Papæ An. I.

ANNO 642. Natali Dominico proximante, Rothildis (aliàs Rithildis) Dagoberti Regis filia, Suessione concedit in thalamum Liderici Principis, ingenti Regis, & Palatinorum applausu. *Oudegherstius.*

Liderici Saltuarij nuptiæ.

Christi An. 645. | Theod. Papæ An. 4.

ANNO 645. S. Emebertus siue Ablebertus Atreb. Episcopus vitâ defungitur; de illò Cameracense Chronicon hoc pacto loquitur: *Fuit huic, vt aiunt, prædium, quod Martinas dicitur, familijs quidem & rebus circumfluis locupletissimum, de quo Dei genitricis Ecclesiam Cameracensem hæredem fecerat: sed nescimus quâ de caussâ, nisi infestatione Paganorum amiserit. Superueniente die suæ vocationis, in Brachbantensi pago*

S. Emebertus moritur.

villâ videlicet HAM *defunctus, migrauit è mundo, ibique est sepultus: deindè ad Martinas deportatus, posteà verò ad Malbodium*, ibique diem Resurrectionis exspectat.* Hactenùs Chronicon. Vide Molanum in Natt. xv. Ian. Est verò Malbodium Aduaticorum opidum, in quo Canonicarum Ecclesia, quæ hodiéque sacro beati Ableberti pignore lætatur, eiusque solennia annuè recolit.

Malbodium Opidum.

* Ibidem quiescit corpus S. Pharaildis.

Sancto Ableberto succedit B. Aubertus, cuius pauca posteris innotuisse dolet, & meritò, Ioannes Molanus: cuius vitæ pauca hæc prodit: *Refulsit temporibus Dagoberti, incliti Francorum Regis, Sacerdos Christi probatissimus; sub quo, & per quem Hannonia mirabiliter in Christianâ Religione cœpit florere & vigere. Habuit enim in eâ discipulos Landelinum* Abbatem Crispiny, Vincentium Madelgarium Comitem, & coniugem eius sanctissimam VValdetrudem. Horum sanctitati adiunxerunt se etiam multi Apostolici prædicatores ex Galliâ & Scotiâ, quibus sanctissimus Gislenus ex Græciâ accessit. Per quas columnas felix Hannonia Christo Domino est incorporata, ac fidei Christianæ initiys imbuta.* Hactenùs ille in Natt. 13. Decemb. Vide Sigeberti Chronicon ad an. 651.

S. Landelinus. S. Vincentius. S. VValdetrudis. S. Gislenus.

* Natus est in Artesiâ, pago Vauxio, patrio idiomate *Vaux* Comitis Busquoi hodiè dominio. Consule Molani Natales, 15. Ian.

Porrò Sanctus Landelinus quatuor exstitit Asceteriorum fundator, sc. *Crispiniensis*, ad fluuium *Hon*, vbi fontem crispantium vndarum precibus impetrauit; deindè *Laubiensis*, *Alnensis* & *VVaslariensis*, cui Sanctus Dodo primus præfuit. Vide Molani Natales xv. Iunij, & Aub. Miræi Origines lib. 1. c. x. & xi.

Quatuor Monasteria à sancto Ladelino constructa.

Sanctus verò Vincentius cum Sanctâ VValdetrude coniuge, alia duo Monasteria posuere; ille Altimontense, vno milliari à Malbodio remotum, quod hodieque Benedictini Asceta incolunt; Hæc Montense illud, quod à fundatrice nomen sortitum est, Virginum Nobilium cœtu celebre, nulli Religionis voto astrictarum; vndè ad Matrimonia subindè liberè transeunt.

Monasteria, Altimontense, & S. VValdetrudis Montibus Hannoniæ.

Per hæc tempora floret sanctus Fursæus, in Artesijs vel hoc nomine censendus, quod *quùm Atrebati* (scribit Molanus) *apud quandam Dominam hospitium peteret, eaque recusaret, morbo est correpta; à quo vt liberaretur sanctum virum reuocauit. Qui renuit quidem venire; absens autem eam sanauit. Hoc autem miraculo per Gallias crebrescente, Ercanaldus* Maior domus, sancto Fursæo locum dedit Latiniaci, vbi Monasterium construxit.*

S. Fursæus Atrebati miraculo clarus.

* Vide infrà ad an. 647

struxit. Aedificauit etiam idem Princeps ei Peronæ alterum Monasterium cum Ecclesia. Præterea sanctus Furseus suo exemplo multos insignes & sanctos prædicatores in Belgium nostrum euocauit inter quos sunt fratres eius Germani Foillanus & Vltanus. Quare mirum non est Apostolicos Belgij nostri Episcopos Eligium & Aubertum quarto post obitum anno, Corpus eius quod omninò incorruptum Peronæ deprehendebant, è terrâ subuexisse. Natalem Atrebatenses celebrant nouem lectionibus. Hæc Molanus in Natt. XVI. Ianuarij: Vide eundem pro sanctis Foillano & Vltano 31. Octob. & 1. Maij & Sigebertum ad annum 648. *SS. Foillanus & Vltanus.*

Theodoricus Ecclesiæ summus Pontifex, in cæteris Cerei Paschalis Benedictionem in Sabbatho sancto fieri instituit. *Cereus Paschalis.*

CHRISTI AN. 647. ANNO 647. (Sigeberto 645.) Dagobertus Rex moritur, regnante iam maiore filio eius Sigeberto in Austrasiâ, minore verò Clodouæo succedente in Galliam occidentem. THEOD. PAPÆ AN. 6.

CHRISTI AN. 649. ANNO 649. Martinus Ecclesiæ Romanæ Pontifex creatus, statuit; Ne Clerici comam nutrirent; Vt sponsi & sponsæ, ante carnalem copulam à Sacerdote benedicerentur; ne quis in Diaconum ordinetur, nisi castitatem profiteatur; Ne Christiani Calendas obseruent; Vt omnes Episcopi sacrum Chrisma singulis annis conficiant, & per omnes Diœcesis suæ Ecclesias destinent, aliaque eiusmodi. MARTINI PAPÆ AN. I. *Coma Clerici non nutrienda. Benedictio nubentium. Alia statuta.*

Eadem ferè tempestate Ercanaldus siue Arcanaldus Clodouæi 2. Francorum Regis Palatinus, Duaci sanctissimæ Virgini Ecclesiam, (nunc sancti Amati audit) à fundamentis exædificat; quæ, licet opidum ipsum Flandrensibus adnumeretur, est tamen Atrebatensis Diœcesis & Atrebatium legum municipalis. Idipsum Andreas Hoyus, Græcarum litterarum Duaci Regius Professor, hoc stylo euulgauit: *Licet Duacum vti Flandriæ Gallicanæ membrum, ad Flandriæ Curiam in appellationibus, iurisque summi actionibus perfugiat; Amatenses tamen post sublatum Bellæ-Quercus (qui pagus est Ambianis & Dorlentibus interiectus) tribunal, ab Artesiæ curiâ, ex eiusdem Imperatoris* (Caroli V.) *consensione pendent.* Hactenùs Hoyus libello de Duacensis opidi initijs & progressu. Consule Mariæ Augustæ nostræ Notas ad eiusdem Chronicon; Tilletium, Iperium; Sigebertum. *Duaci Templum S. Mariæ virginis, quod nunc S. Amati vocant, ædificatur. Duacenses S. Amati Canonici ab Artesiæ Curiâ pendent.*

Initia Opidi Duacensis. Ibidem dictus Arcanaldus cum Adalbaldo fratre, Castrum construxerunt, aut certè repararunt. Vnde Chronicon Marchianense: *Eo tempore Adalbaldus Dux, & Erchenaldus frater eius maior natu, readificarunt Duacum Castrum, & infra Castrum ædificauerunt Ecclesiam B. Dei Genitricis Mariæ.* Hæc ibi; nec dissimiliter in Iperij Chronico Bertinico. Vide Mariam Augustam nostram libri 2. c. 16.

CHRISTI AN. 655 *S. Gertrudis.* *Cœnobiū Hamaticense.* *VITALIANI PAPÆ AN. 1.* ANNO 655. Sancta Gertrudis, dicti Arcanaldi & Adalbaldi fratris Auia, & post Rigomari Coniugis mortem, Hamaticensis Cœnobij Fundatrix, tollitur è viuis. Eius corpus post aliquot annos, ex Hamatico, simul cum sanctæ Eusebiæ Proneptis corpore Marcenas, ad S. Rictrudis neptis suæ Monasterium translatum est. Hatta primus Vedastini Asceterij Abbas, temporibus sancti Vindiciani istud officium persoluit. *Molanus in Natt. 5. Febr.*

S. Etto. *Bienuillers pagus Artesiæ* Beatus Etto Hybernorum Episcopus in Gallias, deindè in Belgicam appellens, Agrum Atrebatium, diuini Eloquij Præco illustrauit, villamque quam BIENVILLERS indigetant, Ecclesiâ exornauit, in quâ & beati Clementis Papæ Reliquias sacras recondidit, & iugis Sacrificij Victimam consecrauit. Vndè eo in loco præclara hodieque eius habetur memoria. *Sigebertus & Molanus 10. Iulij vbi plura.*

CHRISTI AN. 657 *Corporis S. Quintini inuentio.* *VITAL. PAPÆ AN. 3.* ANNO 657. Beatus Eligius apud Augustam Viromanduorum, corpus S. Quintini Martyris gloriosissimi inuenit. *Meyerus: Vide suprà ad an. 258.*

12. Monasteria Austrasiæ. Sigebertus Rex, anno Regni sui XI. migrat è viuis, ob pietatem & egregias virtutes inter Diuos relatus. Hic maior natu, minori Clodouæo maiorem Regni partem cessit, bèneque pace vsus duodecim Monasteria in Austrasiâ ædificauit. *Molanus 1. Februarij.*

CHRISTI AN. 660. *Reliquiarum sanctorum abusus punitus.* *VITAL PAPÆ AN. 6.* ANNO 660. Clodouæus Rex, Corpus sancti Dionysij discoperiens minùs religiosè, os brachij eius fregit & rapuit, moxque in amentiam perpetuam incidit. *Aimonius l. 4. c. 41. de rebus Franc.*

CHRISTI AN. 661 *S. Amandi mors.* *VITAL PAPÆ AN. 7.* ANNO 661. Moritur sanctus Amandus. *Vide Meyerum, Molanum, Baronium, Bisciolam.*

CHRISTI AN. 664. *VITAL PAPÆ AN. 10.* ANNO 664. Clodouæus Rex, anno Regni sui 18. diem obit, relictis tribus filijs, Clotario, Childerico & Theodorico. *Surius 1. Decemb. ex S. Audoëno, qui B. Eligij gesta conscripsit.*

AN-

CHRISTI AN. 665. ANNO 665. Sanctus Eligius Nouiomensis Episcopus, Montis illius, non procul Atrebato, sibi cognominus, assiduus cultor; ex mortali carcere ad immortalem cælestis gloriæ aulam, generosus Athleta progreditur. *Baronius in Nott. ad Martyrol. Rom. 1. Decemb. Vide suprà ad an. 635. & Sigeberti Chronicon.* VITAL. PAPÆ AN. 11. *Sancti Eligij mors.*

Eâ ferè ætate S. VVinocus stirpe Regiâ ortus, adhuc iuuenis quùm esset, ad Sanctum Bertinum, Cadauoco, Ingeuoco & Masdoco comitibus accessit; *quos* (scribit Molanus) *quùm sanctus Abbas, sub normâ beati Patris Benedicti, docuisset ferre suaue iugum Christi; & inter ipsa conuersionis primordia, culmen perfectionis iam attigisse miraretur; locum ijs attribuit in Morinorum territorio, qui vsque in præsentem diem* MONS SANCTI-VVINOCI *dicitur; vt cellam illic sacris occupationibus congruentem exstrueret, in quâ se mundo & sibi mundum crucifixerunt.* Hæc Molanus in Natal. 6. Nouemb. De S. VVinoci cœnobio, vide Auberti Miræi Origines Cœnobiorum Belgicæ l. 1. c. 21. Vide etiam hîc infrà, ad ann. 697. & 717. *S. VVinocus.* *Mons S. VVinoci.*

CHRISTI AN. 667. ANNO 667. secundum Baronium in Annal. Clotarius Rex Francorum, quùm regnasset annos 4. ex hac vitâ migrauit. Successerunt in Regnum paternum Theodoricus & Chilpericus fratres. VITAL. PAPÆ AN. 13.

Quo eodem anno Theodoricus Rex, & Ebroinus Equitum magister, homo scelestus & crudelis, comam ponere iussi, Monasterijs includuntur, hic Luxouij, ille ad S. Dionysij Parisiorum.

Leodegarius Augustodunensis Episcopus, Chilperico Regi gratissimus, ab æmulis persuasus, Regem illi infensum necem moliri, illo insalutato secedit ab aulâ, petens Monasterium Luxouiense, vitam ibi Monasticam acturus. Rex re cognitâ mœrens, & ægrè discessum ferens, mittit qui assequantur, per quos deprecans secessionem à sæculo, vix impetrat. *Baronius.*

CHRISTI AN. 668. ANNO 668. Sanctus Audomarus, natione Germanus, patriâ Constantiensis, Morinorum tertius creatur Episcopus, ex Luxouiensi cœnobio, quod B. Columbanus Burgundæ Genti addictus construxerat, euocatus: Quâ in dignitate, *Morinos* (affero Meyeri stylum) *magnâ ex parte in veterem relapsos Idololatriam, summis laboribus ad Orthodoxam reduxit pietatem. Reduxit, inquam; Nam Morini iam tum* VITAL. PAPÆ AN. 14. *S. Audomarus Morinorum Episcopus & Apostolus.*

Imperante Diocletiano, primum Euangelij sementem, à Beatis Fusciano & Victorico acceperant; quibus à Rictiouaro Præside Ambiani Martyrio coronatis, in pristinos errores sensim corruerunt, carentes nimirum ijs, quorum operâ in rudimento fidei confirmarentur. Sic ille lib. Annal. Flandr. primo. Vide suprà ad ann. 258. 284. & 362.

Castrum Sithiense in Monasteriū conuertitur.

Arkæ B. Bertino dantur.

Sanctus Bertinus Sithiense Castrum, Adroaldi Viri Nobilis donum, in cœnobium commutat: cui simul accessere ARKæ, & Poperinga, VValberti Comitis pientissimâ largitione. Et quidem quod ARKAS VValbertus B. Patri Bertino donauerit, Ioannes Iperius Bertinici Cœnobij Abbas & Chronographus (obijt ann. 1383.) sic testatur. *Haugericus vir Illustris, Maior domus Theodorici Regis Burgundorum, filij Hildeberti, filij Sigeberti ex Brunechilde, vxorem habuit Leodegundam; de quâ genuit sanctos Pharonem,* VVALBERTVM, *Anoaldum, & sanctam Pharam. Sanctus Pharo, primò miles, indè Clericus, deindè Monachus, in Resbaco, sub Beato Agilo Abbate, cognato suo, filio Agnaoldi, fratris Haugerici prædicti, deinde Episcopus Meldensis est effectus. Sanctus Anoaldus frater eius, à puero Monachus, ex Luxouio sub Patre Columbano, posteà fit Episcopus in Lugduno Clauato. Sancta Phara ab infantia Virginitatem Deo vouit, in manu sancti Eustathij Luxouiensis Abbatis. Hæc in Sombris prope VVissantum, Monasteriolum ædificauerat; vbi aliquantisper Domino seruiens, morabatur; sed inde ad Calam Monasterium transijt, vbi sub habitu regulari Domino fine tenus inseruiuit. Sanctus autem* VVALBERTVS *successione paternâ Pontiuensis, Ternensis, & Arkensis Comes, vxorem habuit sanctam Ragentrudam; de quâ filium genuit, quem B. Pater Bertinus de sacro Fonte leuans, Bertinum nominauit, & vtrisque pater Confessionum, Verbum vitæ sæpiùs proponebat. Quare* VVALBERTVS *ad B. Bertinum sæpè veniebat audire Verbum Dei, & Benedictionem de eius manu suscipere. Quadam verò die* VVALBERTVS *ad Basilicam Sanctæ Dei Genitricis oraturus accessit; sed insalutato B. Bertino recedens de equo lapsus, fracto crure membrisque collisis à S. Bertino aliquid suâ manu benedictum per celerem nuntium exposcit. Sanctus autem Bertinus direxit ei signatum suâ manu vinum; quo gustato sospes gratias referens, magnam hæreditatis suæ partem Deo & Beato obtulit Bertino;* ARKENSEM *videlicet* VILLAM & COMITATVM *cum omnibus appenditijs eius; & sæculo renuntians, hîc primum*

sub

sub B. Bertino; dein in Luxouio Monachus est effectus sub B. Eustathio. Post quem ipse VVALBERTVS, *immediatè est in Abbatem assumptus; & demùm, vt aliqui referunt, post B. Pharonem fratrem suum, est Meldensis Episcopus sublimatus. Filius verò eius S. Bertinus hîc in Sithiu Monasterio, sub B. Patre Bertino professus, religiosam vitam sancto fine concludens, ad Dominum gloriosè migrauit. Cuius corpus cum corpore sancti Erkenbodonis, & aliorum sanctorum, supra maius altare in Ecclesia Canonicorum S. Audomari repositum veneratur.* Huc-vsque Iperius.

Quod verò Poperingam idem adiecerit, Iacobus Meyerus, & Iacobus Marchantius in suis Flandrijs pariter scribunt; & ille quidem hisce verbis: *Fertur idem VValbertus Poperingam assignasse Diuo Bertino, quod in tabulis confirmationis Caroli Calui, quarum initium est* PRISCIS LOCIS &c. *Purpurningahem appellatur.* Marchantius autem sic: *Poperingh agnoscit Dominatum Abbatiæ Bertinicæ, ex donatione Balduini Securiculæ, vetus VValberti Arkensis potentis Reguli & in Monasterium illud profusissimi, beneficium confirmantis.* *Etiam Poperinga.*

Floret sanctus Lambertus (Landebertum vocat Demochares) 40. aut. 43. Lugdunensium Episcopus ex Artesiæ agro, non procul Teruannâ, Patre Eleberto oriundus. *Vide Molanum in Natt. & Notas Baronij ad Mart. Rom. 14. Aprilis.* *S. Lambertus.*

CHRISTI AN. 670. ANNO 670. aut circiter Renticam seu* Rentiacum, munitissimum in Artesijs, Occiduam versus plagam hodiè Castrum, VVambertus eius loci Comes, annuente Homburgâ Coniuge, atque sancto Bertulpho suadente, siue impellente; cœnobio ad Beati Dionysij honorem, tribusque templis 1. Principis Apostolorum; 2. B. Martini; 3. S. Vedasti memoriæ sacris non mediocriter illustrat. Horum Meyerus ad annum 668. sic memoratur. *Pari enituit sanctimoniâ Bertulphus, cognomine Alemannus, habitans cum VVamberto Comite Renticensi, ad fluuium Ennonam, qui Comes cum Homburgâ vxore nihil prius duxit, quam sacris ditionem suam ædibus exornare; quarum magnam partem aut Petro Apostolo aut Dionysio dicauit.* Sic Meyerus; at Molanus paulò explicatius: *Erant ibi* (scribit) *tunc temporis VVambertus pius Comes, & coniunx eius Homburga, qui eo loci ex proprijs facultatibus, in argumentum Religionis, cœnobium construxerant in honorem Martyris Dionysij & tres Ecclesias, quæ dicatæ sunt Princi-*

Gall. Renty. ADEODATI PAPÆ AN. 2. *Monasterium S. Dionysij Rentiaci.* *Tria ibidē templa construūtur.*

pi Apostolorum, Beatissimo Martino, & sancto Vedasto. In horum famulitium libenter intrauit Bertulphus &c. Hæc Molanus in Natt. 5. Febr. vbi prolixius de sancto Bertulpho.

Quædam difficultates expenduntur.

In quibus discutienda obiter hæc occurrunt. Videri B. Bertulphum non fuisse Abbatem, quia rescriptor eius vitæ, nunquam talem eum vocat, nec talis vsquam dicitur, nec pingitur: quodque Ecclesiarum à Bertulpho constructarum nulla hodiè supersit; solam Beati Bertulphi frequentari.

An S. Bertulphus fuerit Abbas.

Ad primum dico, ex puris negatiuis non concludi. Addo è contra, & dici & legi Abbatem. Dici, immo asseri, ab omnibus id loci incolis & accolis, ex auitâ traditione; quæ nec scripturæ basi, seu testimonio careat; adeoque & legi. Etenim ex vetere Antiphonario M S. Rentiacensis Ecclesiæ discere licet, quòd quùm Morinensis Diœcesis Officium ibi floreret, nec Romanum recens introductum illud suppressisset, in solemniori Beati Bertulphi festiuitate, huiusmodi versiculi solerent decantari.

Omni Bertulphus virtutum laude probatus,
Suscipit Ecclesias prece VVamberti moderandas;
Firmo iure quidem, sibi dux quas contulit idem.
Prælatus verò, tanto reuerenter ab hero,
Non formidari, sed plus quæsiuit amari;
Et curâ vigili Deico præsedit Ouili.

Ad picturam quod attinet, diuersa temporum & pictorum, addo & iubentium est ratio.

Ecclesiarum verò, quas idem Bertulphus ædificauit etiamnùm tertia superest, nempe sancti Vedasti, sed ea lignea, quam populus solet, velut parœcialem frequentare: in qua quotannis, quintâ Februarij, feriâ huic diuo sacrâ, solent mille amplius panes pauperibus dispensari, sumpto ex Bertulphi rebus gestis, quas frequens eius ibi Imago exprimit, exemplo. Etenim ea sic effigiata: Stat sublimi in pegmate, manu sinistrâ librum gestante, dexterâ ad crumenam zonæ appensam admotâ, largásque eleemósynas egenis distribuente. Caput aquila expansis alis tegit; indicio, quòd eum aliquando quùm sc. nondum Monachum induisset, ac Domini sui pasceret gregem, ab ingruente & sæuiente aëris inclementiâ, reddiderit incolumem.

At

At sancti Dionysij Monasterium planè olim dirutum, aliquantisper tamen reuixit, sub ædificio ligneo, in Prioratus titulum degenerans. *Ex literis D. Ioannis de Maigny, S.T. B. eo in tractu Paroeci.*

Sancti Dionysij Monasterium fit Prioratus.

In Cameracensibus B. Maxellendis Virgo, ab Arduino proco suo interficitur. *Vide Molani Natales 13. Nouembris.*

S. Maxellēdis.

HASNONIENSE Asceterium, Atrebatensi, non quidem territorio, verùm Diœcesi complexum, ab Ioanne viro Nobili eiusque tractus in Hannonibus, Toparchâ, & eius sorore Eulaliâ construitur. Id aliquot post annos 2. Kal. Maij B. Vindicianus Atrebatensis Episcopus beato Petro Apostolo nuncupauit. *Iacobus Guisius in Chronico Hannoniæ.* De eius cœnobij institutione versus hi leguntur:

Hasnoniense Monasterium construitur.

Si cupis Hasnonij structores noscere templi;
Hæc metra pertracta, sic succedent tua vota.
Inclyta progenies Eulalia, sicque Ioannes,
Frater hic, illa soror, Germani mente fideli,
Huius præsentis statuunt fundamina templi;
Tunc humanati VERBI *dum voluitur annus*
Qui sexcentenus, quoque septuagenus habetur.
Cunctis expletis aduenit Vindicianus,
Antistes Cameracensis; templumque dicauit
Altithrono Domino, cuius nos lustrat Imago,
Cæli Clauigero, Doctori Gentis amœno.
Desine mirari hîc sexum duplicem famulari;
Namque Ioannis & Eulaliæ præclara propago
Cænobium rexit, cætum super æthera vexit.
Hic locus enituit rigidi seruator honesti,
Vsque dies Carli durans, cognomine Calui,
Induperatoris, Regis quoque Francigenarum.
Ipsius & Coniux Ermentrudis vocitata,
Mundum despexit, Regni fastumque reliquit;
Huic domui sese dedens fit Martha Maria.
Otia sectando pia, diuinisque vacando.
Semine Cæsareo produxerat æquiuocatam,
Formosam natam, meritis tamen vniuocatam,
Quam secum nutrijt consortem Religionis.
Hic spreto Mundo tegitur velamine nigro.
Moribus ornata fuit Abbatissa creata.
Ast eius Genitor post Carolus Induperator

Nota, de duplici sexu hic, [illegible]

Cœnobij, Matris prece, dotes amplificauit. &c.
Vide infra ad an. 1070. & Miræi Origines c. 17.

CHRISTI AN. 671. *Crudelitatis in Regibus præmiū.* — ADEOD. PAPÆ AN. 3.

ANNO 671. Childericus Rex, ob nimiam sæuitiam in Francorum nobiles, eorum animis in se concitatis, a Bobilone, quem seruili supplicio, ad stipitem tentum verberari iusserat, occiditur; & in eius locum Theodoricus surrogatur. Quo audito Ebroinus, ex Monacho Miles, & Magister domus effectus, aduersus eos, quos conatibus suis contrarios passus esset, gladium strinxit. *Baronius.*

CHRISTI AN. 672. *S. Amatus in exilium mittitur. S. Mauronius. Monasterium S. Petri in Minore-villa* — ADEOD. PAPÆ AN. 4.

ANNO 672. Sanctus Amatus Senonensis Episcopus à Theodorico Rege in exilium relegatur, idque irreuocabile, vt notat Sigebertus, & caussâ non discussâ addit Molanus. Quamobrem Peronnæ exulauit, vsque ad Vltani Abbatis obitum: hinc beato Mauronto commendatus primùm* Hamatici vixit, vbi SS. Gertrudem & Eusebiam Antistitas sepeliuit. Postmodùm rogatus à B. Rictrude, eiusque filio iam dicto Mauronto, Monasterij sancti Petri, quod Broyli in proprio fundo struxerant, regimen suscepit. *Vide Molanum varijs locis Natalium Sanctorum & infra ad ann. 690.*

* De Hamaticensi Monasterio, vide Miræi Origines.

CHRISTI AN. 676. *Liderici Flandriæ Saltuarij primi obitus. Eiusdem liberi. Iustitiæ Patris in Filium exemplū.* — DOMNI PAPÆ AN. 1.

ANNO 676. aut circiter, (Oudegherstius anno 692. scribit) LIDERICVS BVCANVS primus Flandriæ saltuarius, arcessente morte naturæ debitum soluit: susceptis ex Rithilde al. Rothilde, Coniuge, Dagoberti Regis sorore, Clotarij filiâ, hisce liberis; quorum

Primus dictus est *Iosseranus*, cui Digeonense Dominium obtigit. Is Patris iussu capite plexus est, quod per vim aliquot poma cuidam mulierculæ abstulisset: nec vllam pecuniam numerasset factum Tornaci:

2. *Antonius*, secundus Flandriæ Saltuarius, idemque Neruiorum Dynasta.

3. *Bochardus* seu *Burchardus* (nonnullis *Libochartius*) Grudiorum Dominus; qui ex Heluuide, Pipini Crassi, cuius partes contra Bertarium adiuuerat, consanguineâ, Estoredum Liderici Harlebecani, tertij Flandrorum Saltuarij Patrem produxit. De Burchardo sic in scriptis reliquit Iustus Lipsius: *Viuente Pipino aiunt Flandriæ Annales Burchardum; Liderici primi Forestarij filium, Comitem Louaniensem fuisse; eique successisse filium Estoredum quem Vandali & Hunni Louanio expulerunt. Hæc euenisse*

se aiunt annis 647. & 737. sed me nonnihil ambigente, nec vndique huic narratiunculæ assentiente. Hæc ille in suo Louanio l. 1. c. 8.

4. *Balduinus*, Ambianensis
5. *Eliamus*, Atrebatensis;
6. *Leonellus*, Viromanduorum;
7. *VValleramus*, seu *Gallerandus*, Noyellæ, al. Nigellæ;
8. *Amauricus*, Buci;
9. *Saladranus*, Sithiensis;
10. *Baudrisius*, Duacensium;
11. *Magniferus*, Ariensium;
12. *Godefridus* Gandauensium;
13. *Garimedes*, Brugensium;
14. *Gordianus* Harlebecæ Regulus.
15. *Lidericus*, qui iuuenis non procul Lutetiâ Parisiorum, a Saracenis cæsus occubuit.

Duæ etiam memorantur eiusdem Liderici Bucani filiæ, quarum nomina silentur. Atque hæc quidem desumpsimus ex pręgrandi Flandriæ & Artesiæ Chronico MS. Ludouici Bresinij; & Cornelij Martini Genealogijs Saltuariorum & Comitum Flandriæ, non ita pridem, iunctis singulorum iconibus, euulgatis, & Princip. oblatis. Aliquid etiam ex libro 2. Flandriæ Marchantianæ.

ANTONIVS BVCANVS.



NTONIVS BVCANVS Liderici secundogenitus, atque secundus Flandriæ Saltuarius, paternâ successione institutus, huiusce dignitatis titulum quandiù portauerit, est ignotum: notum tamen, quod eo defuncto, Danorum Hunnorumque incursionibus Flandria deuastata, Forestario caruerit, advsque LIDERICI HARLEBECANI, alterius Bucani ex Estoredo, Libochartij * (cuius is Lidericus Bucanus pater erat) filio, Pronepotis ætatem; qui demùm à Carolo magno auitam recepit dignitatem. *Marchantius*; *Oudegherstius in Fland. Chronico*; *Bresinius*; *&c. Vide infrà ad annum 792.*

* al. Bochardi.

Itaque deinceps ad vsque dictum Lidericum Harlebecanum, secundum Gallicanorum Regum Seriem, Chroni-

con nostrum concinnabimus.

Aria Artesiæ opidum muris cingitur. Templũ B. Iacobi, ibidem; hodiè S. Petri.

Porrò Antonius, in cæteris præclarè gestis Ariam* (al. Aëriam) perelegans hodiè Artesiæ opidum honorandi tumuli Patris sui ergo, qui eo in loco quiescebat, fossâ & mœnibus primus cinxit; atque Templum Beato Iacobo Maiori Apostolo sacrum erexit; quod deindè faciente Balduino Lilano, Flandriæ Comite, Sancti Petri nomen accepit, atque hactenùs seruauit. *Bresinius. Vide infrà ad ann. 1064. 1174. & 1186.*

* Gall. *Aire.*

CHRISTI AN. 680. *S. Austreberta.*

ANNO 680. Sancta Austreberta moritur. *Hæc Virgo* (scribit Molanus) *Teruanensi territorio exorta, cùm eam Parentes carnali marito tradere vellent, fugit per flumen quod Quantia* * *dicitur, ad Episcopum suum Audomarum, magni apud Deum meriti, sacro velamine consecranda. In fugâ, ponte per inundationem submerso, cum comitibus illæsa super aquas ambulauit. Audomarus autem eam consecratam, ad parentum ædes reduxit, delinitis eorum animis. Posteà relictis Parentum ædibus, petijt in Monasterio aliquo sacris sociari sororibus & sub potestate alterius viuere. Vnde à Parentibus est perducta ad Monasterium Sommonæ adiacens, quod Porcus dicitur. Indè autem Fama sanctitatis eius peruenit ad Philibertum Gemeticensem Abbatem: qui voluit, vt in Pauliaco Monasterio à se constructo, Dei famulas regeret. Quo in loco, reliquum vitæ suæ sanctissimè exegit.* Hæc ille in Natt. 10. Febr.

* Gal. *Canche.*



SAL-






SALTVARIORVM FLANDRIÆ INTERRVPTIO, ET AD GALLIÆ REGES CHRONICI HVIVS REDVCTIO.

THEODORICVS GALLIÆ REX.

Christi An. 682.



ANNO 682. THEODORICO REGE, annum imperij sui duodecimum agente, Sancta Bertha * Blangiacense * Monasterium in S. Pauli territorio construere aggreditur, loco per Angelum super Thenam* fl. diuinitùs commonstrato; in quo Religionis habitum ipsa fundatrix (quippe Sigifridus maritus, Theodorici Regis consanguineus iam antè obierat) quadraginta annos nata cum Gertrude & Deotilâ filiabus suis accepit. Fuit itaque Blangiacense Cœnobium principiò sacrarum Virginum domicilium, quod quidem à Normannis vastatum Monachi Benedictini, Balduino Barbato Comite Flandris imperante, sumptibus Hersendis piæ ac diuitis fœminæ instauratum ingressi sunt. *Ex eius vitâ MS. quæ penes me est. Vide Molanum in Natt. 4. Iul. Miræi Origines c. 18. Mariæ Augustæ nostræ librum 3. c. 66. & hîc ad ann. 721. 1031. 1139. & 1591.*

*1. Fulgida, siue Splẽdida. * Gal. Blangy. * Gal. Ternois.*

Sede vacante. S. Bertha. Blangiacensis Monasterij initia.

Sanctus Leodegarius Augustodunensis Episcopus, ab Ebroino capitur, & cum Fratre suo Gerino grauiter affligitur. Gerinus non multò pòst, lapidibus obruitur. *Sigebertus ijsdem verbis.*

Gerinus S. Leodegarij frater occiditur.

In Gallijs Concilium Generale Rothomagense celebratur, sub Ausberto eiusdem Ciuitatis Episcopo, cui B. Audomarus Morinorum Pontifex interfuit. *Baronius.*

Conciliũ Rotomagense.

Christi An. 685.

ANNO 685. Sanctus Leodegarius in agro Atrebatensi per Ebroinum, Domus Regiæ Maiorem, Martyrio coronatur. De quo Sigebertus: *Sanctus Leodegarius* (scribit) *diù ab Ebroino tormentatus, post famem & carceris squalorem, post*

IOANNIS QVINTI PAPÆ AN. 2.

S. Leodegarius Martyrio coronatur.

oculorum euulsionem, post plantarum concisionem, post linguæ & labiorum excisionem, tandem consummauit Martyrium per capitis abscißionem. Hæc Sigebertus; Molanus verò prolixius hâc methodo: *Ebroinus magnæ impietatis homo, propter suam tyrannidem tonso capite, reclusus in Luxouio Burgundiæ Monasterio. Sed coortâ seditione priorem gradum inuasit. Et æstimans se memorati Pontificis factione, ab antiquâ potestate deiectum, crudelissimis tormentis eum affecit. Post famem enim & carceris squalorem, post oculorum euulsionem, post plantarum concisionem, post linguæ & labiorum excisionem, ne coronâ frueretur Martyrij, velut truncum reddidit VVaningo. VVaningus autem in suæ fundationis Monasterio gloriosum Confessorem multis diebus fouit; vbi excisa lingua suum recepit officium, & magnum doctrinæ semen sparsit in populo. Vnde Ebroinus dum sibi ignominiam, Beatißimo autem Leodegario vidit gloriam augeri, tandem decollari eum fecit in loco Atrebatensis territorij, qui dicitur silua* Sancti Leodegarij &c.* Hactenus Molanus in Natt. 2. Octob. cui consentiunt Iperius; Baronius quùm in Annal. tum in Nott. ad Martyrol. 2. Octob. Monn. MSS. Atrebat. Eccl. & Cœnob. Vedastini &c.

* Gal. Le bois S. Legier.

Porro in dicto Beati Vedasti Monasterio, ad sacrarij ingressum marmor candidum hodieque visitur; super quo in famâ est Leodegarij oculos fuisse effossos & fidem auget hoc distichon, quod iuxta in pariete legitur:

Lux Leodegarij super hunc lapidem terebrata,
Vi fuit Imperij Theodorici penetrata.

CHRISTI AN. 686. Cœnobiũ S. Ioannis iuxta Teruannam.

CONONIS PAPÆ AN. 1.

ANNO 686. Theodoricus Rex, in partem expiationis fœdissimæ necis, cuius conscius erat, B. Leodegario illatæ, cænobium B. Ioanni Baptistę sacrum non procul Teruannensi oppido exædificat. *Miræus in Originibus Cænob. Belg. c. 19, Vide infrà ad an. 1090. 1553. & 1590.*

CHRISTI AN. 687. Translatio corporis S. Vedasti.

CONONIS PAPÆ AN. 2.

ANNO 687. CORPVS BEATISSIMI VEDASTI APOSTOLI ATQVE TVTORIS NOSTRI, ex Cathedrali tẽplo, in locum quem meditationibus sublimioribus extra vrbem idoneum viuus elegerat, structâ inibi prius per B. Aubertum Episcopum sacrâ æde, adiuuantibus Lamberto Leodicensi, & Audomaro Teruannensi, alijsque sanctis Episcopis transfertur. Audiamus Alcuinum, siue Albinum in vitâ MS. beati Vedasti, ad Raddonem, XI. Vedastini cœnobij Abbatem conscriptâ: *Autbertus, vt relatione maiorum cognouimus, & vt innumerabilium hominum ore*

versatur, & quod oculis etiam factum probamus; dum quadam die in mœnibus consistens, rubente Aurorâ Orientem versus intenderet, vidit eminùs trans fluuiolum, qui Crientio vocatur, virum præfulgidum, virgam manu tenentem, basilicæ locum metiri. Quod ille cernens, reuelante Deo visionem cognouit Angelicam, ostensumque est illi, beatum illuc Vedastum, annuente Christo sine dubio transferendum. Quâ reuelatione certior factus, inuitauit ad tantum opus beatum Audomarum, qui eâ tempestate Taruennæ Morinorum Vrbis Episcopus, in Dei rebus magnificus habebatur; qui licet iam senio pressus, & amissione luminum debilior videretur factus; animum tamen, ut arcum habens spiritali studio intentum, illicò promptiùs Christo gressus regente festinus, ad venerabilem peruenit Autbertum. At ille quid animo gereret, & quid sibi diuinitus ostensum esset referens; pari voto communique consilio, cum magno populorum gaudio, qui vndique confluxerant, ad locum designatum, B. transtulerunt Vedastum. In quâ translatione perhibetur B. Audomarus lumen recipisse * oculorum; sed illicò precibus, eandem quam vltroneus ferebat, reimpetrasse cæcitatem &c.* & paulo post: *Est autem locus ipse non longè ab eadem vrbe, qui pro nobilitate sui Nobiliacus primò est appellatus; sed procedente tempore, tam insignis effectus, vt Vrbis * nomine, quæ iam ruinis crebrioribus penè obsoluerat vocetur.* Hactenus Alcuinus, Caroli magni Præceptor; qui & hos versus beati Vedasti tumulo apponendos, eidem Raddoni transmisit.

*vl. Criecio. Gal. Crinchon.

S. Audomari cæcitas sanata, reddita.

* Eo, vt fertur, in loco, vbi hodie parœciale Templũ B. Auberto sacrũ.

* Hinc collige Atrebatensis oppidi ab Ciuitate distincti antiquitatem. Alcuinus namque horum scriptor, & ann. 804. vitam terminauit. teste Baronio in Annalibus.

Epitaphium S. Vedasti.

Hic Pater egregius Vedastus corpore pausat,
Cuius honore sacro hæc domus alma micat.
Fulcitur tanti meritis per sæcla patroni,
Per quem multa Deus signa salutis agit.
Qui sacra Celsithroni viuens vestigia Christi,
Linguâ, mente, manu, namque secutus erat.
Multiplicauit opes bis quinis forte talentis;
Nec data marsupijs lucra ligauit iners.
Audiet idcircò vocem mox Iudicis almi,
Intra nunc Domini gaudia sancta tui.

De eiusdem sancti Pignoris Translatione, etiam sic loquuntur Ecclesiæ Atrebatensis tabulæ: *Corpus eius in Ecclesiâ Atrebatensi, vbi Pontificalis Cathedræ fungebatur officio tumulatum exstitit honorificè, multis postmodùm coruscans miraculis; iacuitque ibidem annis circiter 118. Dehinc a beato Auberto & Audomaro Episcopis translatum exstitit in locum ab Angelo*

denotatum, vbi nunc veneratur; Capite tamen; nec non brachio eius dextro in Ecclesiâ Atrebatensi meritò reseruatis. Hactenus ibi: & in serie Abbatum Vedastinorum etiam id lego: *Diuus Autbertus Septimus ab eo* (sc. Vedasto) *Episcopus, vtrique Ecclesiæ & Atrebatensi & Cameracensi communis, centesimo duodeuigesimo, ab acceptâ sepulturâ in templo Diuæ Virginis Mariæ; anno, qui erat Christi, 687. tandem vt eo* (sepulturæ loco) *potiretur, effecit; hucque translatum Diuum Vedastum voti compotem reddidit, structâ hîc æde sacra, cuius paucis ante mensibus, ab Angelo metari locum, designarique aream viderat. Tum etenim præsenti miraculo adductus; hanc ædem sacram D. Vedasto excitauit; Monasterium erexit; adductâque huc monachorum coloniâ, euecturus erat dicatum Virtuti D. Vedasti Mausoleum, ad supremum decus; nisi eam gloriam præmatura mors ipsi inuidisset, spemque tanti consilij elisisset.* Sic ibi; nec hinc recedit Chronographus Cameracensis, vt legere est in Miræi Originibus. Verùm enimuerò, quod ad Translationis tempus attinet, reluctantur Sigebertus atque Demochares, eamque ad annum 658. contrahunt; quæ tamen eorum sententia sistere lectorem non posse, hinc apparet, quod sacro huic ministerio beatus Audomarus iam tum Morinorum Episcopus interfuerit. At quî interfuisset, si demùm anno 668. in eam fuerit assumptus dignitatem? Accedit, quòd vti iàm probatum est, beati Vedasti corpus 118. annos ad maius Cathedralis templi altare quieuerit. Quùm itaque in annum 570. eius contigerit obitus; non video absurdum, si rem gestam hac tempestate concludamus. De eadem Translatione scripserunt Molanus in Natt. 6. Febr. Bresinius & Gemblacensis Chronographus in hoc peccans, quod eam tribuat sancto Vindiciano beati Auberti successori. Hinc ob illam loci designationem, Ascetæ in diuino officio cantare soliti: HIC EST BEATVS VEDASTVS, CVI TEMPLVM FIERI AB ANGELIS IVSSVM EST HOMINIBVS.

Monasterium Vedastinum erigitur.

Quæstio de translatione corporis S. Vedasti.

Eodem tempore sancta Rictrudis Princeps Duacensis, fato concedit. *Meyerus & Francisc. Balduinus in Artesiæ Chron. MS.*

S. Rictrudis.

CHRIST. AN. 688.

ANNO 688. Ebroinum tyrannidis sceleribus inspersissimum Ermenfridus vitâ exuit, & in Austrasiam ad Pipinum se recipit. *Sigebertus & Iperius.*

Ebroinus tyrannus interficitur.

SERGII PAPÆ AN. 1.

Addit

Addit Ado Viennensis eius animam à quodam, cui lumina effoderat, oranti visam ad pœnas trahi. Eiusdem meminit *Baronius in Annal. ad an. 687.*

CHRISTI AN. 690. SERGII PAPAE AN. 3.

ANNO 690. Beato Auberto ad cœlestem gloriam ex mortali carcere euocato, Sanctus Vindicianus illi in Atrebatensem Cathedram surrogatur. Est quidem de inaugurationis eius tempore non vna opinio. Ipsa Principis Ecclesiæ vetera monumenta produnt Sedem ingressum, anno supra septingentesimum vicesimo septimo. Demochares autem ad annum, 670. reuocat. Cæterùm retuli ad annum 690. tum quia communior est sententia; & Monasterij Eligiani (in quo sepultus olim Vindicianus, magno honore hodie colitur, Corpusque sacrum asseruatur) veteres tabulæ ita omninò habent; nec dissonant Vedastina monumenta, quibus etiam subscripsit Franciscus Balduinus in Artesiæ Chronico: tum etiam, quia in archiuis Atrebatensis Ecclesiæ legitur quòd Sanctus Vindicianus acceperit a Ioanne Pont. Max. quædam specialis libertatis diplomata. Signo verba: *Memoratus Sanctus Episcopus quædam priuilegia specialis libertatis & immunitatis super prædictas Ecclesias, à Ioanne Romano Pontifice, consensu præfati Domini Regis Theodorici, impetrauit.* Sic ibì: atquì nullus Ioannes Romæ sedit ab obitu Ioannis septimi, qui contigit anno 707. ad annum vsque 873. quo Ioannes Octauus in Summum Pontificem est assumptus, Baronio teste in Annalibus. Quì ergo potuit Sanctus Pontifex immunitatis litteras a Ioanne Papâ impetrare, si in annum 727. protrahenda sit eius ordinatio? Et quomodo Theodorici Regis assensu, vt ibidem legitur, quem constat anno 694. diem suum obijsse? Atque hæc quidem examinandæ studio veritatis.

Varia sententia de tempore inaugurationis S. Vindiciani

Cæterùm ad res à Beato Vindiciano præclarè gestas vt veniamus: Ioannes Molanus quùm in Indiculo tum in Natalibus Sanctorum Belgij, vndecimâ Martij, sic loquitur: *Plebem suam multitudinis numerosæ, creberrimis prædicationibus conuertit, ad exsequendam normam vitæ melioris. Ecclesiam Dei Genitricis Atrebatensem, ex rebus proprijs, vnà etiam cum Rege Theodorico, augmentauit villis, Ecclesijs, terris, molendinis, alijsque subsidijs. In villâ* HVNOLCOVRT *Sedis Cameracensis, cum preciosissimo Martyre Lamberto* (passus est anno 698.) *Monaste-*

Theodorici Regis in Atrebatensem Beatæ Virginis Ecclesiam liberalitas.

Hunolcurtense Cœnobium.

rium consecrauit, ad laudem Dei & venerationem sancti Petri, ibique Clericos & Sanctimoniales constituit. Hactenùs Molanus: Cathedralis autem Ecclesiæ monumenta paulò apertius hoc stylo: *Sancto Vindiciano interueniente, præfatus Rex, ad vsus Canonicorum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Atrebatensis, villas* BASSEVX, FRESNICOVRT, AYX, *iuxta* FAMPOVX ET BOYELLE, *cum omni libertate concessit.* Hæc ibi.

Nota, de duplici sexu hic, vt sæpè alibi.

Eiusdem liberalitas in S. Vedasti Atreb. Monasterium.

Quid autem ipsis Vedastinis ab eodem Rege? Et Vindiciano hortatore atque impulsore, id quàm maximè curauit, vti quantus ijs rerum temporalium parens haberi optarit, sera posteritas loqueretur; quæ æternùm starent pœnitudinis suæ, ob sancti Leodegarij necem, gloriosum monumentum. Audiamus de vtroque; Vindiciano, inquam, & Theodorico, quid habeat Vedastini Monasterij Chronicon: *Præclarum hunc conatum morte pijssimi Patris* (S. Auberti, de quo ad annum 658.) *collabentem D. Vindicianus, Diuo suffectus Autberto, anno circiter 690. voti vt dignitatis hæres & æmulus, erexit. Postea magno cum fœnore, dum lucis ereptæ illatæque necis D. Leodegario conscium Theodoricum, sententiâ Præsulum Gallicanorum damnatum, commissumque sibi pœnitentiâ mulctandum, adduxit ad perficiendum, ornandum, locupletandum, ad iustamque amplitudinem euehendum hoc Monasterium; quod fœlicibus auspicijs D. Autberti cœptum, præcipitata eius mors, ne planè efficeretur obstiterat. Assensus Vindiciano Theodoricus, peramplum Monasterium ornauit ædibus, auxit diuitijs, euexit priuilegijs, abdicato à sese omni in id Regio iure. A quo ne omni ex parte Vindicianus, huius rei auctor vinceretur, ipseque dati beneficij (cuius in alio auctor) expers omninò existeret; aut turpe ratus auctorem vinci ab eo, qui sequebatur auctoritatem, vtque nonnullâ saltem ratione, cum Rege beneficio certaret; exemptionem plenam concessit Vedastinis: neque ad id in propriâ acquiescens auctoritate, profectus ipse Romam, se omni curâ abdicauit Monasterij Vedastini, eamque reijciens in Summum Pontificem, curauit ab eo hoc Monasterium in clientelam assumi, darique perpetuæ immunitatis & exemptionis amplissimum diploma.* Hæc ibi.

Hatta primus Vedastini Monasterij Antistes.

Quæro iterùm: Ecquis & vnde tanto loco regundo primus Abbas accitus? *Hatta* (vt ibidem legitur) *Monachismum Gandaui, in monte Blandinio complexus, ad exemplum multò sanctissimorum Patrum amatorum professionis Monasticæ, vitam componens secutus imprimis vestigia S. Amandi, primi*

eius domus conditoris; quùm multos instituto æquales, commendatione pietatis atque virtutibus antèiret, latè diffusâ famâ, Theodorico notus, huc ab eo accersitus, Abbas nouello gregi datus est: quem, inauguratus à B. Vindiciano, ita gessit, vt non immeritò percelebri huic Præsulum Ordini, Dux quidam atque Antesignanus credatur designatus. Sic ibidem.

ORDO SIVE SERIES ABBATVM MONASTERII S. VEDASTI.

PRIMVS Hatta.
2. S. HADVLPHVS.
3. Madebaldus.
4. Ragenfridus.
5. Gossilenus.
6. Guido.
7. Romanus.
8. Adalricus.
9. Sigibertus.
10. Radfridus.
11. Raddo.
12. Adalongus.
13. S. FVLCO; hoc ordine secundùm eius loci Chronicon.
14 Madfridus.
15. Rotholdus.
16. Adalardus.
17. Carolus Caluus Rex.
18. Hugo.
19. Hugo 2.
20. Rodulphus.
21. Balduinus Caluus Comes.
22. Alchmarus.
23. Adelelmus.
24. Arnulphus Comes.
25. Hugo 3.
26. Hugo 4.
27. Hildebrandus.
28. Framericus.
29. Malfridus.
30. Fucardus.
31. Richardus.
32. Matholdus.
33. Leduinus.
34. Ioannes.
35. SANCTVS POPO.
36. Balduinus Pius Comes.
37. Adelelmus.
38. Herchenboldus.
39. Adalardus 2.
40. Adloldus.
41. Henricus.
42. Galterus.
43. Guerricus.
44. Martinus.
45. Henricus 2.
46. Ioannes 2.
47. Ioannes 3.
48. Ioannes 4.
49. Henricus 3.
50. Raimundus.
51. Odo.
52. Ioannes 5.
53. Martinus 2.
54. Hugo 5.
55. Paulus.
56. Simon.
57. Garinus.
58. Rodulphus 2.
59. Petrus.

60. Nicolaus.
61. Eustathius.
62. Ioannes 6.
63. Ludouicus.
64. Robertus.
65. Ioannes 7.
66. Sigerus.
67. Ioannes 8.
68. Ioannes 9.
69. Carolus.
70. Robertus 2.
71. Iacobus.
72. Martinus 3.
73. Hieronymus.
74. Rogerius.
75. Thomas.
76. Ioannes 10.
77. R. D. Philippus Cauerelius hodieque superstes.

De singulis agemus suis tempore & loco.

S. VVillibrordus.

SANCTVS VVILLIBRORDVS, Frisiæ Apostolus, ex Hyberniâ in Belgicam appellit. De illo Gaspar Bruschius, tractatu de Monasterijs Germaniæ, in Epternacensi, sic disserit: *Epternacum opidum hodiè Abbatis est, situm inter Treuirorum Augustam & Lutzemburgum, Diœcesis Treuirensis. Hîc Monasterium celeberrimum Epternacense, conditum anno Domini 696. precibus Domini VVillibrordi ab Pipino Seniore, Francorum Duce, eiusque coniuge Dominâ Blitrude & eorum filio Carolo Martello, adiuuante Irminâ Abbatissâ, & fundatrice Treuirensis Horrei, quod idem Cœnobium est. Fundator in diplomate sic sese scribit:* PIPINVS ILLVSTER VIR, DVX, FILIVS ANAGESILI QVONDAM, ET ILLVSTRIS MATRONA MEA BLITRVDIS, FILIA HVGOBERTI. *Abbas huius Epternacensis Monasterij tantâ floruit antiquitus potentiâ, vt 22. Arces vicini Ducatus Lutzemburgensis sub se haberet, omnes excepto Lutzemburgo, quod in S. Maximini Treuirensis fundo situm fuisse legitur. Opidum Epternacum situm ad Suram amnem, mœnibus & fossis munitum. Primus hic Abbas erat VVillibrordus ipse Episcopus Traiectensis. Venit ex Hyberniâ Traiectum anno Domini 690. ætatis suæ anno 32. Natus erat anno Domini 658. Ordinatur Episcopus ab Sergio Ro. Pont. Anno 694. Iuuante & petente Pipino Duce, ipso die S. Ceciliæ fundat Epternacense Cœnobium anno 696. cui præsidere cœpit primus Abbas anno 698. præfuit vnà cum Episcopatu annos 41. Obijt anno Domini 739. ætatis suæ anno 81. Sepelitur splendidè in eodem Monasterio suo Epternacensi &c.* Vide Miræi Origines Cœnob. Belgicæ c. 22. Molan. in Natt. 7. Nouemb.

Broyli, Sanctus Amatus, Senonensis Episcopus vitæ

periodum excipit. *Eius Corpus* (scribit Molanus) *sed & ferri pondus, quod ad collum gestauerat, multis miraculis claruerunt. Quibus auditis Theodoricus Rex, ad sepulcrum veniam perpetrati in eum facinoris flagitauit, & multas possessiones, ad alimoniam Seruorum Dei eidem contulit. Maurontus verò ad honorem eiusdem Præsulis, sui etiam Patrimonij multa prædia, per chartarum instrumenta assignauit. Præterea, haud longè à B. Petri Ecclesiâ, aliam Deiparæ construxit Basilicam; ad quam diuinitùs monitus, cum Sancto Baino Morinorum Episcopo Beati Amati reliquias transtulit.* Hæc Molanus 13. Sept. Vide suprà ad ann. 672. & infrà ann. 872. & 874.

S. Amati mors.

Ecclesia B. Virginis Mariæ in Minore-villa.

CHRISTI AN. 691

ANNO 691. S. Mommolenus B. Bertino familiaris, & in eius Asceterio Monastices Regulam professus, posteà Abbas à B. Audomaro creatus, inde Nouiomensis Episcopus, vitam cum morte commutat. *Molanus 16. Octob. vbi plura.*

SERGII PAPÆ AN. 4.

S. Mommolenus.

CHRISTI AN. 694

ANNO 694. Rex Theodoricus vitæ muneribus defungitur. Iacet in B. Vedasti Atrebatensis amplissimo templo, ad Chori dexteram, non procul principe altari, magnifico Mausolæo cum Dodâ coniuge conspicuus: in cuius latere sinistro id Epitaphij cernere est:

SERGII PAPÆ AN. 7.

Theodorici Regis mors.

Eius Epitaphiū.

Rex Theodoricus ditans vt verus amicus
Nos ope multimodâ, iacet hîc cum coniuge Dodâ.
Regis larga manus & Præsul Vindicianus,
Nobis Regale dant & ius Pontificale.
In decies nono cum quinquagies duodeno
Anno, defunctum sciet hunc qui quattuor addet.
Qua legis hæc horâ, Dominum pro Regibus ora,
Muneribus quorum stat vita Dei famulorum.

CLODOVÆUS TERTIUS REX.

EXTINCTO Theodorico, Gallis Rex datur CLODOVÆUS; qui annos ferè quatuor imperauit: quāquàm, vt verius dicā, deinceps Francorum Regnum administratum fuerit per Domus Maiores, vt vocant, vsque ad annum 750. ipsis Regibus genio & voluptati solūmodò indulgentibus. *Baro.*

Sanctus Bertinus Rigobertum sibi substituit Abbatem, qui quamquàm pauco tempore, eleganter tamen strenué-

que Prouinciam sibi datam sustinuit: *Donec* (scribit Iperius) *ob corporis grauedinem & contemplatiuæ vitæ studium, ab eodem Bertino, indulgentiam & requiem suis temporibus impetrauit.* Hinc Erlefridus tertius Abbas ab eodem Bertino creatus est, vir eius muneris dignissimus.

Missa Defunctorum an pro viuis dicenda.

Toleti Concilium 17. celebratur, in quo sublatus est error ille perniciosus celebrandi Missam defunctorum pro aliquo viuente, cui ex odio mortem quis optaret. *Baronius*

CHRISTI AN. 695. — SERGII PAPÆ AN. 8.

S. Audomarus moritur.

ANNO 695. Beatus Audomarus, tertius Morinorum Antistes, communem omnibus mortis viam ingreditur, æternæ vitæ gloriam capessurus. *Sigebertus, Iperius, Meyerus, Baronius, Molanus, Bresinius,* &c. Molani sunt verba: *Obijt in villâ VVarantis* suæ Diœcesis; & à Reuerendissimo Abbate Bertino sepultus est in Monasterio siue Ecclesiâ sanctæ Mariæ in* SITHIV: *qui locus olim erat lutosus portus. Nunc verò celebre & bilingue Artesiæ opidum, quod hæres est nominis sancti Audomari, & Imaginis ipsius in Sigillo negotiorum; Frandricè* SINT OMEER. *Natalem habet ab Vsuardo notatum die nonâ Septembris. Legitur etiam, duodecimo Calendas Nouembris; Inuentio S. Audomari Episcopi Morinensis: & sexto Idus Iunij, Monasterio* SITHIV, *Relatio siue Translatio S. Audomari Episcopi, quando S. Folquinus Corpus eius, fugato Hugone Abbate, à* LESBOVRG* *retulit anno 843. & in* SITHIV, *iuxta Corpus Beati Bertini, sub terrâ recondidit; vbi per multos annos homines quidem latuit; at reuelatus est, vbi Dominus voluit.* Hactenùs Molanus, & conformiter Bresinius. Verùm de his infrà, suis locis fusiùs.

Sigillum Audomarensium. *S. Audomari inuentio.* *Translatio.*

* Gal. *VVaurāt.*

* Vulgò *Lisbourg* pagus est in S. Pauli Comitatu, Lisæ fluu. origine celebris, a quo id nominis mutuauit.

Sancto Audomaro in Pontificalem dignitatem successit Drancius, aliàs Diancius.

CHILDEBERTVS REX.

CHRISTI AN. 697. — SERGII PAPÆ AN. 10.

ANNO 697. Clodouæus Rex, ætate adhuc puer morti concedit, CHILDEBERTO Fratre in Regnum succedente.

Monasterij S. VVinoci initia.

Hademarus (sic Molanus, Meyerus Heremarum vocat) virtute & opibus non modicè auctus, Beatum Bertinum hæredem scribit prædij VVOROMHOLT vocati, ad Penam* fluuiolum, in Morinorum atque Flandrensium confinio collocati; quò mox sanctus Bertinus Beatum VVinocum, adiunctis Collegis legat;

* Flandricè *Peene*, a pago cui id nomen, & in quo eius origo.

legat; vt positis ibi ædibus, Christus in pauperibus excipiatur, & monasticus Ordo excolatur. *Molan. in Natt. 5. Sept.*

CHRISTI AN. 698.

ANNO 698. Sanctus Bertinus vitæ mortalis epilogum subit, perenniorem orsurus; ac in Sithiensi Asceterio sepulturæ traditur, postquàm diutissimo tempore fœlix Antistes monachis imperasset. De cuius obitu sic Iperius: *Condigna sancti viri Bertini laboribus, expendere Christus præmia volens, vocatum ad se transire fecit plenum dierum perfectorumque meritorum. Quem Erlefridus & Monachi, cum honore, vt tantum decebat Patrem, conditum sepelierunt hîc in Monasterio suo proprio* SITHIV, *quod ipse fundauerat, in quo fuit ipse primus sepultus. Ex quo clarè conuincitur ipsum beatum Patrem Bertinum in hac Monasterij sui fundatione multum ac diligenter insudasse seu laborasse. Nam locum quem à principio sic paludosum inuenit, vt sepulturæ non esset idoneus, & ideò Atrium in Arce villæ a beato Audomaro consecrari impetrauit.* Et paulo post: *Transijt autem idem Athleta Domini Nonas Septembris, an. 698. ex quo Monasterium suum fundauit in veteri Monasterio, 73. anno verò à sui Monasterij fundatione in hoc loco 59. ætatis verò suæ 112. &c.* Huc vsque Iperius: Consonant Sigebertus, Meyerus, Bresinius, in Chronicis; & Molanus in Natt. 5. Sept.

SERGII PAPÆ AN. 11.

S. Bertinus moritur.

Cœmiterium primum Audomarensium.

Aetas S. Bertini.

Huius Monasterij 25. Ascetas Sanctos (& plures fortassè) Ecclesia celebrat; atque ab eodem orta quatuordecim eiusdem Ordinis Monasteria. *Iperius & Molanus in Indiculo.*

25. Monachi Bertinenses sanctitate clari.

14. Monasteria ex Bertinico orta.

Sanctorum, licet locis proprijs dicendorum, subtexam hîc Catalogum.

SANCTORVM ET BEATORVM SERIES, QVOS BERTINENSE *Monasterium produxit.*

1. SANCTVS BERTINVS cœnobij sui parens & primus Abbas; obijt anno 698.
2. S. BERTRAMNVS, sancti Bertini socius in prædicatione & omni sanctâ functione.
3. S. VVALBERTVS, Comes Arkensis, resignato Comitatu suo in Bertinicæ familiæ vsum, à sancto Bertino in Monachum susceptus, sed obijt Abbas Luxouiensis.
4. S. BERTINVS paruus, filius sancti VValberti, qui patris exemplo, eodem tempore, a sancto Bertino, Religiosus factus est.

5. S.

5. S. MOMMOLENVS, ſocius ſancti Bertini, Epiſcopus Nouiomenſis ex Religioſo Bertinenſis Cœnobij anno 691.
6. S. VVINOCVS, Religioſus ſancti Bertini; Fundator & primus Abbas in VVoromholt; obijt anno 716.
7. B. QVADAVOCVS, Religioſus Monaſterij ſancti Bertini, & beati VVinoci indiuiduus Comes.
8. B. INGENOCVS, ſancti VVinoci etiam ſocius.
9. B. MADOCVS, tertius eiuſdem VVinoci comes egregius.
10. S. ERKENBODO Religioſus & Abbas ſancti Bertini, indè Epiſcopus Morinorum: obijt anno 734.
11. S. HVNFRIDVS, Monachus Prumiæ in Arduennâ, deindè Abbas S. Bertini, pòſt Epiſcopus Morinorum, anno 869.
12. S. FVLCO Archiepiſcopus Remenſis, Bertinenſis Cœnobij Religioſus, Martyrio, pro defenſione Eccleſiaſticæ libertatis coronatus anno 900.
13. S. GRIMBALDVS, Præpoſitus ſancti Bertini, Dorouerenſem Epiſcopatum ſpreuit in Angliâ, ſed ibidem VVintoniæ Abbas, ſanctè obijt anno 903.
14. B. IOANNES, diligens in diuinis exercendis, ſocius ſancti Grimbaldi vixit ſanctiſſimè eodem tempore.
15. B. ASSERVS, alter cum beato Ioanne ſancti Grimbaldi ſocius, ſanctiſſimam iiſdem diebus duxit vitam.
16. S. VVOCARDVS Sacerdos, durante Tyrannide Normannorum Martyrium ab iiſdem perpeſſus, in Bertinici Cœnobij combuſtione circa idem tempus.
17. S. VVINEDBALDVS Sacerdos, ibidem, eodem tempore, ab iiſdem Normannis Martyrio coronatus.
18. S. REGENARDVS Diaconus, ſimul tunc à Normannis Martyrij laureâ illuſtratus.
19. S. GERVVALDVS Diaconus, eorumdem in Martyrio tunc ſocius.
20. S. GERARDVS Abbas Bronienſis, reformator 18. Abbatiarum, magnam operam in ſancto Bertino impendit; ſubſtituit ibidem anno 947. ſucceſſorem VVidonem, obijt anno 958.
21. B. LAMBERTVS, perſpicuæ ſanctitatis, Bertinici Cœnobij Abbas, obijt anno 1125.

22. B. SIMON, magnæ pietatis eiusdem loci Abbas; qui commodiùs diuinis volens vacare, cessit præfecturæ. Obijt anno 1148.
23. B. LEO, Abbas dicti loci, antè Monachus Lobiensis, (tulit SS. sanguinem Christi Brugas) ibidem sepultus anno 1163.
24. S. IOSCIO, Beatæ Virginis summus cultor, & miraculo quinque Rosarum ab eâ honoratus, mortuus anno 1164.
25. S. BERNARDVS POENITENS, austeriore poenitentiâ Religiosus, miraculis clarus. Obijt anno 1183.

Henricus Costerius Antuerpiensis Ecclesiæ Canonicus & Paræcus, in arbore Sanctorum eius Monasterij.

Floret Sanctus Vigor, Episcopus Baiocensis. Is in agro Atrebatensi parentes habuit, quâ generis splendore, quâ Fide & Religione conspicuos. Adolescens Atrebati in amplissimo Beati Vedasti Monasterio versatus est, tantâ obedientiâ & humilitate, vt cæteris gratiosior videretur. Quùm autem parentes non tam Monachum, quam opum suarum hæredem cuperent; Theodemiro puero in socium itineris assumpto, in Baiocensem regionem secessit; vbi eius loci homines brutos prædicatione, precibus, & sanctitatis exemplis penè omnes ad Christum conuertit. Quumque per Serpentum eiectionem, mortui resurrectionem, aliaque miracula eius fama augesceret; vacante Baiocensi sede, communi omnium voce Episcopus est acclamatus. Obijt Cal. Nou. plenus dierum & meritorum *Molanus in Natt. apud quem plura.*

S. Vigor Atrebatensis. *Baiocenses ad Fidem conuertit.* *Fit Episcopus.*

CHRISTI AN. 700. ANNO 700. Florent Sancti Luglius & Luglianus fratres, Hybernorum hic Rex, iste Archiepiscopus; qui, Theodorico Baino Morinorum Episcopo sedente, Religionis ergò, patriâ emigrantes, Bononiam appulerunt: vbi signis variè & splendidè editis, Terüannam concedentes, eandem ab incendio mirabiliter eripuerunt. Vndè in quâdam Prosâ, Canonicis Lilerianis familiare;

SERGII PAPÆ AN. 13. *SS. Luglius & Luglianus.* *Terüanna ab incendio eripitur.*

Propter Dei salutare,
Transierunt ambo mare,
Relinquentes Patriam.
Verbum Dei prædicantes,
Atque signis coruscantes,
Venerunt Boloniam.

Per hos mare serenatur;
Ementino lumen datur,
Et infirmis sanitas.
Horum prece liberatur
Ab igne, quo cremabatur
Morinorum ciuitas.&c.

Quibus alijsque peractis, *ad Vallem, quæ Scyredala dicitur* (verba vitæ eorum vsurpo) *quatuor ab vrbe Morinorum Teruanná interpositis miliaribus, cantando per deuia nemora, & inculta loca peruenerunt. Illis verò diebus, totius Morinensis Pontificatus territorio, à VVandalorum exercitu depopulato, rari remanserant coloni: & qui superérant, magis in Latrocinio, quàm in terræ culturâ, corpora sua exercebant. Tunc temporis enim tres fratres, latrocinio insignes in prædicto territorio habitantes, vnus videlicet Bouo apud Butnetum: alter verò Esceelmus iuxta Fracsagium habitans; tertius scilicet Berengerus secus villam Percetum nomine, refugium habens, in saltibus satellites plurimos habebant. Quos die ac nocte ad custodienda nemora, & viarum transitus mittebant, vt pertransëuntes vestibus & alijs quæ ferrent, despoliarent.* Vide infrà ad an. 1090. 1470. &c. Eorum vitas edidit Andreas Herbius, Canonicus Atrebatensis.

Berengerus, al. Berengarius latro famosus.

CHRISTI AN. 701. *S. Maurontus Abbas moritur.* — SERGII PAPÆ AN. 14.

ANNO 701. Sanctus Maurontus sanctæ Rictrudis filius moritur. *Sigertus.* Ioannes Molanus eius vitam descripsit, vbi inter cætera: *Hic Sanctus Leuita & Abbas, filius primogenitus Sanctæ Rictrudis, & spiritualis filius in Baptismate egregij Christi Sacerdotis Richarij, qui eum infantem à præsentissimo mortis periculo præseruauit. Cum autem clarus esset in aulâ Theodorici Regis, hortatu Amandi Præsulis, & B. Rictrudis matris suæ, deseruit & sæculum & Sponsam, quam vxorem habere deuouerat. Egitque monasticam vitam Hamatici & Marcenis, ac postea Ecclesiam construxit ad Lisam in suo prædio, quod Broylus, postmodùm verò Meuriuilla, quasi Mauronti villa, dicebatur, nunc verò Meruilla contractius dicitur. Quibus etiam in locis sanctum Præsulem Amatum Senonum Antistitem, Theodorici Regis tyrannide exulantem non solùm fouit, sed præesse voluit. Eundemque defunctum Broyli honorificè tumulauit, & prædiorum suorum per chartarum instrumenta fecit hæredem. Ipse denique Maurontus annis ferè duodecim post obitum Amati, Abbatis curam suprà fratres gessit vigilantissimè. Cum autem anno septingentesimo primo Marcenense Monasterium visitaret, ibidem vitam præsentem in meliorem commutauit, & in eiusdem Monasterij cryptâ sepulturam accepit, iuxta puteum qui sancti Mauronti dicitur, ex cuius aquâ nonnulli sanati*

Marcenis Aulâ relictâ Monachum induitur. Meruillense Monasteriũ. S. Amatus. Sepulcrũ S. Mauronti.

*lis sanati leguntur, qui à mortalibus & conductitijs medicis curari non valebant. Corpus eius cum Corporibus Sancti Ionati & Rictrudis defossum erat Marcianis in Nordmannorum deuastatione. Quandò autem indè sit Duacum ad sancti Amati Ecclesiam translatum, nusquam legitur. Vulgò Morandus dicitur, & natalis eius ab omnibus incolis celebratur, cum festiuâ ad Vrbis muros, quos aliquando protexisse * memoratur, supplicatione.* Hactenùs Molanus 5. Maij.

Corpus transfertur.

IOANNIS SEPTIMI PAPÆ AN. 1.

* Vide Arnoldũ VVionũ Duacensem in ligno vitæ.

CHRISTI AN. 705.

ANNO 705. aut forte 700. vt nonnulli volunt, Sancto Vindiciano ex Atrebatensi Sede in Cœlestem assumpto; Hildebertus Pontifex consecratur.

Translatio corporis S. Vindiciani.

Porrò Beati Vindiciani Corpus ex Brosellanno * pago, vbi obierat, in Beati Eligij montem, vti tunc exiguum erat Sacellum, hodiè verò peramplum Monasterium, delatum est; ita enim viuus iusserat, quia superstiti Eligio arctâ amicitiæ copulâ fuerat coniunctus. *Molanus in Natt.* XI. *Martij & in Indiculo, quem consule.*

* Iustus Lipsius pro Bruxellâ, Brabantiæ opido Principumque domicilio habet. Vide etiam Louanium lib. 2. c. 3.

IOANNIS 7. PAPÆ AN. 2.

Hatta primus Abbas Vedastinus fit & Blandiniensis.

ANNO 706. Hatta primus Vedastinorum Atrebatium Antistes, de quo ad annum 688. egimus, ob insignem prudentiam râramque pietatem, quâ eo in loco annos quindecim coruscauit; etiam alterâ Blandiniensium * vnde arcessitus fuerat, honoratur Præfecturâ, dignus vel maioribus, nisi mors inexorabilis præclaros eius conatus interrupisset. *Chron. Vedastinum.*

CHRISTI AN. 706.

* Hic Ordine [illegible] ab[illegible]

CONSTANTINI PAPÆ AN. 2.

ANNO 709. Secundùm Baronium, apparitio diuinitùs facta est B. Auberto Episcopo nostro, de erigendâ Basilicâ sancti Michaelis Archangeli: verùm illam in alia tempora referendam esse, ex ijs facilè intelliges, quæ ad annum 690. produximus.

CHRISTI AN. 709.

CONST. PAPÆ AN. 3.

Hatta Ab. moritur.

ANNO 710. Kalendis Februarijs, Hatta Vedastini & Gandauensis Cœnobiorum Antistes, è viuis tollitur, à suscepto B. Vedasti regimine, vicesimum primum; Diui Petri quintum agens annum.

CHRISTI AN. 710.

S. Hadulphus 2. Abbas Vedastinus creatur.

Sanctus Hadulphus secundus Vedastini Monasterij Antistes, Hattâ defuncto, nominatur; atque ab Hildeberto Episcopo in isto honoris gradu consecratur. Patrem habuit Ragnulphum Martyrem, de quo interest audire Molanum:

S. Ragnulphus, S. Hadulphi pater.

In territorio Atrebatensi (Natalis) *Sancti Ragnulphi martyris; qui pater, vt fertur, S. Hadulphi Episcopi Atrebatensis, ab Vsuar-*

do notatur VI. Cal. Iunij; quibus Calendis Atrebatense Sancti Vedasti Monasterium, in quo requiescit, memoriam eius celebrat duodecim lectionibus, sed de communi sumptis. Constat autem eum passum esse in TELV, *Villâ Sancti Vedasti, quæ Latinè dicitur Telodium. Ceterùm in Diæcesis Atrebatensis Breuiario, ponitur V. Iduum Nouembris. E quibus colligo ab Vsuardo notatum esse diem Natalitium; Diæcesim tamen Natalem celebrare in die eleuati corporis. Nam id vsu sæpè aliàs venit.* Sic Molanus de Ragnulpho, 27. Maij: At de Hadulpho mox fusiùs agemus.

Locus Martyrij S. Ragnulphi.

Eodem anno S. ERKENBODO, quartus Bertinicæ familiæ Præsul creatur; qui Cœnobio suo vtilissimus, comparatis etiam priuilegijs præfuit. Post sexennium verò in Episcopum Teruannensem est sublimatus. *Iperius. Vide infrà ad annum 716. & 742.*

S. Erkenbodo, 4. Abbas Bertinensis creatur.

CHRISTI AN. 713. CONST. PAPÆ AN. 6.

ANNO 713. Erepto è viuis Hildeberto Episcopo, Hunaldus (aliàs Humaldus) Atrebatensis Ecclesiæ Pontifex renuntiatur; atque annos circiter quinque moderatur. *Tabulæ Eccl. Atrebat.*

CHRISTI AN. 714. CONST. PAPÆ AN. 7.

ANNO 714. Magnus ille & strenuus Princeps Pipinus de Herstallo, & Maior Domus Francorum moritur, quùm viginti septem annos Præfecturam illam administrasset, Carolo Martello, ex Pellice filio, hærede relicto: quùm alioqui pius multa Ecclesijs contulisset; Monasteria ædificasset; Sanctos viros coluisset. Sed incontinentiâ ad extremum omnia fœdauit. *Baronius. Vide suprà ad annum 688.*

Pipinus domus Magister moritur.

CHRISTI AN. 715. GREGORII SECVNDI PAPÆ AN. 1.

ANNO 715. Alciacensis* Monasterij, iuxta Hesdinum vetus Artesiæ opidum, ad Thenæ* fluuij marginem initia iaciuntur; pietate atque opibus Adasquarij & Anegliæ eius coniugis, Siccedis Virginis parentum; qui eodem in loco iacent sepulti. *Bresinius & Meyerus. Vide infrà ad annum 716. & 1101.*

Alciacensis Cœnobij initia.

*Gal. *Auxy les Moynes.*
*Gal. *Ternois*

CHILDEBERTVS Rex vitam cum diademate deponit: atque Nancæi in Beati Stephani quiescit. *Histor. Franc.*

CHRISTI AN. 716.

GREG. 2. PAPÆ AN. 2.

DAGOBERTVS REX.

ANNO 716. (Baronio 709.) DAGOBERTVS Childeberto Patri in Regnum succedit. Quo rerum potiente, Franci, Plectrudis detrectantes Imperium, Danielem Childeberti Fratrem atque Monachum, spreto Dagoberto, in Regem assumpserunt, Chilpericum-que vocauerunt, ei in Maiorem Domus* Ramenfridum cedentes. Interim Carolus Martellus carcere, quo eum Plectrudis Nouerca damnauerat, elabitur. Regnauit Dagobertus annos circiter quatuor. *Annal. Franc.*

*al. Ragenfredum.

S. Syluinus.

Sanctus Syluinus Tolosanus Episcopus, Alciaci vitâ defungitur; cuius Corpus Siccedis, Adasquarij, vt iam diximus, filia, multo auro & gemmis, pari sumptu decoreque studiosissimè exornauit. *Per eosdem dies* (scribit Meyerus) *Syluinus Episcopus Tolosanus, magnum pietatis exemplum, Alciaci naturæ concessit. Stirpe erat Tolosas; in Morinis admirandâ enituit Religione. Ex multis hominibus immundos eiecit spiritus. Eius sepulcrum Siccedis Vestalis auro celauit, gemmisque varijs insigniuit. Filia hæc erat Adasquarij magna Religionis viri, conditoris Alciacensis Cœnobij.* Hactenùs Meyerus in Annal. l. 1.

Siccedis Monialis.

Quomodo Syluini Corpus cesserit Bertinensibus.

Claruit autem Syluinus (verba sunt Molani) *vsque ad Vinciacum Caroli & Ragenfredi bellum* * *potissimùm in Alciaco, vbi Abbatia est eius nomen habens, fuitque in ea sepultus à Monasterio Cetulensi. Sed Corpus per modum vadij, sub Comite & Abbate Arnulpho* * *magno delatum est ad Sancti Bertini Conuentum. Quumque præscriptum redimendi tempus paululùm, diuinâ, vt putatur dispositione, elapsum esset; inuitis Alciacensibus ibidem remansit. Estque penes Bertinenses, donec ibi obseruantia viguerit regularis, prærogatiua honoris, dandi ex suo Monasterio Alciacensibus Abbatem, iuxta præscriptum* * *Innocentij tertij, quod est in fine quinti Decretalium.* Sic ille in Natt. 17. Febr.

*Vide infrà ad an. 719.

*Vide infrà ad an. 952.

Bertinensium in Alciacenses priuilegium.

*Vide infrà ad an. 1072. & 1198.

S. Erkenbodo Bertin. Abbas, fit Episcopus Morinorum.

Sanctus Erkenbodo quartus Bertinici Monasterij Antistes, creatur Pontifex Morinorum. Quâ vtraque in Sede per annos viginti & sex resedit. Quibus cum vitâ decursis, Beati Audomari Ecclesiam, quam Beatæ Virgini viuus sacrarat, mortuus sepulcro donandus introiuit. Is in cæteris, quæ sibi pretio comparauit à Rigoberto viro No-

Prioratus Belloramensis.

bili, LEODREDINGAS*, quas Audomarenses Canonici hodiè in Mempisco pago possident, & BELLORAMVM*, qui etiam Bertinici Cœnobij est Prioratus: esse scribunt Iperius & Meyerus. *Vide Molani Natt. 12. April. & hîc suprà ad an. 710. & infrà, an. 742.*

* Gal. Lederselle.
* Gall. Beaurain.

CHRISTI AN. 717. *S. Hadulphus Vedast. Abbas, fit Episcopus Atrebatensis.*

GREG. 2. PAPÆ AN. 3.

ANNO 717. S. Hadulphus secundus Vedastini Cœnobij Antistes (de quo ad an. 710. diximus) acclamatione populi, fauore Cleri, & iussu Chilperici, populi factione* contra Dagobertum regnantis, ad Episcopalem Sedis Atrebatensis apicem sublimatur: vtriusque loci titulo & Præfecturâ ad mortem vsque nobilis: quamquam ab ipsis Ascetis, quam Abbatis nomine, alio nullo voluerit appellari. De illo sic Vedastinum Chronicon: *Post Humoldum* (seu Hunaldum vel Humaldum) *miro omnium Ordinum studio factus Episcopus, eo successu, vt sanctissimorum Pontificum famam, pietatis gloriâ æquasse meritò censeatur. Scribunt Episcopum duodecim, Abbatem vndeuiginti egisse annis.* Hæc ibi. Vide Molanum 19. Maij.

* Vide suprà ad an. 716.

S. VVinoci obitus.

Sanctus VVinocus (de quo diximus ad ann. 665. & 697.) mortalitatis vinculis expeditur: cuius Corpus quum sub Danorum procellâ, in B. Bertini Monasterio per annos 64. delituisset; Balduinus Caluus, annò 879. Flandriæ Comes inauguratus, id, obnitentibus nequicquam Audomarensibus, Bergas, ad Ecclesiam, quam in honorem sanctorum Martini & VVinoci construxerat, pro imperio iussit transportari. *Molanus 6. Nouembris. Vide infrà ad annum 902.*

CLOTARIVS QVARTVS REX.

CHRISTI AN. 719. *Carolus Martellus.*

GREG. 2. PAPÆ AN. 5.

ANNO 719. (secundùm Baronium 714.) Dagobertus Rex moritur, eiusque successor CLOTARIVS IV. renuntiatur. Hinc Carolus Martellus, armis & viribus collectis, Chilpericum aliàs Danielem, qui Regis & titulum portabat, & subindè munia obibat, acriter insecutus est & superauit non procul Cameraco, & turpiter fugauit. *Franc. Annales.*

De eadem victoriâ Baronius hoc ferè stylo ad an. 717. loquitur: XII. *Kalend. April. Carolus cum Ragendo Magistro Domus, & Chilperico Francorum Rege confligens eos in*

fugam,

fugam, & fugientes cædendo, Parisios vsque persecutus est. &c.

Qua parta victoria Martellus, Clotarium, quem alij Fratrem, alij Patruum Dagoberti ferunt, in Regem sacrari curauit. *Franc. Annal.*


CHRISTI AN. 721. ANNO 721. IV. Non. Iul. Sancta Bertha Blangiacensis Monasterij Fundatrix, corporis ergastulo soluta, immortalitatis gloriâ coronatur; de cuius obitu in vitâ MS. sic lego: GREG. 2 PAPÆ AN. 7. *S. Bertha obitus.*

Quùm esset Beata Bertha annorum septuaginta nouem; sensit dissolutionem corporis sui imminere. Tunc vidit Angelum Dei portantem signum Crucis, meruitque audire voces in Cœlo psallentium, voluitque Beatissima imitari voces canentium, alijsque insinuare melodiam; nec ampliùs memoriâ retinere valuit, nisi hoc tantummodo: VENI ELECTA, VENI ELECTA. *Et cum hoc audisset, migrauit fœliciter; susceptitque eam Angelorum Chorus cum Fidelibus turmis. Visi quoque sunt tres viri insoliti splendoris, illam candidissimo habitu circumstantes & dicentes:* DIRIGATVR ANIMA TVA IN PARADISVM EXVLTATIONIS, ET ELEVATIO MANVVM NOSTRARVM PERDVCAT TE IN CONSPECTV SANCTORVM ANGELORVM. &c. Sic ibi. Vide hîc ad ann. 682. 1031. & 1591.

Porrò superstite adhuc B. Berthâ, Diotila eius filia Blangiacensis Monasterij regimen acceperat, atque in annos XXIX. prorogauit. *Eius Filia.*

CHRISTI AN. 722. ANNO 722. Clotarius Rex moritur, & Nancæi sepelitur; quo defuncto, Chilpericus, aliàs Daniel, cuius anteà meminimus, per Carolum Martellum, Childerico & Theodorico filijs Dagoberti neglectis, ex Gasconiâ euocatus, Rex Francorum sacratur. *Annal. Franc.* GREG. 2. PAPÆ AN. 8.

CHRISTI AN. 725. ANNO 725. Martellus Saracenis in Gallias ex Hispanijs, collabentibus occurrit, eorumque trecenta quinquaginta millia trucidat; mille tantùm & quingentis Francis desideratis. *Baronius.* GREG. 2. PAPÆ AN. 11. *Saracenorum strages.*



THEODORICUS REX.

CHRISTI AN. 727.

GREG. 2. PAPÆ AN. 13.



ANNO 727. Chilpericus Rex, actis in imperio quinque annis, recedit è viuis, nullâ sui relictâ prole. Hinc Martelli, cuius ad arbitrium res Francici Regni gerebantur, operâ seu fauore, Theodoricus 2. Dagoberti 2. Filius primogenitus, Galliarum Rex salutatur; indignus licet eâ dignitate, qui non, nisi adinstar Idoli, præfuit, nec minus annis quindecim. *Annales Franc.*

Rex Idolum.

CHRISTI AN. 729.

GREG. 2. PAPÆ AN. 15.

AEdes sacra B. Petri, iuxta Monast. Vedast.

ANNO 729. Sanctus Hadulphus Atrebatensis Episcopus, expletis isto in munere duodecim annis, mundo emigrat, atque in Beati Petri sacrâ æde, ipsis Vedastini Cœnobij septis hodiè inclusâ, sepulturæ traditur. Quùm verò postmodùm eius virtus, vitæque sanctimonia, miraculis inclaresceret; Engrannus* eiusdem Sedis Episcopus, sacrum Corpus Augusti vltimâ leuauit, atque in maiorem Beati Vedasti transtulit Ecclesiam, ibique hodiè magnâ religione & decore asseruatur: Ad eius, in Beati Petri Sacello, Sepulcrum, eiusmodi Carmina, cùm eiusdem Imagine spectantur:

*seu Engelrannus; sedebat anno 958. Eius thecam nostro tempore R. D. Phil. Cauerelins Abbas, egregio opere reparauit, argento que texit.

Hic iacuit Sanctus speculum pietatis Hadulphus,
Qui pius Atrebatum rexit ad astra Chorum.*
Dulcis aue; nostris veniam, Pater, obijce culpis,
Grataque dilecto dona repende gregi.

*al. Vigil.

Vide Molani Natt. 19. Maij. Et hic ad an. 958. & 1197.

Cæterùm de ipsâ Beati Petri æde, sic carmine lusit Alcuinus.

Clauiger AEthereus, seruat qui regmina cœli,
Soluere quæque placet, atque ligare potens;
Piscator quondam, cœli nunc Ianitor almus,
Ecclesiæ Princeps, Pastor & ipse bonus.
Cui Christusque suum seruandum tradit Ouile,
Dum redit ad Patris Regna beata sui.
O nimium fœlix, totus quem diligit Orbis!
Huic Christus nomen Petrus habere dedit.
Hoc pietate suâ templum, precor, vndique cingat,
Aduentuque suo protegat, atque regat.
Auxiliumque suis famulis, protector in illo,
Perferat, & precibus adsit vbique pijs.

Destru-

Destructum flammis renouauerat hoc quoque * *Rado:*
Cui, rogo, mercedem reddat & ipse Petrus.

* Præfuit an. 795.

Sic ille. Vide infrà in Guerrico Abbate ad annum 1147. ex quo intelliges olim Canonicos in hoc Beati Petri Sacello, diuinum Officium Christo persoluere fuisse solitos.

CHRISTI AN. 730. ANNO 730. Tragnardus B. Hadulpho in Atrebatensem Cathedram succedit. Is Synodo Moguntinensi interfuit, anno 748. sub Zachariâ Papâ congregatæ, Præside Sancto Bonifacio, eius Sedis Archiepiscopo, & Summi Pontificis Legato. GREG. 2. PAPÆ AN. 16.

Vedastinis autem Madelbaldus tertius Abbas nominatur; quâ quidem breuissimo tempore lætatus est dignitate. Etenim integro necdùm anno euoluto, morti obtemperare coactus est. Id ex Vedastino Chronico sic colligo: *Madelbaldus, quem alij Madelbertum vocant, vt Hadulpho familiaris, ita pietatem eius & prudentiam è vicino æmulatus, præfectusque ideo rebus Monasterij, statim à morte Hadulphi, accessione tantæ dignitatis diu lætari non potuit; cui quasi partos honores mors inuideret, eum ab initâ dignitate vix exacto anno, celeriter nobis eripuit.* &c. Et pòst paulò:

Ragenfridus suffragijs communibus in Abbatem electus Madelbaldo (ob consimiles ad benè regendum virtutes) suffectus est, anno dumtaxat eo fœlicior, sed reuerà parùm fœlix, qui ne toto quidem biennio dignitatem expertus, mortis concessit necessitati; anno, quo salus mundo illuxit 732. ambo obscuriores, ob Præfecturæ breuissimum tempus. Hactenùs ibi. GREGORII TERTII PAPÆ AN. 1.

CHRIST. AN. 731 ANNO 731. Saraceni qui Galliam Narbonensem occuparant, à Carolo Martello victi, ab vsurpatis munitionibus penitùs expelluntur, plurimis eorum cæsis: qui fugâ lapsi naues conscenderant, vi tempestatis fluctibus absorbentur. *Baronius.* *Saraceni Galliâ expelluntur.*

CHRISTI AN. 732 ANNO 732. Gossilenus mortuo Ragenfrido surrogatur atque Vedastini Cœnobij quintus Abbas inauguratur. Annos octo Monasterio præfuit. *Chron. Vedast.* GREG. 3. PAPÆ AN. 2.

CHRISTI AN. 733. ANNO 733. Deus res Francorum, per Carolum Ducem, magnâ gloriâ tertiò illustrat, ad internecionem Saracenis cæsis, qui ingenti numero ex Hispaniâ superuenerant, suppetias laturi ijs, qui Narbone cum suo Rege, ab eodem Carolo obsidebantur. *Baronius.* GREG. 3. PAPÆ AN. 3. *Saraceni iterum cæduntur.*

CHRISTI AN. 738. ANNO 738. Alfonsus, Petri filius, Pelagij gener, ex GREG. 3. PAPÆ AN. 8.

Reccaredi, Serenissimi Gothorum Regis progenie ortus, atque Hispaniarum Rex gloriosum CATHOLICI cognomentum, quod Reccaredus, ex propagatâ Fide Catholicâ in Gentiles suos, ab acclamatione Episcoporum in Concilio Toletano congregatorum tulerat; eius gloriæ æmulús, eius Regni successor asciuit; quod ipsum intermissum à successoribus, Ferdinandus Aragonius Hispaniæ Rex enixis precibus à Iulio secundo Romano Pont. impetrauit, vt omnium Regum Hispaniæ hæreditarium esset. *Baronius. Vide Lipsij Monita politica l. 1. c. 2.*

Catholici cognomentum Regum Hispaniæ.

Carolus Martellus sæpiùs concisis & fugatis Saracenorum exercitibus, hoc anno Prouinciam illis ereptam Francorum coronæ adiunxit.

CHRISTI AN. 740. ANNO 740. Guido sextus Vedastini Monasterij Abbas constituitur; nec quadriennio ampliùs sacro isto munere perfungitur. GREG. 3. PAPÆ AN. 10.

CHRISTI AN. 741. ANNO 741. XI. Kal. Nouembris Carolus Martellus, vir bellicosissimus, fato corripitur, liberis quatuor relictis, Pipino, Carolo-manno, Ægidio Rothomagensi Episcopo, & Griphone. Quiescit in S. Dionysij, Regio ornatu decorus. Eius tale reperio Epitaphium: GREG. 3. PAPÆ AN. 11.


Carolus Martellus moritur. Eius liberi.

Ecce Brabantinus Dux quartus in Orbe triumphat,
Malleus in Mundo specialis Christicolarum,
Dux Dominusque Ducum, Regum quoque: Rex fore spreuit;
Non vult regnare, sed Regibus imperat ipse.

Is in Barbaros sæpè irruens, putà Bulgaros, Saxones, Bauaros, ac maximè in Saracenos; decimis Ecclesias spoliauit, Nobilibusque attribuit. Quâ caussâ? an quia pecuniam, belli neruum ipsi Nobiles anteà suffecerant? nempè

Aurum per medios ire Satellites,
Et perrumpere amat saxa potentiùs
Ictu fulmineo.

Ambigua omninò, atque adeò de eius salute, contentio. Vide quæstionem hanc ab Baronio in Annalibus ampliter ventilatam, ad hunc annum.



CHILDERICVS FATVVS REX.

THEODORICVS Rex 22. Octob. viuere desinit, homo inutilis, velut & CHILDERICVS, eius & frater & successor, qui ob extremam hebetudinem, Fatui cognomentum est consecutus; quamquàm eiusdem regnum Franci ad nouennium sustinuerint; donec Monachum induere fuit compulsus.

CHRISTI AN. 742. ANNO 742. Sanctus Erkenbodo Morinorum Pontifex, atque Antistes Bertinensium, Immortales visurus, morti concedit; eiusque Corpus in Diui Audomari sepelitur. *Iperius, Meyerus, Bresinius*, & *Molanus* qui de eius sepulturâ sic loquitur: *Estque cum magnâ reuerentiâ sepultus in Monasterio S. Audomari, siue in Basilicâ Sanctæ Mariæ, quam Audomarus pridem dedicauerat; in quâ nunc resident Cathedrales Canonici S. Audomari; qui sepulcrum in præfatâ suâ Ecclesiâ ostendunt: Corpus in summo altari, Caput verò in particulari vase reconditum conseruant. Festum Translationis eius celebrant sexto Idus Septemb.* Hæc ille 12. April. ZACHARIÆ PAPÆ AN. 1. S. Erkenbodo moritur.

Erkenbodoni in Teruannensi Episcopatu Adelgerus, in Bertinicâ autem Præfecturâ VVymarus succenturiati sunt. Hic abs Childerico Rege quædam libertatis priuilegia impetrauit. *Iperius*.

CHRISTI AN. 744. ANNO 744. Guidone Vedastinorum sexto Abbate per mortem erepto, Romanus eiusdem fit honoris particeps, verùm non diutius triennio. ZACHA. PAPÆ AN. 3.

VVimaro Bertinico similiter extincto, Nantharius eiusdem Cœnobij gubernaculo admouetur. quo sedente, *quidam Presbyter* (scribit Iperius) *nomine* FELIX, *dedit huic Ecclesiæ* (Bertinicæ) *Cellam & Ecclesiam Sancti Michaelis in Rechashemo, seu Thoroaldi luco, in pago Flandrensi.*

CHRISTI AN. 747. ANNO 747. Adalricus Vedastini Monasterij octauus constituitur Antistes, medicinæ peritiâ celebris, atque vitâ ad litterarum rationem institutâ clarus. Quo in munere totos sex & viginti annos traduxit: *Vir sanè* (ait Chronicon) *perindè idoneus ad tuendam sartiendamque valetudinem Corporis mystici, atque ad humani. Gessit enim eâ vigilantiâ & curâ, res omnes, vt ab Hadulpho, interiectis omnibus decessoribus suis notior ad nostram memoriam, fama benè gestæ rei celebris perseueret;* ZACHA. PAPÆ AN. 6.

annis etiam multò eis felicior, qui viginti sex annos præfuit rebus; istud fortè peritiâ medicinæ; illud eruditiore Prudentiâ consecutus. Hæc ibi.

CHRISTI AN. 749. *Pipinus de hostibus victor diuinitùs euadit.*

ANNO 749. Pipinus Maior Domus, Saxones & VVestphalos profligat & vincit; qui dolentes sibi Christianos dominari, festinanter instaurato exercitu, per compendia itinerum & deuia, exercitum Christianorum fessum præuenientes propè VVerdam inuadere statuunt. Quo cognito, Pipinus ad terram prostratus vouet Deo & S. Suuiberto, si victor euadat, ipsum ad VVerdam cum suis Optimatibus se suppliciter visitaturum. Quo nuncupato voto, statim lux immensa super exercitum Christianorum splendens, Paganos adeò exterruit, penè excœcatos, vt consilio celeriter inito, duos ex Primoribus ad Pipinum miserint se dedentes, & quæ viderent, exponentes. Quibus auditis Pipinus lætus cum suis proceribus in terram abiectus, Deum adorans & gratias agens: acceptis obsidibus, S. Suuiberti sepulcrum discalceatus cum Regalibus muneribus & oblationibus piè visitauit, & deinceps Suuibertum in specialem Patronum & aduocatum adoptauit. *Gabriel Bisciola in Epitome Baron. iisdem verbis.* ZACHA. PAPÆ AN. 8.

PIPINVS REX.

CHRISTI AN. 750.

ANNO 750. Childericus Merouingorum vltimus, cognomento Fatuus, Rex, posito sceptro, cucullum in B. Bertini Asceterio induere cogitur. *Bresinius, & Franc. Annal.* ZACHA. PAPÆ AN. 9.

PIPINVS communi omnium voce Francorum Rex renuntiatur. *Franc. Annal.*

CHRISTI AN. 752.

ANNO 752. Godefridus S. Arnulphi martyris filius, Tragnardo Episcopo defuncto, Atrebatensi Cathedrâ honoratur. ZACHA. PAPÆ AN. 11.

S. Arnulphus Martyr.

Porrò S. Arnulphus fuit miles & martyr, qui in defensione Domini ac Magistri sui, innocens laqueo peremptus fuit. Cisonij celebris est eius memoria, ibique eiusdem ossa quieuerunt; verùm per primos Iconomachorum nostri temporis furores multum dispersa Cisonienses dolent. Exstat & de eo Hymnus, quem vide apud *Molanum in Natt. 29. Ianuarij.*

Zacharias Pont. Max. Pipino Regi potestatem concedit nominandi seu postulandi Episcopos, Ecclesijs toto Regno suo vacantibus. *Episcoporum nominatio Regi concessa.*

CHRISTI AN. 754. ANNO 754. Stephanus Romanus Pontifex, dum in B. Dionysij, iuxta Lutetiam Parisiorum agit, Pipinum, duosque eius filios Carolum & Carolo-mannum, cum Betradâ vxore, vngit in Reges Francorum; atque Francorum Proceres Apostolicâ Benedictione sanctificans, eosdem auctoritate B. Petri, sibi à Christo concessâ obstringit, vt nunquam de alterâ, quàm Pipini & filiorum eius stirpe, sibi quenquam in Regem eligere præsumant. *Baronius.* STEPHANI TERTII PAPÆ AN. 3. *Pipinicæ stirpis priuilegium.*

Sanctus Suuibertus Pipini curâ, in Catalogum Sanctorum refertur. *Id.*

Porrò quâ ratione id temporis, solerent viri sanctitate conspicui in Catalogum Beatorũ referri alibì docuimus. *Cantus Ecclesiæ.*

Nanthatius Abbas Bertinensis fato concedit; succedit Dadbertus 7. eius Sedis Antistes, qui annos fere duodecim præfuit. *Iperius.*

CHRISTI AN. 757. ANNO 757. Alphonsus Cognomento Catholicus, quùm regnasset annos 19. gloriosus Saracenorum triumphis, migrat ad Dominum, in cuius obitu, voces cælitùs auditæ sunt. Successit illi Froila. *Baronius.* PAVLI PAPÆ AN. 1.

CHRIST. AN. 764. ANNO 764. Sanctus Aldebertus, Austrouandiæ Comes, & Sancta Regina eius coniunx, Dononiense * Cœnobium, in Diœcesi Atrebatensi ad Scaldim fl. componunt. Cui S. Ragenfredis eorum filia, prima dicitur Antistita. Quo in ordine dignitatem originis, morum honestate, & sanctorum operum claritate mágnoperè illustrauit. Porrò Virgines Dononienses, non Monasticæ sed Canonicæ, seu regularis vitæ genus initio secutæ sunt. Post Normannorum autem vastationem, Benedictinum institutum sunt complexæ. *Ioannes Molanus 8. Octob. vbi plura scitu digna. Vide infrà ad ann. 805. & 1030. Et Mariæ Augustæ nostræ lib. 3. c. 93.* PAVLI PAPÆ AN. 8. *Dononiense Monasterium fũdatur.*

* Gal. *Denaing.*

CHRISTI AN. 765. ANNO 765. Lidericus Harlebecanus in demortui Patris Estoredi (Salhuardum Meyerus in Collectaneis MSS. vocat; matrem verò S. Rosam, cuius Corpus iacet Viterbij) opes succedit: ductaque vxore Hermengarde, Gerardi Ruscionensis filiâ, Englerannum seu Engerannum filium sustulit. *Meyerus in Annal. hoc anno, Marchantius,* PAVLI PAPÆ AN. 9.

Bresinius, &c. *Vide hîc ad ann. 676. & 792.*

CHRISTI AN. 766. PAVLI PAPAE AN. 10.

ANNO 766. Dadbertus septimus Bertinensium Abbas fato corripitur; eique surrogatur Hardradus, vir insignis, in excolendâ Monasterij dignitate; cui regendo annorum nouem operam insumpsit. Is villas *de Lokinghem* ab quodam VValberto, & *de Fressinghem* à Sigebertâ Nobili Matronâ, coëmptas, rebus Monasterij adiecit. *Iperius.*

Hasprensis Praepositurae initia.

Per haec tempora, Pipinus Rex Hasprensem Cellam à fundamentis excitauit & dotauit; inque eam Benedictinos Monachos, ex Gemetico, celebri Dioecesis Rothomagensis Monasterio euocatos, intromisit. Sedet ea Cella ad Scaldim fl. medio inter Valencenas & Cameracum itinere. Est hodie Vedastini apud Atrebates Monasterij Praepositura; quam anno 1024 * Liduinus Abbas, iure permutationis acquisiuit, Anglicurianâ Bellouacensis Dioecesis Praepositurâ, in vsum Gemeticensium concessâ. Haspris quiescunt Corpora Sanctorum Archadri & Hugonis. De quibus *Vide Molanum in Natt. 9. April. & 15. Sept.*

Anglicuria, Praepositura S. Vedasti olim. * Vide infrà.

CHRISTI AN. 768. STEPHANI QVARTI PAPAE AN. 1.

Pipinus Rex moritur. *An eius & Berthae Coniugis corpora in Artesia quiescant.*

ANNO 678. Pipinus Rex Francorum gloriosus, morte euocante sceptrum vitamque deserit. Cuius & Berthae Coniugis Corpora Ariae, in D. Petri quiescere feruntur. Etenim Iperius Abbas Bertinensis in suo Chronico, ità censet; nec dissentit Bresinius. Illius haec sunt verba: *Berthae, ac etiam mariti Pipini Regis ossa, nunc Ariae Canonici, cum multâ reuerentiâ seruant & ostendunt*; Sic ille, cui anno 1383. contigit mori. Nec suis destituuntur, qui ita sentiunt argumentis.

Primò, Traditio & Archiua Ariensium loquuntur Pipinum atque Bertham, eius tractus amoenitate & gratiâ allectos, aedes ibì posuisse & coluisse, quibus à Salâ, etiam hodiè est nomen, atque incolunt Toparchae Arienses.

S. Itisberga Pipini Regis filia.

Secundò, Fidem auget S. Itisberga, eorum filia; cui in eodem solo, vita, mors, sepulcrum contigerunt, vtì mox, & alibi * dicimus. * Ad an. 1221.

Tertiò, Ossium vtriusque, quae ostendi iam dixit Iperius, Translatio; cuius testes primò Mausolaeum sub commodâ fornice tunc erectum, & visendi cupidis obuium; secundò appictae Historiae; tertiò hoc Epitaphium, quo Translationis eiusmodi tempus * Chronicè monstratur. * sc. 1517.

InCLIta PIpInI, aC Berthae hIC reCVbant sIMVL ossa.

Verùm

Verùm enimuerò prorsùs reclamant Galli; & ipse Baronius in Annalibus, qui ad Sancti Dionysij, Pipinum conditum volunt, hoc breui Elogio apposito:

PIPINVS REX, PATER CAROLI MAGNI.

Vide Tilletium, Gerardum Haillanum, cæteros Rerum Gallicanarum scriptores.

Porrò Pipini temporibus florebat in hoc tractu Beatus Venantius; de quo sic Molanus: *In Artesiâ Sancti Venantij Martyris verè Nobilis. Qui temporibus Pipini Regis Francorum cum esset vir militaris, secedens ab armis ex regione Haynoensium, venit in locum, qui Vastus Saltus appellatur, qui est apud Ariacum castrum, & flumen Lisiam: vbi ieiunijs, precibus, & vigilijs vacans, in nemore est à quodam nequam, qui pecunias sperabat, decollatus, & in Lisiam proiectus. Beata autem Itisberga, filia Pipini, quæ apud Ariam validis febribus coquebatur, ex pisce qui erat in trucidato B. Venantij Corpore, est restituta; & anus quædam, quæ sæpiùs Sancto viro humanitatem exhibuerat, visum recepit. Vnde Corpus Sanctum intra Oratorium in Sarcophago lapideo* est positum, & in hunc vsque diem honorificè quiescit in opidulo, quod de eius nomine Sancti Venantij dicitur; & festum habet decimo die Octobris, solènne etiam in vicinâ Ariensi Ecclesiâ.* Hæc ille in Natt. 10. Oct.

Sanctus Venantius.

*Repertum est an. 1608. non quidem in B. Venãtii opido, sed B. Itisbergæ pago, & templo.

Cæterùm quod Beati Venantij Corpus quiescere dicit Molanus in opidulo cognomini, licet hactenùs piè creditum sit: tamen eo ipso anno quo hæc scribimus, nempè 1608. eius Inuentio in ipso S. Itisbergæ templo & pago qui abs Ariensi vrbe passibus circiter qningentis abiunctus est, cum ingenti omnium stupore contigit, atque de illa Reuerendissimus D. Iacobus Blasæus Audom. Episcopus, diligenter, vt par erat, inquisiuit.

An in opido cognomini eius Corpus quiescat.

CAROLVS MAGNVS REX.

CHRISTI AN. 769. ANNO 769. CAROLVS Cognomento MAGNVS, Pipino Patre defuncto, Francorum Imperio admouetur. *Franc. Annal.* STEPH. 4. PAPÆ AN. 2.

CHRISTI AN. 770. ANNO 770. Bertruda Caroli mater in Italiam ad Desiderium Longobardorum Regem proficiscitur; cuius filiam, Hildegardam nomine, Carolo filio in coniugem dari, à parente impetrauit. *Baronius.* STEPH. 4. PAPÆ AN. 3.

AN-

CHRISTI AN. 773 *Ecclesiæ persecutio.* ANNO 773. Sigibertus, ab Adalrici morte, nonus Monasterij Vedastini Abbas eligitur, quo tempore Ecclesia graui iactabatur tempestate; illam Constantino Copronymo, inde Leone 4. Impp. nullâ non sæuissimæ tyrannidis procellâ inuoluentibus. Verùm maximâ Dei benignitate & prouidentiâ, commodùm affuit Princeps Carolus, cuius virtus cum pari pietatis laude coniuncta, quantùm in istis turbulentis temporibus, ad Barbarorum summam infamiam & perniciem, enituerit; HADRIANI PAPÆ AN. 2.

HISTORIAM TEXAT, QVI NVMERARE VOLET.

CHRISTI AN. 776. ANNO 776. Godefrido Atrebatium Antistite, è viuis erepto, Albericus Sedis eius Pontifex acclamatur. HADR. PAPÆ AN. 5.

CHRISTI AN. 777. ANNO 777. Sigibertus Vedastinorum nonus Abbas vitâ defungitur; hinc sacrum Vedastinæ familiæ ouile Pâstorem, anxiè toto sexennio inclamauit absentem. HADR. PAPÆ AN. 6.

CHRISTI AN. 778 ANNO 778. Hildegarda geminos Carolo Imp. parit, quorum altero decedente, alter superstes Ludouicus vocatus est. *Baronius.* HADR. PAPÆ AN. 7.

CHRISTI AN. 783. ANNO 783. Radfridus vacantem Vedastini Monasterij Sedem, persecutionum turbine nonnihil subsidente, Abbas decimus postliminiò instaurat. De quo sic Chronicon: *Radfridus (conquiescente perturbato rerum Ecclesiasticarum statu, à morte Leonis quarti, sensimque virtute illius Caroli Magni compressis tumultibus, & confectis magnâ laude bellis, dum melioris auræ spes indies affulget) anno dati mundo seruatoris 783. creatus Abbas, expleuit desiderium Pastoris, eum se reipsa exhibens, quem dignitate referebat. Quod quùm in duodècimum præstat annum, ea tempestas in nostros grassata est, vt primo incendio hoc Monasterium conflagrarit.* Hactenùs ibì. HADR. PAPÆ AN. 12.

CHRISTI AN. 787. ANNO 787. Dum Carolus Romæ cum Summo Pontifice Pascha celebraret, ortâ contentione inter Romanos & Gallicos Cantores, vtri melius cantarent, Carolus præstantiam Romanis adiudicauit, cum diceret fontem riuulis puriorem esse; ac proindè ad suos inquit, REVERTIMINI, VOS, AD FONTEM SANCTI GREGORII; QVIA MANIFESTÈ CORRVPISTIS CANTILENAM ECCLESIASTICAM. Mox acceptos ab Hadriano Papâ Cantores Theodorum & Benedictum, à S. Gregorio eruditos, in Franciam duxit, qui Francicum cantum corrigerent. Quorum vnum Cantorem misit in Metensem HADR. PAPÆ AN. 16. *Cantus Gregorianus in has regiones inductio.*

Ciui-

Ciuitatem, & per singulas Ciuitates instituit Magistros Scholæ Cantus, à quibus omnes Franciæ Cantores didicerunt notam Romanam. Similiter erudierunt Romani Cantores supradicti, Cantores Francorum in arte Organandi. Dominus item Carolus Româ Artis Grammaticæ & Computatoriæ Magistros secum adduxit in Franciam, & vbique studium Litterarum expandere iussit. Ante enim ipsum Dominum Carolum Regem, in Galliâ nullum studium fuit Liberalium Artium: *Baronius ijsdem verbis, qui ex veteri Chronico edito à Pithœo. Vide Sigebertum in Chronico ad an. 790. Iusti Lipsij Louanium l. 3. c. 8. & Ioannis Molani tractatum de Canonicis lib. 2. c. 71.* *Item Organorum. Schola Grammatices & Arithmetica.*

Idem Carolus Vsuardo Monacho in mandatis dedit, vt Martyrologium nouum conscriberet, quo Ecclesia deinceps ad Sanctorum Martyrum memoriam & honorem vteretur: Parisiensem etiam Academiam, quo Ecclesiæ Christianæ bonum accedere, maius non poterat, primus aut excitauit, aut restituit. *Vide Middendolpium.* *Martyrologij vsus in Ecclesia. Academia.*

Cæterùm quod ad Organorum in Gallijs vsum attinet (Organa Pneumatica intelligo, quibus proindè necessarij folles, & quæ in cæteris Musices instrumentis, Antonomasticè id nominis vsurpantia) Ioannes Molanus eadem ad Ludouici Imp. Caroli F. tempora refert, ex Aimonij Parisiensis Historici & Monachi testimonio; qui libro quarto Historiæ Francorum, ita pingit: *Baldricus Comes, at Pannonici limitis Præfectus, adduxit Domino Imperatori Presbyterum quendam, Georgium nomine, bonæ vitæ hominem; qui se promitteret Organum, more Græcorum posse componere. Quem Imperator gratanter suscepit; & quia Deus illi, quæ ante se inusitata erant Regno Francorum, attribuebat, gratiarum actiones reddidit: ac Tancolfo, Sacrorum Scriniorum Prælato, commendauit, publicisque stipendijs curare iussit; & ea quæ huic operi necessaria forent, præparare mandauit.* Hæc ille: quanquàm (addit Molanus) & iam anteà, ex dono Constantini Imperatoris, Organa ad Pipinum Regem, in Compendio Conuentum generalem celebrantem, peruenerint. *Sic Molanus libro secundo de Canonicis, cap. 40.* Qui verò primi, tam præclari adinuenti auctores? Certè Gulielmus Durandus, Mimatensis Episcopus, cùm de Hymno tractat, qui cottidiè Missæ Præfationi subiungitur, Dauidi & Salomoni Legis antiquæ *Rursus de Organis.*

Regibus, hanc omninò laudem attribuit; Addimus: *In hoc Angelorum & hominum concentu, quandoque Organa concrepant. Quod à Dauid & Salomone introductum est, qui instituerunt Hymnos in Sacrificijs Domini, Organis & alijs Musicis instrumentis concrepari, & laudes à populo conclamari.* Hæc Durandus libro quarto Rationalis Diuini officij cap. 34. Porrò de Artium harum peritiâ, à quâ se exemit Iustus Lipsius, quùm in Epistolicis, tum Politicis, ad caput 10. lib. 1. notis, eiusdem vide iudicium.

Organorum Pneumaticorum primi Auctores.


Hâc ferè tempestate, Hadrianus Pontifex Maximus instituit diplomata, seu Litteras Apostolicas (Bullas vulgò vocant) plumbo obsignari, vt diutiùs esset Sigillum: Hactenùs enim solius Ceræ erat vsus. *Polydorus Vergilius, Genebrardus, &c.*

Bullæ Apostolicæ plumbo obsignandæ.


Eâ ipsâ tempestate, Carolus Rex, duos supra Rhenum Pontes Coloniæ exstruit & munit, & Sclauiam ingressus, eam sibi subigit: *Sigebertus.*

Circa etiam hæc tempora, Octauo Kal. Sept. Sanctus Gregorius Vltraiectensis Episcopus moritur. De illo sic Molanus in Natt. Hic *fuit instructor Sancti Ludgeri, Episcopi Monasteriensis. Cùm autem Sanctus Bonifacius ad Hessos & Turingos iter agere cœpisset, peruenit ad Palaciolum, Monasterium Virginum prope Treuiros, cui Abbatissa Adula præerat. Et cùm ad mensam sedissent, Gregorius puer alto eiusdem Patriæ parentum sanguine procreatus, ex schola & palatio reuersus, ætatis suæ annum quasi decimum quintum agens, benedictione ab Episcopo acceptâ, ad mensam legit. Cumque lectionem perlegisset, & Episcopus secundùm proprietatem linguæ, expositionem eius peteret, respondit cum verecundiâ se id nescire. Sanctus proindè Episcopus id fecit, & in tantum cor pueri penetrauit, vt relictis omnibus, amabilis discipulus magistro adhæserit, & ætate ac sapientiâ prouectiorem post se in Traiectensi Ecclesiâ præfecit.*

Atque hactenùs secundùm Reges; nunc secundùm Saltuariorum Flandriæ seriem, Chronicon iteratò componamus.



SAL-



SALTVARIORVM FLANDRIÆ RESVMPTIO.

LIDERICVS HARLEBECANVS.

CHRISTI AN. 792. | HADR. PAPÆ AN. 21.

ANNO 792. LIDERICVS HARLEBECANVS, Liderici Bucani, primi Flandrici Saltus Præfecti, Pronepos, quùm Saltuariæ Dignitatis nomen, in Flandriâ diu latuisset, commodùm Tertius ipse resumpsit, & publicè circumtulit, fauore Caroli Magni aspirante; qui ob res fortiter iuxtà ac fideliter bello gestas, id ei præclarum egregiæ virtutis Honorarium, perpetuo iure tenendum vltrò impertiuit. De his audiamus Iperium:

Eundem Lidericũ primum Harlebecæ Comitem ab eodem Carolo fuisse creatum notat Pontus Heuterus in Genealogijs.

Lidericus Miles egregius, postquam sub Carolo Tudite, deindè sub Pipino Tuditis filio, ac demùm sub Rege magnifico Carolo Magno, plusquàm sexaginta militauerat annis viam antiquus & emeritus Miles, ab hoc Rege Carolo, pro sua merito probitatis, honoratur. Nam Flandriæ Patriam sibi dedit hæreditariè possidendam; eumque illius terræ Dominum constituens, anno Domini prænotato (sc. 792.) *Qui super Lisam fl. in Arlebekâ sibi mansionem eligens, & reliquum vitæ suæ peragens, ibidem sepultus iacet. Hic arma detulit Auri & Lazuri, distincta pyramidibus, in voulconis centro, scuto rubeo vinctis. Ipse est stipes & radix, à quo Flandriæ Comites processerunt; qui omnes hæc armorum insignia detulerunt, vsque ad Philippum,* qui aurum cum nigro Leone conquisiuit.* Hæc Iperius, cui consentiunt cæteri Flandricarum rerum scriptores; saluo eo, quòd hunc Lidericum scribat stipitem & radicem esse Comitum Flandriæ; quùm tamen reliqui non aliter æstiment, quàm nos posuimus ad annos 631. 676. & 765. Et vrget vt Harlebecanum hunc tertium Flandriæ Saltuarium credamus, Epitaphium * Balduini V. Lilani, in vrbe Lilâ siue Insulensi, sacraque æde Petri, conditorio insculptum (sextus hic tantummodò à Baldui-

Insignia antiqua Flandriæ.

* Vide istâ ad ann. 1190.

* Illud vide ad an. 1069. Consule etiam Lipsij Louaniũ lib. 1. c. 8.

De Flandriæ Saltuarijs quæstio soluitur.

no Ferreo Comes fuit) quòd vndecimum eum facit. Qui calculus à vero resilit, nisi ad Estoredum, Liderici Bucani Nepotem, Harlebecanus hic reducatur; vt egregiè adnotauit Marchantius.

Quòd autem quidam scribunt* eum genere fuisse Hispanum, atque Vlyssipone oriundum, tacitus prætereo; velut & Flandrinam, ex quâ Flandriæ nomen ortum putant, (Vide suprà ad annum 445. & Meyeri Annales ad annum 1310.) quâ defunctâ Emergardem Liderico obtigisse coniuges: Etenim Emergardem Liderici primi fuisse matrem vult Petrus Oudegherstius, & credere suadet hoc Emergardis Epitaphium:

* In quibus Meyerus & ante illum Iperius.

Emergardis eram, quæ viuens vndique passa
Mundanæ sortis exui vile iugum.
Nunc feror ad superos, nam me Deus euocat. Ergo
Orbatus Genitrice suâ valeat Ledericus.

Vide Oudegherstium in Flandriæ Annalibus cap. 12. & 14.

CHRISTI AN. 795. — HADR. PAPA AN. 24.

ANNO 795. Hardradus, insignis Monasterij B. Bertini Antistes, è viuis tollitur; eique Odlandus successor nominatur, factus eius loci nonus Abbas. Is venandi in Siluis auctoritatem à Carolo Magno impetrauit. Vnde Iperius: *Dominus noster Abbas Hardradus, postquam eleganter hanc Ecclesiam rexerat annis xxix. appositus est ad Patres, & sibi successorem reliquit Odlandum anno Domini 795. qui in omni bono, suo prædecessori coæqualis, anno primo sui regiminis, impetrauit à Rege Carolo priuilegium venandi in siluis nostris & alijs vbicunque constitutis, ad volumina librorum tegenda, & manicas habendas, & Zonas habendas, saluis Forestis Regijs.* &c. Idem ad Arkas, quas nouis operis auxerat, atque pulchrè ornarat, fixit domicilium; in quibus & S. Martini Ecclesiam collocauit. aliaque attribuit, quorum prolixius meminit Iperius.

Ecclesia Sancti Martini Arkensis.

Radfrido Vedastinorum Præsule similiter è viuis erepto, Raddoni communibus suffragijs ea dignitas defertur. Hic rerum feliciter gestarum hanc reliquit memoriam: *Raddo ad res instaurandas diuino munere datus anno 795. expectationi omnium cumulatè respondit; qui ambustum fœdatùmque incendio templum magnificè instaurauit, ornauitque omnibus suis partibus. Imprimis magna vi auri argentique fusi & cælati in Calices & Thecam Sancti Vedasti & consimilia: tum aulæis & clarâ veste impensis adeò magnis, parsimoniâ æquale vectigal suppeditante. Mis-*

Raddonis Monasterij Vedastini Abbatis laus, ex rebus gestis.

sale implicatum satis (vt ferebat conditio temporis) examini venerabilis Alcuini subiecit; cuius descripta etiamnum exstant apud nos duæ ad Raddonem Epistolæ, atque aliquot versus, quibus opera eiusdem posteritati commendat. E quibus videre est magni admodùm nominis fuisse Raddonem: qui extremâ ætate rebus actis, pietate & canitie venerabilis, anno ex quo Christus natus, 815. Mortem obijt, quùm viginti annos præfuisset. Post mortem ob vitæ innocentiam, in terris fœlix habitus. Hactenùs ex Chron. Vedast. *Alcuinus.*

Porrò de memoratâ templi instauratione, & Raddonis laudibus, Alcuini versus sunt tales:

Templũ Vedastinum restitutum.

Hæc domus Alma Dei, flammis crepitantibus olim
Arsit & in cineres tota redacta fuit.
Sed miserante Deo, Raddo venerabilis Abba,
Construxit melius, ac renouauit eam.
Plurima præsenti domui ornamenta ministrans,
Exornans totam muneribusque sacris.
Cancellos, aras, voluit vestire metallis,
Vedasti fabricans Sarcophagumque Patris.
Pallia suspendit parietibus, atque lucernas
Addidit, vt fieret lumen in AEde sacrum.
Officijs Domini fecit quoque vasa sacrata,
Argento, nec non aurea tota quidem.
Induit Altaris speciosâ veste Ministros
Vt foret egregium semper vbique decus.
Omnia mellifluo Christi deuotus amore,
Restaurans opera vir pius in melius.
Pro quo, quisque legat titulos, rogitare memento,
Adiuuet vtque illum gratia summa Dei.

Hactenùs Alcuinus; quibus versibus non paucos adiungit, sacris eius templi Aris, alijsque locis, & ipsius B. Vedasti sacro Corpori apponendos, quos in antiquo Codice MS. perlegimus, eiusdemque Epistolas duas ad Raddonem transmissas; quas huc referre, quia prolixioris esset operæ, supersedendum duxi, velut & B. Vedasti vitam, quæ exstat eius etiam stylo in Raddonis gratiam exarata; ad cuius calcem hoc appendet distichon:

Noli quæso Pater, munuscula spernere nostra;
Paruula si videas, magna hæc dilectio misit.

Prioris verò Epistolæ initium est; *Dilectionis vestræ venerabile præceptum secutus; vitam Sancti Vedasti, Patris vestri &*

intercessoris nostri, emendare studuimus; non quod &c. Posterior communis est Abbati & Monachis, *de Versuum conscriptione, & Missalis emendatione.*

Sigebertus in suo Chronico ad hunc annum hæc de Carolo Magno Rege commemorat: *Karolus Rex non solùm patriâ linguâ, sed etiam peregrinis linguis eruditus, barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum bella & actus canebantur, scripsit & memoriæ mandauit. Inchoauit etiam Grammaticam Patrij sermonis; Mensibus anni juxta propriam, id est, Teutonicam linguam, vocabula imposuit; ventos etiam duodecim proprijs nominibus appellauit, quùm anteà quatuor tantùm Cardinales venti nominarentur.*

Eruditio Caroli Magni Gall. Regis.

Hadrianus Papa moritur: cuius sepulcrum Carolus Rex, Epitaphio à se composito, ornauit, quod hodieque exstat pro foribus Basilicæ Vaticanæ; eius initium est tale:

Post Patrem lachrymans Carolus hæc carmina scripsit;
Tu mihi dulcis amor; te modò plango, Pater.
Tu memor esto mei; sequitur te mens mea semper,
Cum Christo teneas Regna Beata Poli. &c.

CHRISTI AN. 797. *Libertas Ecclesiæ Cameracensis.*

ANNO 797. Heduardus, seu Hilduardus, Alberici Atrebatium Episcopi defuncti partes, nouus Antistes excipit. Is Ecclesiæ Cameracensi libertatis priuilegium à Ludouico Pio Imp. impetrauit; atque Nouiomensi Synodo interfuit, ab VVulfrano Remési Archiepiscopo euocatus. LEONIS SECVNDI PAPÆ AN. 2.

Hoc primùm tempore ritum Canonizationis Sanctorum institutum fuisse, Robertus Bellarminus grauis auctor, arbitratur. Sic enim in Controuersijs l. 1. de Sanctorum Beatitudine c. 8. scribit: *Primus Pontifex (ni fortè fallor) qui Sanctos legatur Canonizasse, videtur fuisse Leo Papa Tertius.* &c. vbi plura. Vide infrà ad annum 1027.

CHRISTI AN. 801.

ANNO 801. Carolus Magnus Rex, Romanorum Imperator salutatur. LEON. 2 PAPÆ AN. 6.

CHRISTI AN. 804. *Ghisnensis Dynastia Bertinicis attribuitur.*

ANNO 804. Nantharius Odlando per mortem cadente, decimus Bertinicæ familiæ supremo moderamini committitur. Hic ab Lebtrude Nobili Matronâ GHISNENSEM DYNASTIAM subsequente anno obtinuit, dictitans illum Corporis esse Comitatus Arkensis, omnem cuius ditionem atque iurisdictionem VValbertus Comes Bertinico Cœnobio iam olim transcripserat. Id disertè notat Iperius: *Anno sequente Lebtrudis Nobilis Matrona,* LEON. 2 PAPÆ AN. 9.

na,

na; Domina de Ghisnis, quam ab hac Ecclesiâ tenebat in feodum. Et erat de terrâ S. VValberti in Comitatu Arkensi, quam ipse VValbertus Beato Bertino, adhuc in corpore viuenti tradiderat. Feodum suum prædictum, resignans in manus Abbatis Nanthariy, & ad opus huius Ecclesiæ, tradidit Ghisnas prædictus, & totam eius terram Appendicem, terraque Dominium, cum omnibus aspicientijs eius. Hactenùs Iperius.

At eam rem (scribit Meyerus) *permolestè Lidericus tulit, questus de cupiditate Monachorum, nihil sibi non vendicantium.*

Alcuinus qui & Albinus, cognomine Flaccus, idemque Abbas S. Martini, & Caroli Regis præceptor, moritur.

CHRISTI AN. 805. — LEON. 2. PAPA AN. 10. — Dononiense Cœnobium reparatur.

ANNO 805. Gilla, aliàs Ghisla, sanctitatis commendatione celebris Heroina, Pipini Regis filia, atque Caroli Magni; & S. Itisbergæ Soror, Dononiense Cœnobiũ, bellorum cladibus vastatum, pristino splendori suo curat reponi; vt ex ipsius Caroli Imperatoris constat diplomate id est tale:

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Carolus Dei gratiâ Imperator Augustus, omnibus Christicolis Pax & salus. Pro timore & amore Dei, multa loca Sanctorum, Deo propitiante, alia noua construximus, alia lapsa reparauimus. Quapropter sciat omnis Sancta Dei Ecclesia Fidelium tam præsentium quam futurorum industria, quoniam per charissimæ Sororis nostræ Gillæ . . . . crebram admonitionem, ac per dilecti Nepotis nostri supplicem postulationem, quin insuper & pro anima nostra perpetuâ salute, Abbatiam Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, nec non & Venerandæ Virginis S. Ragenfridis, quam ex suis proprijs prædijs, ac vernaculis, ipsaque viuente construxit, sitam super Scaldis fluuij ripam in . . . . . qui vocatur Denonam, ad pristinum restituere statum decernimus &c. Actum est hoc An. IIXC. V. *Ex Iacobi Guisij Chronico Hannoniæ.*

ENGLERAMNVS.

CHRISTI AN. 808. — LEON. 2. PAPA AN. 13.

ANNO 808. ENGLERAMNVS Comes Harlebecanus, Liderico Patre defuncto, atque Harlebecæ sepulto, fit Præfectus atque Saltuarius Flandriæ, in fide & clientelâ Caroli Magni Cæsaris. *Meyerus, Marchantius*, &c. Hic multa Flandriæ maritimæ oppida mœnibus cinxit, ac in plerisque Arces extruxit. *Heuterus in Genealogijs.*

AN-

CHRISTI AN. 814. *Carolus Magnus Imper. moritur.* — LEON. 3. PAPÆ AN. 19.

ANNO 814. VII. Ian. CAROLVS MAGNVS Imp. perceptis ritè Sacramentis, moritur anno ætatis 72. Regni 47. Imperij 13. & Aquiſgrani ſepelitur enſe accinctus, cum ſceptro & coronâ, Euangelium aureum tenens manibus, planè habitu Imperiali, genibus flexis, magno vniuerſorum luctu. *Baronius*. Eius Epitaphium ita habet:

CAROLI MAGNI CHRISTIANISSIMI IMPERATORIS ROMANORVM, CORPVS SVB HOC SEPVLCRO CONDITVM IACET. *Ex Richardo VVaſſeburgio, in Antiquitatibus Belgicis.*

Alij ſic referunt: *Magni Caroli, Regis Chriſtianiſſ. Romanorumque Imperatoris Corpus hoc Sepulcro conditum iacet.* Vide Mariam Auguſtam noſtram lib. 1. c. 30.

Carolo in Regnum & Imperium ſucceſſit Ludouicus. F.

CHRISTI AN. 815. — LEON. 3. PAPÆ AN. 20.

ANNO 815. Raddo præclarus Vedaſtinorum Antiſtes morti concedit, atque Adalongo variè à ſe ornatam tranſmittit dignitatem. *Hic dignitate quadam oris, & toto corporis habitu ad dignitatem compoſitus, atque litteris benè expolitus, Ludouico Pio Cæſari adeò commendabilem ſe reddidit, vt ſpectatâ eius virtute Cæſar, in obeundis maximis Legationibus, eo libentiſſimè vſus ſit. Quarum ea in primis memorabilis, quam cum Haufrido Comite Curienſi obiuit Romæ, miſſus illuc*, quùm ad componendum Vrbis motum; tum ad reſcindendum qui eſſent conſcij necis Theodorici primicerij. Cuius inſimulatus Paſchalis ſummus Pont. vt ſe purgaret coram Adalongo & Haufrido, in magnâ Epiſcoporum coronâ, immunem ſe ab eo crimine, iureiurando aſſeuerauit. Hac Legatione, probatâ induſtriâ, ſecretioribus negotijs, perſæpè à Cæſare Pio adhibitus.* Ex Chron. Vedaſt.

* Anno, vt adnotat Meyerus, 823.

CHRISTI AN. 816. *In calice vitreo non celebrãdum.* — LEON. 3. PAPÆ AN. 21.

ANNO 816. In Concilio Remenſi ſtatuitur, ne deinceps Calice vitreo inter celebrandum quiſquam vtatur. *Vide Martyrol. Rom. 7. Aug. & Baronij Notas.*

CHRISTI AN. 817. *Liberalitas Albarij Epiſcopi Atrebatenſis.* — PASCHALIS PAPÆ AN. 1.

ANNO 817. Alicharius ſeu Alitgarius, mortuo Hilduardo, Atrebatenſis Sedis Pontifex conſecratur. Hic precibus Ebonis Remenſis Archiepiſcopi, ſex libros de remedijs peccatorum, & Ordine Iudicij Pœnitentiæ conſcripſit. Tabulam argenteam, auro gemmiſque ornatam, in qua non modica pars Crucis Dominicæ, quam ipſemet Conſtantinopoli attulerat, cum multis Sanctorum Reliquijs Atrebatenſi Eccleſiæ dono impertiuit. Sed & Eccleſiæ Cameracenſi Brachium Sancti Stephani Protomartyris, &

Anthi-

Anthimi Nicomediæ Episcopi, ac Cosmæ & Theodori Martyrum Reliquias, nec non tabulas Eburneas, quibus libri cooperti in eadem Ecclesia fuerunt, contulit. Sepultus iacet in Beati Eligij monte. *Ex tabul. Eccl. Atreb.*

Beatus Folquinus Morinensis Ecclesiæ Cathedram ingreditur. De quo sic Iperius: *Huius Ludouici Regis ac Imperatoris anno quarto* (seu tertio, vt id semel moneam pro varietate supputationis; alijs in Dominico Natali, alijs à Paschate annum inchoantibus.) *magnum lumen exitum super candelabrum Ecclesiæ collocatur Beatus Folquinus; ac per eundem Regem & Imperatorem, Ecclesiæ fastibus sublimatur, ac Morinorum Episcopus inthronisatur, anno Domini VIII^c. XVII.* Vide infrà ad annum 855. S. Folquinus.

CHRISTI An. 821 ANNO 821. Ad Dominum migrat Nantharius Bertinēsis, vbi Præsulem egisset annos quatuordecim. Hunc est insecutus Fridogisus, ordine vndecimus, Natione Anglus, Carolo magno consanguineus, Palatij Imperatoris summus Cancellarius, Canonicus sæcularis, & Beati Martini, in Turonibus Abbas. *Hic primus* (scribit Iperius) *externæ professionis & nostræ Religionis expers Abbas noster, statim in suo primo aduentu, videns hanc Abbatiam tot Monachorum indiuisè, sub vno eodem Abbate Deo seruientium, vsibus delegatam, vtpotè centum & triginta Monachorum, nihilque aut parum suæ voluntatis vsibus sequestratum; hanc Abbatiam diuisit. Nam Capellam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quam Beatus Audomarus ad Monachos sepeliendos, Arce Villæ dedicauerat.* (dicta est postmodùm Ecclesia Sancti Audomari, hodieque honore Cathedræ insignitur, abs anno 1563. vt alibì notabimus) *expulsis indè quadraginta Monachis, triginta Canonicos Sæculares ibidem instituit. In capitali autem Monasterio isto pro octoginta sex Monachis, solùm quadraginta retinuit; reliquos verò districtioris vitæ viros, quos suis voluntatibus sciebat esse consentaneos, de Monasterio expellens, abire permisit. Et quia sæcularis erat Canonicus, cum sæcularibus Canonicis viuere praelegit, in Monasterio Sancti Audomari, seu Capellà Sanctæ Dei Genitricis, &c.* Huc vsque Iperius. Vide infrà ad annum 830.

PASCHA. PAPÆ An. 5.

Canonicorum S. Audomari in vrbe cognomini initia.

Tanta hoc anno regnat Hyems, vt Rhenus, Danubius, Albis, Sequana, Scaldis, acutissimo gelu constiterint, totosque triginta dies equos, plaustra, carros transeuntes sustinuerint.

CHRISTI AN. 823. *Legatio Vedastini Abbatis ad Pontificē Rom.*

BASCHA. PAPA AN. 7.

ANNO 823. Adalongus, Vedastini Monasterij Antistes, Romam Legatus ab Ludouico Imperatore mittitur. *Vide suprà ad annum 815.*

CHRISTI AN. 824.

AVDOACER.

BVGINII SECVNDI PAPA AN. 1.

ANNO 824. Engleramnus, quartus Saltus Flandrici Præfectus, moritur; atque Harlebecæ in Sancti Saluatoris, iuxta tumulum paternum reconditur. Proles habuit Audoacrum, Margaretam & Ioannam, quæ in Virginum Sacratum cœtum, Religionem professa, concessit.

AVDOACER, Patre defuncto, quintus Flandriæ Saltuarius, seu Forestarius salutatur, idque tituli gerit annos tredecim, vir cùm primis strenuus, atque Reipublicæ vtilis: *cuius res gestas* (scribit Meyerus) *vel longâ vetustate obrutas, vel vix vsquam memoriæ proditas, difficile est inuenire. Tradunt quidam hunc omnium primum bella finitimis fecisse populis, ac Castella quædam de ijs cepisse: multa restituisse Monasterijs, quæ vsque ab Dagoberti Regis temporibus, ad eum diem, alij atque alij ademerant. Habeo auctores, tantùm in agris malè cultis cuique concessisse, agri quantum ad cultum bonum valuissent perducere, datâ in longum tempus immunitate. Decimam quamque captam feram quùm venaretur in syluis, Diui Bauonis attribuit Monasterio.* Hæc Meyerus.

Frequentioris Flandriæ initia.

Addit Heuterus in Genealogijs eundem Audoacrum Gandauense opidum mœnibus primùm cinxisse, ac Toroti, Casselij, Aldenardæ Arces ædificasse. Filiamque Toparchæ fani D. Audomari in vxorem arcessisse.

Gandauum mœnibus cingitur.

Addit Petrus Oudegherstius, Audoacri Dominio, in eximiæ Fidei, quâ in Ludouicum Pium Imp. & Gall. Regem excellebat, honorarium Atrebatum, Teruannam atque Bononiam accessisse; Froymondo seu Froymontio Atrebatio, qui eas ditiones hæreditario iure possidebat, criminis læsæ Maiestatis delato & reo, ad Saracenos transfugiente. Insuper Oudegherstius, Audoacrum nuptias cum N. Anselmi, Fani Pauli Comitis filiâ celebrasse; quo ex coniugio natus fuerit Balduinus Ferreus, primus Flandriæ Comes. Verùm quâ fide tenendum, quod de Anselmo Comite scribit, aliud ex ijs quæ ad annum 918. afferimus, colliges;

Froymōtius Atrebatiū Regulus.

Nota.

colliges; nempè primum Fani Pauli Comitem fuisse Adalolphum, Balduini Ferrei Nepotem, Balduini Calui Filium.

CHRISTI AN. 825. ANNO 825. Nobilis quidam iuuenis, perquàm diues, nomine Gotbertus, Sancti Benedicti Ordinem in Beati Bertini ingreditur; cuius memoria apud Bertinianos duplici nomine celeberrima, pietatis & munificentiæ, villis seu pagis in istanc familiam tribus supra triginta, qui singillatìm ab Iperio recensentur, ad vsum perpetuum collatis. EVGEN. 2. PAPÆ AN. 2. Pagi tres supra triginta Bertinicis donantur.

In Galliâ miræ magnitudinis decidens grando, pecora multa & nonnullos homines interemit; in quâ tempestate glacies durissima, pedum longitudine duodecim visa est è Cœlo cecidisse. *Palmerius ijsdem verbis.* Bergomas id refert ad annum 832.

Circa hæc tempora, Iuliomagi (Gallicè ANGERS) Ludouicus Imp. vt in Dominicà Palmarum, dum supplicatur, id versiculi, GLORIA LAVS ET HONOR TIBI SIT &c. cantetur, Cæsareo edicto iubet. Caussam vide apud Richardum VVasseburgium l. 3. de Antiqq. Belgicæ. GREGORII QVARTI PAPÆ AN. 1.

CHRISTI AN. 828. ANNO 828. Alicharius, Atrebatensis Episcopus, ab Ludouico Cæsare Constantinopolim mittitur, ad Michaelem Augustum, pro fœdere & amicitià iugiter inter duos Cæsares, conseruandâ. *Legatio Episcopi Atrebatensis pro Cæsare Occid. ad Cæsarem Orient.*

CHRISTI AN. 829. ANNO 829. Lotharius & Pipinus filij Ludouici Cæsaris in Patrem animos & arma attollunt, suasque in partes Audoacrum Principem nostrum, licet, vt quidam scribunt, inuitum atque renitentem, attrahunt. *Meyerus.* GREG. 4. PAPÆ AN. 2. *Filij in Patrem sumunt arma.*

AN. 824. Saraceni, ad quos Froymundus noster * transfugerat, ex Africâ in Italiam irruunt, Romamque inuadentes, sacra Ecclesiarum ornamenta, hostili more diripiunt; *Palmerius.* *Italia ab Saracenis vastatur.*

CHRISTI AN. 830. ANNO 830. Fridogisus Bertinici Cœnobij Abbas Canonicos Ecclesiæ Sancti Audomari, ex Regularibus in Sæculares transmutat, primo scilicet Principatus sui anno, veluti ad annum 821. in eius inauguratione notauimus. Opportunè hùc, quod ibi omisi, ex Iperio attulero: *Fridogisus de omnibus bonis, villis, ac terris Ecclesiæ, portionem Canonicis, pro suis gratibus, assignauit & tradidit. Ipse etiam ea, quæ sibi maximè placuerant, suæ voluntatis vsibus reseruauit.* GREG. 4. PAPÆ AN. 3. *Canonici S. Audomari, ex Regularibus fiunt seculares.*

CHRISTI AN. 832. ANNO 832. Beatus Theodoricus, vir singularis pietatis & Spiritu propheticæ (vt in Vedastinis monumentis lego) GREG. 4. PAPÆ AN. 5.

plenus, adeoque iusto titulo SANCTVS à Demochare nuncupatus, Atrebatensis Ecclesiæ Episcopus renuntiatur. Adfuit Synodo Suessionensi, in Sancti Medardi Monasterio, sub Hincmaro Remensi Archiepiscopo, congregatæ. Lobbiense *Cœnobium à Sancto Landelino fundatum, liberaliter auctum iuit, certamque Monachis viuendi præscripsit Regulam; aliaque præclara obiuit munera, vt suis locis monstrabimus.

*Vide de eo Molani Natales & Miræi Origines Cœnobiorum Belg.

Normanni Flandriam inuadere tentant.

Normanni * ex Noruegiâ delati, Flandrica tentant litora: sed & hîc & ad Sequanæ ostium fortiter repulsi, tandem in Aquitaniam penetrarunt. *Meyerus.*

* Siuè Northmanni, id est, Septentrionales homines, qui & Dani vocantur.

CHRISTI AN. 833.

Pater à Filijs in carcerem compingitur.

ANNO 833. Ludouicus Augustus, suorum fraude deceptus, Imperio deponitur, atque Suessione in custodiam* traditur. A quibus? (proh flagitium!) pius Princeps, optimus pater, à Filijs Lothario & Pipino. Verùm totius Regni Procerum conuentione, eodem anno habitâ, suis Imperio & Regno restituitur. In Genealogijs Regum Italiæ lego Bernardum Pipini Filium & Ludouici Imp. Nepotem quùm fortè Italiam, cui cum Imperio præerat, factionibus intestinis perturbaret, Ludouici Aui sui iussu, capite plexum; atque Lothario eius Patruo, Pipini Fratri, res Italiæ vt pacaret, fuisse commissas.

Iustitia Aui in Nepotem Exemplum.

Baronius in Annal. adan. 845.

GREG. 4. PAPÆ AN. 6.

CHRISTI AN. 834.

Hugo S. Bertini Abbas, Caroli Magni F. Nothus.

ANNO 834. moritur Fridogisus, Bertinici Cœnobij Abbas XI. eique sufficitur Hugo, Caroli Magni ex Reguinâ Concubinâ filius, etiam in Viromanduis aliam Abbatiam S. Quintino sacram adeptus. *Hic Abbas* (scribit Iperius) *regiminis sui anno primo iuuenem elegantissimum, Beatum Grimbaldum recepit & induit huius Monasterij Monachum; qui qualiter & quantum profecerit, testatur eius Legenda,* quam de ipso canimus in Ecclesia Dei; de quo etiam aliqualis mentio in subsequentibus erit.* Hæc Iperius. Vide infrà ad annum 903.

* Quidã Monachum induisse scribunt in S. Medardi.

GREG. 4. PAPÆ AN. 7.

* Vide Molani Natales 8. Iulij.

CHRISTI AN. 835

Festum omnium Sanctorum in Galliâ & Germaniâ celebratur.

ANNO 835. *Monente Gregorio Papa* (verba sunt Sigeberti) *& omnibus Episcopis assentientibus, Ludouicus Imperator statuit, vt in Galliâ & Germaniâ Festiuitas omnium Sanctorum in Calendis Nouemb. celebraretur, quam Romani ex instituto Bonifacij Papæ celebrant.* Hæc ille; & conformiter Palmerius, Bergomas, alij. Vide Baronij Notas ad Martyrol. Rom. & hîc ad annum 998.

GREG. 4. PAPÆ AN. 8.

BAL-

GREG. 4 PAPA AN. 10.

BALDVINVS FERREVS.

CHRISTI AN. 837.

ANNO 837. Aldemburgij Audoacer seu Odoacer, Flandriæ Præfectus, morte extinguitur; atque Harlebecæ familiari sepulcro collocatur; relicto successore

BALDVINO FERREO, quo anno Normanni Valachriam Zelandiæ Insulam depopulati sunt.* *Ceterùm Balduinus Ferreus* (scribit Meyerus) *vir erat ingenti animo, prævalido ac robusto corpore, vultu decoro, staturâ & moribus planè regijs, domi militiaque clarissimus. Cum Carolo Rege, cognomine Caluo, eiusque filio Ludouico, strenuam aduersus Normannos nauauit operam; nec minora in Saracenos fecit facinora. Ab eximijs corporis viribus, armorumque exercitatione, ac fortibus factis,* BRACHIVM FERREVM *Albericus Monachus cognominatum tradit. Tanti fuere in eo spiritus, vt vel mediocria iam despiceret connubia, induceretque in animum non nisi nobilissimam se ducturum esse vxorem. Fortè incidit vt Iudita formosissimæ Virginis, Caroli Regis filiæ, incredibili caperetur amore, nec minoribus illa vicissim caperetur ignibus: data tamen est non huic, sed Anglorum Regi primùm nuptui: rapta dehinc* à Flandro, ac sponte suâ abducta.* Hæc ille. Verùm de his suo loco fusiùs dicemus.

* *Tertia Belgarũ per Normannos deuastatio.* Edouardus Ristonus in Synopsi rerum Ecclesiasticarum. *Vnde Balduino id cognomentũ* Brachiũ ferreũ.

GREG. 4. PAPA AN. 13.

*Post Regis Angli obitum.

CHRISTI AN. 840.

ANNO 840. Ludouicus Pius Imp. rebus Tornacensium Canonicorum, Altarium quamplurium concessione, insigniter adauctis, suum diem obit, liberis Lothario, Carolo & Ludouico, qui paternum partiti sunt Imperium, relictis. *Palmerius; Meyerus, apud quem ipsa Altaria numerantur; Bergomas, &c.*

Tornacensis Ecclesia locupletatur.

GREG. 4. PAPA AN. 16.

CHRISTI AN. 843.

ANNO 843. Hugo, Caroli Magni ex Reguinâ Concubinâ filius, idemque S. Quintini in Viromanduis, & S. Bertini in Sithiensibus Antistes, Mori cuiusdam Monachi operâ, Corpus S. Audomari furtìm tollit, ad suos Viromanduos delaturus. Quod quùm inaudijsset Folquinus Episcopus, qui tùm in Mempisco, apud VVoromholt Pastoralis curæ munia pertractabat; contractâ per Folradum Fratrem virum militarem, non pœnitendâ Morinorum manu, raptìm sacrilegos insequitur, assequiturque priusquàm Lisam fl. traijcere ad Lisburgum * pagum valuissent. Quibus sacrum pignus reddere coactis, id ad pristinum locum refert: ne verò in Normannorum, quorum vbique

Corpus S. Audomari furtim tollitur. *Recipitur atque in pristinũ locum refertur.* *Lisburgus pagus in Artesiâ. Lisa fl. ortu nobilis.*

grandis erat timor, manus deueniret, effossâ humo sollicitè recondit. At sacrilegos, pautis diebus indè elapsis, pœna non despexit. Morus mente captus est; Hugo à Carolo Rege missus ad Tolosæ vrbis obsidionem, interijt. *Iperius in Chron. Bertin. Meyerus lib. 2. Fl. Molanus in Natt. 7. Sept. & in Recapitul. c. 23. &c.*

Sacrilegorum in S. Audomarū pœna.

Eodem anno defuncto Hugone, Adalardus Bertinici Cœnobij regimen assumit, spei de se conceptæ, non leuibus argumentis probator; collatis quùm per se, tùm Honrecum (al. Honnecum) Patrem varijs in eam domum Beneficijs. *Iperius.*

CHRISTI AN. 844. *An Sergius Romanorū Pontificum primus, Baptismale nomen mutauerit.* SERGII SECVNDI PAPÆ AN. I.

ANNO 844. Sergius eius nominis secundus, Papa creatur; de quo est Fabula, quòd *quùm prius Os Porci vocaretur* (Bergomatis sunt verba) *ob deformitatem nominis, mutare vocabulum coactus est, & se Sergium appellari fecit. Et indè mutandorum Nominum consuetudo sumpta est.* Hæc ille post Platinam, qui tamen id non asseuerat, sed à quibusdam dici scribit, neque omnes à dicto Sergio Pontifices sua nomina immutasse. At verò Baronij Cardinalis censuram audiamus: *Quos delectat fabulas veris intexere, hunc* (Sergium) *primum fuisse tradunt Romanum Pontificem, qui creatus nomen sibi mutauit, eo quod nomen indecens tanto Sacerdotio visus esset se habere. Sed scias id factum in Sergio tertio*, nec id accidisse ob turpitudinem nominis, sed reuerentiæ caussa. Cum enim ille Petrus vocaretur, indignum putauit se eodem vocari nomine, quo Christus primum eius Sedis Pontificem, Principem Apostolorum, ex Simone Petrum nominauerat. Quàm verò hæc vera sint, absque dubitatione aliquâ, quæ in contrarium opponi possint, oportuniùs suo loco dicturi sumus. Hic de secundo Sergio dicendum, qui ex paterno nomine, vt audistis, à principio Sergius est appellatus.* Hactenùs Baronius, Tomo 10. Annal. Ecclesiast.

Ritus eiusmodi vera origo. *An. 907.

CHRISTI AN. 845. *Normannorum in Gallias irruptio.* SERGII 2 PAPÆ AN. 2.

ANNO 845. Æstiuo tempore, Regnum Caroli ingenti perturbatione exagitatur: Normanni quippe Gallias inuadentes, omnia tam prophana, quàm sacra, cæde, rapinâ & incendio miscuere. *Baronius in Annal.*

CHRISTI AN 846. *SS. Bauonis & Pharaildis Corpora Gādauo Audomaropolim transferuntur.* SERGII 2 PAPÆ AN. 3.

ANNO 846. Corpora Sanctorum Bauonis & Pharaildis, Enkericus Abbas Gandauensis, & Frangerus Prætor; Normannorum metu transferunt ad Castrum Fani S. Audomari. Id Sacellum Comitis appellabatur, nunc autem Templum est Diui Donatiani. *Meyerus. Vide infrà ad an. 853.*

Christi An. 847. ANNO 847. Andulphus (aliàs Alidulphus, Ethelnulphus, & Athulphus) Angliæ Rex, Romanæ Ecclesiæ deuotissimus, integram Insulam suam Romano Pontifici facit tributariam, Regioque iubet edicto vt singula domus singulis annis nummum argenteum persoluat. *Palmerius, Bergomas**, *alij*. Cæterùm Thomas Bozius, libro de Signis Ecclesiæ vicesimo primo, capite nono, eam largitionem Inæ Regi Cedoüellæ successori tribuit; aitque Insulæ tantùm partem, quam tenebat Inas, tributariam Apostolicæ Sedi constituisse: atque Egbertum quintum ab Inâ Angliæ Regem, totius Insulæ Principatum, explicatis terminis, primum occupasse, firmoque tenuisse imperio; cui Andulphus in Regnum successit: quem certè Inæ pietatem crediderim ampliasse, totâ, vt diximus, Tributum Insulâ pendente: Idque exindè fortassè; quòd quùm Subdiaconus esset Leonis Pontificis; qui hâc ipsâ ætate Ecclesiæ clauum tenebat, auctoritate, à Religionis vinculo dispensatus (vt vocant) non solutus (vt pingit Bozius) ad nuptias cum Osburgâ transuolarit. Porrò quantùm id annuum foret Tributum, Petitæus in Hollandiæ Chronico mussitat nonnihil: verùm quod malæ sit Fidei homo, adeoque ad Hæreticos transfuga, supprimere malo, quàm aliquid dicere. Et quid etiam aliàs est necesse dicere? Ad alia & nobis propinquiora.

Leonis Quarti Papæ An. 1. *Angliæ Regnum summo Pontifici tributarium. A quo id factum quæritur.*

*Ad annum 850.

Vide Baronij Annales Tom. 10. ad an. 847.

Vide infrà ad an. 854.

Eodem animo, in Synodo Moguntinâ, Præside Rabano Archiepiscopo, à Patribus illic congregatis constitutum est, ne Sacratissima Eucharistia denegetur condemnatis per Iudicem ad subeundum vltimum supplicium. *Baron. in Annal.*

Sancta Eucharistia morte damnatis non neganda.

Leon. 4. Papæ An. 4.

Christi An. 850. ANNO 850. Balduinus Princeps noster, Brugis Sacellum Beatissimæ Deiparæ, quod ab Liderico inchoatum ferunt, suâ donat coronide. *Meyerus.* Hoc pariter anno Normanni rursus in Gallias excurrunt: hinc Carolus Rex timore concussus & consilij inops, eosdem in Regni consortes assumit, eâ Regni parte eis concessâ, quæ ab eorum nomine sumpto vocabulo, dicitur Normandia. *Baronius.*

Sacellum B. Virginis Brugensis. Iterum Normãni in Gallias excurrunt.

Leon. 4 Papæ An. 5.

Christi An. 851. ANNO 851. Normanni Gandauum, simulque Gandense, Blandiniense ac Tronchiniense Asceteria ferro & igni euastant.

Etiam in Flãdriã.

CHRISTI AN. 852. Eleuatio Corporis S. Vedasti.

LEON. 4 PAPAE AN. 6.

ANNO 852. Eleuatio Corporis Sancti Vedasti Episcopi & Apostoli nostri; vndè apud eius Atrebatenses Vedastinos in tabulas relatum: *Leuatus est ille Nobilissimus de cinere thesaurus, sexto Nonas Iulij, anno Dominicæ Incarnationis DCCC. LII. cuius anima lætatur in cælis cum Christo.* &c. Et Molanus in Natt. 5. Febr. *Sexto nonas Iulij inuentum est Corpus S. Vedasti à Theodorico Episcopo, anno ab Incarnatione Domini 852.*

S. Vedasti Monasteriũ, à Madfrido inuaditur.

Eodem anno Madfridus homo Laicus, quo iure, quâ iniuriâ arripit summam Vedastini Cœnobij potestatem. *Sæua* (ibi legit ut) *Normannorum Danorumque ingruente tempestate, ita perturbatis rebus, vt Pastorales Sedes legitimis sæpiùs destituerentur Pastoribus; in quas simulato aut sincero obsistendi desiderio, laicis procliue erat inuolare, tantumque bonorum rapere, quantum manibus contingerent: Hâc licentiâ penè per annum vsus Madfridus, expertâ prouocatus voluptate, eam sibi ad eiusmodi in posterum strauit viam, vt anno 871. exturbato Hugone, arte resumpserit eam Prouinciam, non ante quinquennium tum eâ defunctus, an satur eius voluptatis incertum.*

CHRISTI AN. 853. SS. Bauonis & Pharaildis Corpora Audomaro poli Laudanum transferuntur.

LEON. 4 PAPAE AN. 7.

ANNO 853. Tasradus Gandensis Antistes, Corpora Sanctorum Bauonis & Pharaildis ex Castro Diui Audomari, terrore Normannorum, transfert Laudunum. *Meyerus, Vide suprà ad annum 846.*

Rotholdus, Madfrido recedente, Vedastini Cœnobij Præsul renuntiatur; eamque Dignitatem, difficillimis temporibus non amplius triennio tenuit. *Chron. Vedast.*

Corpus D. Vedasti Vrnâ portatili recluditur.

Venerabiles Diui Vedasti Reliquiæ, iniecto Vedastinis subitario Normannorum pauore, terrâ anteà abstrusæ indè ab Theodorico Atrebatensi Episcopo terrâ erutæ, portatili vrnâ secundo nonas Iunij reconduntur, in maximo totius populi concursu. *Ibidem.*

CHRISTI AN. 854. Fabula de Ioãnâ Papissâ, ineptissima, à quibus solidè refutetur.

LEON. 4 PAPAE AN. 8.

ANNO 854. Ioannam natione Anglicam, Sedem Romanam occupasse, ab Auctore, qui post ducentos triginta annos vixit & scripsit, Marianus Scotus Schismaticus (ex quo plures hauserunt, Platina, Sigebertus, Martinus Polonus, Palmerius, Bergomas, Verdierius, &c.) falsissimè primùm imponitur. Cuius fabulæ egregias solidasq; refutationes ediderunt Illustrissimi Cardinales Robertus Bellarminus & Cæsar Baronius, hic decimo Tomo Annalium Ecclesiasticorum, illle Controuersiarum de Summo Pontifice

tifice libro tertio, capite 24. Papyrius Massonus, Tractatu de Vrbis Episcopis: Florimundus Remondus, insigni operè, cui titulus. ERROR POPVLARIS DE IOANNA PSEVDOPONTIFICE, DICTA PAPISSA, &c.

Normanni siue Dani bello ciuili inter Horic eorum Regem & filium fratris Guduym, qui Regno pulsus piraticam exercebat, exorto, miserabili modo consumuntur. *Baronius.* *Normãnorum clades.*

CHRISTI AN. 855. ANNO 855. Sanctus Folquinus Morinorum Episcopus, vitam hanc mortalem cum immortali commutat; inque Beati Bertini Monasterio ad Sanctum Audomarum tumulatur. Illi defuncto alter Folquinus Monachus hoc appendit Elogium. BENEDICTI TERTII PAPÆ AN. I. *S. Folquinus Morinorum Episcopus moritur.*

Hic veneranda Patris Folquini membra quiescunt,
Antistes dudùm qui fuerat Morinûm.
Quique quaterdenis vitæ Dux extitit annis,
Mente actuque pio iussa operando Dei.
Qui quartâ decimâ decedens luce Decembris,
Clarus Apostolicum gaudet adire Chorum.

Meyerus, Molanus in Natt. 14. Decemb. Demochares &c. Vide suprà ad ann. 817. & infrà ad annum 1181.

Successit Folquino Sanctus Hunfridus qui à Normannis Sede sua pulsus fuit, vt suo loco dicemus.

Andulphus,* de quo anteà diximus, Angliæ Rex, Româ per Gallias rediens, Iuditham pulcherrimam Virginem, Caroli Francorum Regis Filiam, speratam Balduini Ferrei, ducit in vxorem, & in Angliam deducit. *Baronius ad hunc annum; Meyerus ad annum 857.* *al. Adelphaldus.* *Iuditha Caroli Calui Gall. Regis filia, iungitur Andulpho Angliæ Regi.*

Adalardus Vedastini Cœnobij nominatur Antistes. De illo sic in tabulis. *Is Comes vulgò nominatus Flandriæ; reuera autem (nisi sit error) Honneci* Comitis filius (quem meruisse sub Carolo Magno ferunt, atque inclinatâ iam ætate concessisse in disciplinam filij sui Adalardi, iam Bertiniani Abbatis, quem eundem hunc esse non immeritò quis suspicetur) ab anno Verbi Incarnati 855. Vndecim præfuit annis, nullâ, vt scribitur, laude; vtpote rerum dilapidator: cuius apud Carolum Caluum accersitum, Bertinicâ prouinciâ remotum Bertiniani tradunt; quamuis non tam vero, quàm inuidioso crimine insimulatum; simili fortassis de caussa defunctus. Præfecturâ non frugaliter administratâ,* Sic ibi. *al. Honnecï.* *Honnecus Comes fit discipulus filij Adalardi Abbatis Vedastini.*

CHRISTI AN. 856. ANNO 856. Beatus Theodoricus Atrebatium Episcopus, BENED. 3. PAPÆ AN. 2.

S. Theodoricus Atrebatium Episcopus moritur

copus, vitam glorioso fine terminat, relictâ Sede ad quinquennium ferè Pastore suo destitutâ. De illo sic in Atrebatẽsis Ecclesiæ Archiuis: *Hic post vitam religiosam exuens hominem, in Ecclesiâ Sancti Auberti* honorificè sepultus exstitit. Sed tempore Ottonis primi Imperatoris, in Germaniam translatus est. Post huius Præsulis decessum, Ecclesia ferè annis quinque vacauit, Lothario Imperatore tres Clericos suos successiuè instituente Gembertum, Teodaldum, & Hilduinum. Iste Lotharius * fuit, qui Ludouicum Patrem suum, Ebbone Remorum Archiepiscopo accusante, è regno deiecit iniustè, qui postmodùm cum consensu Francorum reuocatus est: & Ebbo à gradus sui dignitate non irrationabiliter expulsus.* Hactenùs.

* Cameraci.

Lotharij Imp. auctoritas vsurpata.

* De his itè Baronius Tom. 10. Annal. ad ann. 844. & seqq.

Eodem anno secundùm Franciscum Petitæum (alijs 809.) moritur S. Ludgerus, decimus Vltraiectensium Episcopus. *Oriundus fuit* (scribit Molanus) *ex Frisiâ, ex auo VVrisingo Adone, qui à Radbodo Rege ob iustitiæ defensionem, à patriâ effugatus & in Franciam pulsus est, sed cùm Carolo regnante Frisia Francorum accessisset imperio, ab ipso ad patriam caussâ Fidei roborandæ remissus est. Matrem eius Liafburgam, auia ex paterno genere gentilis, dolens filio tantùm filias nasci, furore fœmineo succensa, eâdem quâ nata fuerat horâ, à mancipio situlæ aquâ plenæ immergi mandauit. Sed mirando spectaculo paruula ætas vtrâque manu marginem situlæ apprehendens, perfectæ ætati reluctabatur. Itaque vicina mulier superuenit, quæ infantulam eripuit, & ori eius de melle aliquantulum immisit. Quia autem iuxta superstitionem gentilium, semel aliquid gustantes illicitum erat necari infantes, in domo eius mulieris occultè educata est, & post auiæ mortem matri restituta. Iuncta autem marito Thiadgrino Ludgerum in vtero gestans, casu corruit, & palus super quem ceciderat, latus penetrauit: sed Dei pietas & puerperam & puerperium à mortis faucibus liberauit, & qualis foret nascitura proles, præmonstrauit. Sensim autem puerulus sensum canum, & cor senile assumpsit, & à parentibus obnixè postulauit erudito in Scripturis viro commendari. Qui eum quantocyus Gregorio commendarunt, qui Traiectinæ Sedi in gradu Presbyter præsidebat, successor martyris Bonifacij. Vbi tonsura accepta totum se in Traiectensi Monasterio ad Dei seruitium conuertit. Mira illi circa Conscholasticos charitas: mira circa Ecclesiasticum officium deuotio erat. In Angliam pro Diaconij gradu directus, incidit Eboraci in scholam Alcuini viri omni scientia celeberrimi: apud quem quatuor annos & sex menses mansit,*

totum cum eo nouum & vetus Testamentum perlegens: tantò deinceps gratior Patri Gregorio, quantò erat & literarum scientia instructior, & librorum copia plenior, & Monachorum regulis eruditior. Defuncto autem Gregorio, Albricus successit, qui Ludgerum in DAVENTRE *suæ Parochiæ locum prædicationis caussa & Fidei corroborandæ gratia pergere suasit. Quo promptissimè vadens, Ecclesiam olim à Liafuuino ædificatam, sed à Saxonibus incensam, reædificauit, & in ea Sancti viri Corpus, à se inuentum, condigno honore collocauit. Eo successu Albricus animatus, virum Dei in Frisiam ad fana & idola destruenda destinauit, Quod sine aliqua contradictione perfecit per eum, qui flagellum fecit de funiculis, & solus omnes eiecit de templo.*

Albrico autem Pontificatus ordinem suscipiente, ipse presbyterij gradum percepit. Et quia Frisones adhuc in Fide rudes erant, tam propter Fidei puritatem, & mentis constantiam, quàm propter suos parentes, qui apud eos potentissimi habebantur, doctor Ecclesiæ constitutus est in pago OSTRACHE, *in loco quo Sanctus Bonifacius martyrio est coronatus: vbi hiemali, verno & æstiuo tempore in doctrinæ custodia occupabatur. In autumno verò specialiter Sedi Traiectensi sui Antistitis iussu præsidebat. Cùm autem VVitichindus paganus, Saxonum dux Frisiæ Ecclesias accenderet, Dei famulos expelleret, & cuncta cædibus, incendijs, & rapinis impleret, & Ludgerus neque martyrium, quod optabat, mereretur, neque vllum suæ prædicationi locum dari videret, cedendum tempori ratus, cum fratre suo Hildegrimo & Antistite Albrico Romam abijt: vbi cùm in paterna hæreditate Monasterium construere cogitaret, Leo Pontifex, datis dignis Reliquijs auctoritatem indulsit. Rediens per Beneuentum, regularem vitam nosse & obseruare volens, & quia pater Monasterij genere sibi propinquus erat, duobus inibi annis & sex mensibus mansit.* &c. Vide dictum Molanum in Natt. Martij 26. BENED. 3. PAPÆ

CHRISTI AN. 857. ANNO 857. Andulphus, siue Etheluulphus Angliæ Rex, apud Vinctonium mortem obiit: cuius filius Adelbaldus Iuditham Nouercam suam, sibi in thalami consortem acciuit: quo, & ipso eodem anno, defuncto, redijt Iuditha in Galliam ad Patrem, ac Siluanecti plurimùm se cōtinuit. AN. 5. *Iuditha hoc anno his mortuis, ad Caluum Regem Patrem in Gallias redit.*

Cæterum de Andulphi testamento, quod alibi diluimus, hîc lubet ista addere, quæ à Matthæo Vuestmonasteriensi taliter enarrantur. *Romam autem singulis annis trecentas denariorum mancusas portari præcepit, qui taliter diuiderentur ibidem,*

Testamentum Andulphi, primi Iudithæ mariti.

centum mancusas scilicet in honorem Sancti Petri Apostolorum Principis, specialiter ad emendum oleum, quo implexentur omnia luminaria Ecclesiæ Apostolicæ in vesperâ Paschæ, & tantundem in Gallicantu. Et centum ididem mancusas in honorem S. Pauli iisdem de causis. Centum prætereà mancusas Vniuersali Papæ præcepit exhiberi ad suas eleemosynas ampliandas. Hæc ille. Vide suprà ad annum 847. & 855.

CHRISTI AN. 859. Delatores mala turba: hinc à Bertinico Abbate disce.

NICOLAI PAPÆ AN. 2.

ANNO 859. Adalardus inuidiâ suorum Bertinensium contractâ, delatus est apud Caluum Regem, tanquam rerum Monasterij dilapidator, atque decoctor. Vndè Præfecturâ istâ exauctoratus, viam liberam ad eandem fecit Hugoni Regis auunculo: quæ mutatio an de re Monasterij fuerit Iperius ita detegit: *Abbas denique noster Adalardus licet bonus esset & eleganter regens, quum apud Regem Carolum inuidiosè, est accusatus, & præsens Abbatia ab eo est abstracta: Hugoni Iuniori, dicti Regis auunculo est data. Hæc mutatio, sed non dexteræ Excelsi, quià mutatus est hic color optimus in peiorem, facta est anno Domini 859. Regis Caroli Calui, ac Domini Adalardi XVI.* Hactenus ille.

CHRISTI AN. 860.

NICOLAI PAPÆ AN. 3.

ANNO 860. Sanctus Ioannes, Cantor Ecclesiæ Cameracensis, Lothario Imp. non ignotus, vt in cuius Aulâ nutritus fuerat, & Hincmaro Archiepiscopo Remensi, cuius ad eum plurima scripta inueniuntur, non inimicus, in Episcopum Atrebatensem ordinatur. *Ex monumentis Ecclesiæ Atrebatensis. Quædam exemplaria habent anno 850. sed vitiosè, vt ex superioribus liquet.*

CHRISTI AN. 861. Normannorum in Flandriâ noua irruptio.

NICOLAI PAPÆ AN. 4.

ANNO 861. Normanni ex Franciâ in has Regiones aduolantes, primùm ad Menapios applicant & circùm circà villas, agros omnemque Morinorum ditionem incendio & sanguine fœdant. Cœnobium Bertinicum communibus Flammis inuoluunt, eiusque Ascetas quatuor, domus custodiæ relictos, VVorardum & VVinaldum presbyteros, Gerardum & Regenardum Diaconos exquisitis tortos cruciatibus pridiè Pentecostes interfecerunt. *Iperius, Meyerus, Molanus.*

Normanni S. Hunfridum Morinorum Episcopum suâ Sede exigunt.

Sanctus Hunfridus Morinorum Episcopus, Sede suâ per Normannos expulsus, Romanum Pontificem consulit nùm ei reuertendum sit ad ouile, curæ suæ commissum. Ad quem sic Nicolaus Pontifex rescripsit: *Si perniciosum est Proretam in tranquillitate nauem deserere, quanto magis in fluctibus?*

Vbi non dicimus, quod persecutorum non fugiamus insidias quum ad tempus saeuiant; & ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem diuinitus assequuntur: sed quod praecipuè nos qui tanquam arietes ducatum gregibus praebemus; immò & qui horum auctores sumus, Deo auctore cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conueniat: & cum tranquillitas reddita diuinâ fuerit pietate, mox gregem perquirere & in vnum colligere debemus, &c. Caussa 7. q. 1. c. Sciscitaris. Molanus; Demochares; Iperius; Meyerus.

Pontificis Romani littera ad D. Hunfridum.

Hugo in Sancti Bertini Antistes, quod demandatam curae suae Prouinciam ex aequo & bono non administraret; à Praefecturâ amouetur; atque Adalardus, de quo ad annum 859. diximus, pristinae suae dignitati restituitur. *Iperius.*

NICOLAI PAPAE AN. 5.

CHRISTI AN. 862.

ANNO 862. Balduinus Ferreus Iuditham Caroli Calui & Ermentrudis filiam, ex Siluanecto, inconsulto patre in Flandriam abducit & sociat sibi vxorem: quo ex connubio pòst paulò virilis proles emersit. *Iperius; Meyerus, &c.*

Iuditha vidua, Caroli Calui filia, à Ferreo abducta, eidem sociatur.

Caluus & Ferreus ob Iudithae raptum grauiter sibi ad inuicem infensi, quod hic reddere, iste cedere nesciret, collectis viribus ad Beati Eligij Montem, primùm non procul Bertonuallensi villâ, indè iuxta Ascum* pagum, gemino & atroci praelio congrediuntur. Verùm Gallus Flandro inferior vtrobique terga vertere & in fugam se dare cogitur. *Andreas Vaillandus* in serie Abbatum montis Sancti Eligij, qui specialiter duo illa pugnae loca notat, vndè ad memoriam praegrandia saxa hic illic fixa. *Meyerus* verò instauratum in Insulensium finibus praelium scribit, sed & hoc Gallis inauspicatum.

* Gal. *Asque.*

Calui & Ferrei graues querelae ob Iudithae raptum.

Signorũ vtrimque collitiones Ferreo semper victore.

Balduino mauortia organa foelicibus semper auspicijs pertractante, contrà Carolo Rege tristibus fortunae casibus obnoxio, adeóq; inauspicatas eas artes detrectante; Franci numerosissimum conflant exercitum, eique quendam Episcopum, quem simulato habitu, & mentito nomine Ludouicum Balbum, Caroli Regis Filium iactabant, Ducem praeficiunt, ac in Balduinum mouent: quo cum signis acerrimè commissis, Galli denuò superantur ingenti suorum strage; quorum etiam Dux ille bonus captus, hinc Balduini iussu virgis egregiè fustigatus, demùm in crucem malam est a-

Franci, Episcopo quodam Duce, exercitũ nauiter instaurant.

blegatus. De his in Decretales sic relatum lib. 5. tit. de sent. Excommunicat. cap. 23. *Perpendimus ex literis tuis, quod quidam Sacerdos, pro eo quod se filium Regis, falsò nominare præsumpsit, & armis acceptis seditionem fecit & guerram, a B. Comite iussus est fustigari; qui postea eius mandato, traditus patibulo exspirauit.* & infrà. *F.T. duximus respondendum, quod si memoratus sacerdos tali modo excessit, & non propulsando, sed inferendo iniuriam, fuit occisus, non videtur nobis, quod interfectores eius, propter hoc, ad obtinendam absolutionem, Apostolicam Sedem adire cogantur: Tu verò qui merita personarum benè nosti, pœnitentiam eis competentem iniungas.* Hactenus ibi: quæ huc referimus ex Petri Oudegherstij sensu, qui ad Balduinum pertinere scribit quùm tamen ætatis paulò recentioris esse videantur, si rescriptum istud sit, vt habent Decretales, Clementis tertij, quem anno 1187. in Romanum Pontificem promotum fuisse testatur Matthæus Palmerius in Chronici Eusebiani supplemento; siue vt habet Edouardi Ristoni Angli Synopsis rerum Ecclesiasticarum, anno 1188. Accedit quòd Pontificium istud diploma missum fuerit ad Simonem Abbatem, vti notatur in Glossâ. Quis autem hac tempestate vixerit Abbas, Simon nomine, non reperio; reperio autem duos qui Clementis tertij tempore, quorum vnus in Bertinensi Cœnobio præesse cœpit anno 1176. desijt anno 1187. alter in Aquicinctino, anno 1174. qui & anno 1201. decessit. Adde quòd quisquis ille fuit, qui prædictum Episcopum ad laqueum adegit, Comitis titulo ab Summo Pontifice nominetur, quùm noster hic Balduinus nondum esset à Caluo Rege eo dignitatis apice sublimatus. Litera tamen B. quam in textu habes, me torquet, & stare cogit inter sacrum & saxum: tu libera Lector.

Iterum à Ferreo fugantur Episcopo eorum Duce capto, inde suspenso.

Difficultas quædam expenditur.

Rex Caluus quod armis vlcisci de Ferreo nesciret, spiritali eum fulmine, per Gallicanæ Ecclesiæ Episcopos percelli atque à Fidelium communione segregari iubet, lege, vt vocabant, Gregorianâ, quæ sic habet: SI QVIS VIDVAM IN VXOREM FVRATVS FVERIT, ANATHEMA SIT.

Balduinus Ferreus per Episcopos Galliæ excommunicatur.

Sententiam pronuntiauit Anselmus Episcopus, cuius Patruum cum Duodecim Gallis Proceribus, Balduinus in Eligij Monte, recens suspendio extinxerat. *Oudegherstius.*

XII. Galli Proceres in S. Eligij Monte per Ferreum suspensi.

Balduinus sententiæ excommunicationis in se latæ accepto nuntio, gemens & dolens (ex Baronij Annalibus excribo) Romam ad Nicolaum Pontificem se contulit, interpellans eum, vt suis precibus conciliaret sibi Carolum, quem iustâ caussâ infensissimum pateretur, antequam desperatione victus, cogeretur confugere ad Nortmannos. Præstitit Nicolaus misericordis Patris officium, prodigi filij peccatis suis in deterius prolabentis commiseratus, & litteras per Ioannnem Ficodensem & Rodoaldum Portuensem Episcopos Legatos ad Carolum Regem scripsit. Incipiunt litteræ: *Beato & pretioso Christi Dei nostri cruore &c.* in quibus hæc de caussâ ipsius: *Ad Beatissima Sanctorum Apostolorum Principum Petri & Pauli limina, nostrumq; Pontificium Balduinus Vassallus vester ardenti animo accedere studuit: Qui vestram se habere indignationem, eo quod Iudith filiam vestram illum præ cæteris diligentem, sine vestræ voluntatis consensu, in coniugium elegerit, eamque volentem* acceperit, ore proprio retulit.* Hæc ad ipsum: Ad Reginam autem Iudithæ matrem eodem argumento per eosdem quoque Legatos scribens, ab eo raptam affirmat. Est Epistola breuis, dignaque memoriâ, quæ sic habet.

[Margin: Ferreus ...am Iudithâ Romanū adit Pontificem; apud eū querimonias suas depositurus.]

[Margin: Exauditur à Romano Pontifice.]

[Margin: Nicolai Pont. Max. littera ad Caluū Regem.]

[Margin: * Vide lib. 5. Decretal. titul. *De Raptoribus* cap. *Cū caussa quæ inter.*]

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, HERMENTRVDÆ Reginæ.

FIdelium vniuersitas gentium ex varijs mundi partibus, cuiusque sint ordinis vel ætatis, si quâ fortè criminis noxâ, vel seniorum suorum formidine detinentur, ad hanc Sanctam omnium terrarum matrem Ecclesiam Romanam, vt salutare percipiant remedium, recurrunt & ab eâ non solum animæ, sed & corporis saluationem (vt omnibus patet) humili prece suscipere precantur. Quibus multis diuinitùs fulta auctoritatibus, & Sanctorum Patrum roborata documentis materno amore solamina subministrat; & sugenda vbera consolationis compatiendo inferre minimè recusat. Et quia hic Balduinus, qui charissimam filiam vestram contra diuinarum legum sanctiones rapuit, de his se esse recognouit: Liminibus Sanctorum Apostolorum lachrymosis & mæstis precibus lugubriter se obtulit, vt pro tanto crimine Apostolicam opem acciperet, nostroque Apostolatui nihilominus flendo se præsentare quæsiuit. Cuius

[Margin: Eiusdem Pont. litera ad Galliæ Reginā.]

quum

quùm lamentabilem & tanto scelere plenam cognouissemus petitionem, ad mentem rediit, quod per Prophetam Dominus dicit: MISERICORDIAM VOLO ET NON SACRIFICIVM. *miserti fuimus & hos vestræ in Christo dilectæ industriæ, Apostolicæ solicitudinis apices fieri statuimus, missosque etiam Rodoaldum & Ioannem Reuerentissimos & sanctissimos Episcopos, delitiosos nostros, pro eo, vestræ charitati direximus: per quos obnixius deprecamur vt prædictus Balduinus, qui vestram per Apostolorum intercessiones desiderat beneficentiam obtinere; pro Dei amore gratiam percipere valeat, & de sui affectione nostri Præsulatus oraculis consolationem resumat, quatenus vt qui se per infœlicem culpam a normâ æquitatis declinasse non ambigit, medelam Apostolorum agnoscat, & apud vestram seniorem venialem, nobis iuuantibus, vigorem obtineat. Dextera vos superna protegat Maiestatis, & ab omnibus semper aduersitatibus, maculisque conseruare dignetur. Data VIII. Calend. Decembris, Indictione XI.* Hactenus Nicolai ad Reginam Epistola.

Su me animos, Balduine; tibi mox lætior annus;
Qui Comitem te, & pacificum dabit esse Maritum.

TOMI PRIMI FINIS.



CHRO-

CHRONICON BELGICVM,

IN QVO

FLANDRICI COMITATVS EXORDIA ET PROGRESSVS,

MAXIME QVA AD OCCASVM SPECTAT, CONTINENTVR.

AVCTORE FERREOLO LOCRIO PAVLINATE.

TOMVS SECVNDVS.




ATREBATI,
Ex Officinâ GVILIELMI RIVERII,
sub signo BONI PASTORIS.
M. D. C. XIIII.



FLANDRICI COMITATVS EXORDIA, ET PROGRESSVS, MAXIME QVA AD OCCASVM SPECTAT.

BALDVINVS FERREVS, PRIMVS FLANDRIÆ COMES.

Christi An. 863.



NNO 863. Pax tandem, Nicolao Pont. Max. negotium promouente, inter distractos & auersos Galli atque Flandri animos, intercedit. Altissiodori, nuptiæ ex intimâ Regis mente, inter Balduinum & Iuditham celebrantur, nullâ non Regiæ pompæ & adfectus testificatione. Horum Baronius, & ab illo Gabriel Bisciola sic meminerunt: *Carolus Rex & Siluanectense Concilium cum Nicolao questi sunt, quòd Balduinum raptorem Filiæ Caroli, Romæ recepisset, & litteris suis ipsi Carolo & Reginæ commendasset: Negauit Nicolaus se eum absoluisse Anathemate, quo ligatus erat, immò facinus detestatum, ipsum acerrimè increpuisse: postulantem verò subsidium Apostolorum abijcere non licuisse, idque exemplo prædecessorum*: (tempore sc. Lotha-

Nicolai Papæ An. 6.

Carolus Rex & Balduinus ad pacis fœdera conueniunt.

Balduini Nuptiæ.

rij Imp. Vide Baronium.) *Porrò ipsum Balduinum, tandem à Carolo receptum in gratiam, eiusdem Nicolai litteræ ad eundem Carolum Regem redditæ docent, quibus ipsi Pontifex eo nomine gratias agit: quod & Hincmari* (Archiepiscopi Remensis) *Epistola ad Nicolaum Papam, quæ recitatur à Frodoardo, pleniùs ostendit, vbi Hincmarus hæc habet:* INTERIM BALDVINVS ET IVDITHA, LEGES CIVILES, QVAS ELEGERANT, OBSERVARVNT. SIMILITER REX NOSTER, FILIVS VESTER, HVIC ADESSE NOLVIT, SED REIPVB. MINISTROS ET OFFICIARIOS MISIT; ET VT VOBIS POLLICITVS FVERAT, HOS INTER SE MATRIMONIVM CONTRAHERE, IVXTA LEGES HVMANAS, PERMISIT; ET BALDVINVM MAXIMIS HONORIBVS AFFECIT. Hæc ibì.

Qui verò fuere isti honorum tituli, quibus Carolus Balduinum cumulauit?

Fit primus Flādriæ Comes.

BALDVINVS A CAROLO REGE PRIMVS FLANDRIARVM COMES, GALLIARVM PATRICIVS ATQVE PAR CREATVR, QVOS HONORES SEV TITVLOS, HÆREDITARIO IVRE, IN POSTEROS TRANSFVNDERET.

Quædam difficultas oritur.

Cæterùm prodijt his in specie repugnans nuperi alicuius Scriptoris & docti quidem assertio; nempè Berengarium aliquem, cuius natales neque examinat, neque exprimit, Nouioduno, Ambiano, Morinis, Cameracenatibus, abs Ludouico Bono Imp. Caroli Regis Patre datum fuisse Comitem, adeóque toti Flandriæ quà Orientali, quà Occiduæ ante Balduinum præfuisse; & sententiam ex Capitulari Regum Galliæ, l. 1. c. 2. & l. 2. c. 25. nititur confirmare. Sed ego distinguendum equidem crediderim; quòd par non adfuerit auctoritas, non amplitudo (nam vbi illîc Flandriæ nomen?) non vires huic atque illi, qui pro arbitrio imperabat, & Regijs viribus haudquaquam impar esset; &, vt dixi, honores iure hæreditario in posteros transfunderet. Neque enim negare velim, remissioris fortunæ olìm viros id nominis prætulisse; quales S. Euerardum Cisonij, Engeramnum* Hesdinij, alios scimus Comitum titulo fuisse cohonestatos.

Soluitur.

** Vide infrà ad an. 1072.*

Rem hîc addunt quidam (scribit Iac. Meyerus) *fabulæ haud*

multùm

multum absimilem, Ferreum quodam in prælio recepisse medio ex hoste, Calui Regis gladium; eamque ob caussam gladio ab eo donatum, institutumque vt in coronandorum Regum ceremonijs, Gladium Comites Flandri Regibus præferrent.

Eodem tempore Rex Caluus Atrebates, qui anteà sub Merouingorum & Carololingorum imperio fuerant, instituto nouo Flandriæ Comitatui, adiecit; quorum Principem Ciuitatem Atrebatum, totius ditionis siue Comitatus Flandrici supremum Caput deinceps futurum edixit, & de facto Metropolim nominauit. *Petrus Diuæus l. 2. Histor. Rerum Belgicarum, cap. 22. Bresinius tom. 1. Chron. Flandriæ & Artesiæ; Franciscus Balduinus, Chron. MSS. Artes.* *Atrebatum fit totius Flandriæ Metropolis.*
Hinc Guilielmus Brito. l. 2.

Atrebatumque potens, vrbs antiquissima, plena
Diuitijs, inhians lucris, & fœnore gaudens,
Auxilium Comiti, tantò studiosius addit,
Quò Caput & Princeps Flandrensis, & vnica Regni
Sedes existat. &c.

Eâdem tempestate Hollandia Zelandiaque Comitatus titulum ab Carolo Rege etiam acceperunt. Theodoricus, aliàs Theodorus, cognomento Aquitanus (quibusdam Frisius) è Regiâ stirpe, parentibus Sigeberto, Theodorici primi Gall. Regis (obijt anno 694.) trinepote, & Mathilde, Aquitanniæ Ducibus oriundus, ditionum istarum primus fuit Comes salutatus. Porrò habuit olìm Hollandia suos Reges, & Suetonius bonus & antiquus Scriptor suggerere videtur in Caligulâ, cap. 44. vbi pro Minocyno Britannorum Regis Filio, non pauci Admimocyno, Bellini Batauorum Regis Filio legendum esse notauerunt. *Vide Orosium libro sexto, capite quinto, Bussemecherij Tabulas, Turnebum libro vigesimo septimo, capite vigesimo, Theodorum Pulmannum in Annotationibus ad Suetonium.* *Hollandia & Zelandia Comitatus titulo donantur.* *Holladia olim Regnum.*

Idem Carolus de Normannis, qui Gallias & Belgicam continuis depopulationibus fœdè lacerabant, insignem, Ruotberto Duce, refert victoriam. *Normanni bello victi.*

Nicolaus Papa sancit: Sacerdotes in Cœnâ Domini, ob Institutionis Sacramenti Altaris excellentiam, GLORIA IN EXCELSIS &c. in Missâ cantent: Ne fideles Christiani, Concubinarij Sacerdotis Missam audiant. *Distinct. 1. & 30.*

CHRISTI AN. 864. — NICOLAI PAPÆ AN. 7.

ANNO 864. Moritur Adalardus Bertinicus Antistes, qui *inter cætera donaria* (scribit Iperius) *dedit huic Ecclesiæ Casulam purpuream, auro & margaretis mirificè ornatam, quam adhuc sub antiquâ sui pulchritudine conseruamus.* Addit etiam reparasse Monasterium à Danis destructum; atque quarto iterati Regiminis anno, in Beati Amandi Cœnobiò, vitæ diem obijsse extremum.

Successit Sanctus Hunfridus, magno Ascetarum expugnatus desiderio, iam antè Morinorum, post B. Folquini obitum, Episcopus, nec biennio ampliùs vtramque simul tenuit dignitatem.

CHRISTI AN. 865. — NICOLAI PAPÆ AN. 8. — *Campanæ.*

ANNO 865. Bulgariæ Regnum, vnà cum Rege, ad Christi Fidem conuertitur; quo quidem tempore, Ærea instrumenta, quæ Campanas vocamus, Græcis vsui esse occeperunt, aliquot earum missis ad Michaelem Imperatorem, ex dono Vrsi Ducis Venetorum. De Campanarum & Nolarum inuentione, consule Polydorum Vergilium.

CHRISTI AN. 866. — NICOLAI PAPÆ AN. 9. — *Vedastinum Monasteriũ ab Rege innaditur.*

ANNO 866. Rex Caluus, opes Vedastini Monasterij primus Regum inuadit. Quid verò indè emolumenti loco accesserit, discamus abs domestico eius Chronico: *Carolus Caluus ad omnes fortunæ blandientis & aduersæ impetus ferendos natus, variam admodum eam animo tamen semper infracto expertus est. Maximarum virtutum laudem ei tribuunt; passum tamen aliquid humanitùs annotant: fuisseque supra modum ambitiosum, atque eius permissu, Laicos in Monasterijs pro Abbatibus versatos. Seipsum tamen hîc pro Abbate gessit Vndecim annis; tribus solus, cæteris, ascito quasi potestatis consorte, non æquali tamen auctoritate. Per enim id tempus, auxit plurimis bonis Monasterium; priuilegia, dona, immunitates confirmari curauit, quùm à Synodo Episcoporum apud Veriacum: tum à Ioanne 8. Summo Pontifice; ac denique ipse bis teruè per se id effecit,* &c. Hactenùs ibì.

Etiam Bertinense.

Quantum Vedastinis, tandundem & Bertinicis, & eodem anno intulit Rex Caluus: etenim Sancto Hunfrido, Morinorum Episcopo, à Regimine Bertinicę Domus amoto; Hilduinum, suum & Consiliarium & Archinotarium prȩfecit. An verò ex re Monasterij id fuerit, audiēdus Ioannes Iperius: *Beato Hunfrido* (inquit) *expulso; hanc Abbatiam à prædicto Rege Carolo Caluo* (Hilduinus) *obtinuit, propter auri*

libras triginta: vir, præter hunc ingressum, gloriosè per omnia recommendandus, & quasi à Deo datus huic loco, iam penè lapso, in cuius reparatione & releuatione sic laborauit, vt excepto primo fundatore nostro Domino Sancto Bertino, omnium prædecessorum actus exsuperauerit. &c. Sic ille; nec absimiliter pro dignitatis alternatione Molanus in Natalibus 8. Martij, vbi lego: *Abbatiam tantùm duobus annis rexit*, (sc. Sanctus Hunfridus.) *Post bellum enim Nordmannicum, Carolus Caluus eo cum dedecore deposito, intrusit decimum septimum Abbatem, Canonicum Sæcularem, de Senioratu Lotharij, suum Consiliarium.* Hæc Molanus. *Hildninus id reparat.*

CHRISTI AN. 867. ANNO 867. Regnat insolens aëris intemperies, & ex eâ aranearum quoddam Regnum, quod sartum tectum apud miseros mortales longè latéque tueri, inaudito morsuum stratagemate satagebant. Hinc varij morbi, hominumque euastatio. *Sigebertus.* NICOLAI PAPÆ AN. 10.

CHRISTI AN. 868. ANNO 868. Sanctus Hunfridus Morinorum Episcopus mortali vitæ nuntium mittit. Is inter alia alibì recensita, Megenfridum Nobilem adolescentem, in Monachum Bertinensem recepit; cuius pater, Rodoaldus nomine, non pauca terræ iugera Teruannensi opido adsita, Monasterio nuncupauit: &, quod nequaquam prætereundum est, quatuor etiam mancipia contulit; moxque seruum alium cum vxore & liberis superaddidit. Cuius exemplum Heribertus mox æmulatus, eidem Cœnobio, viginti mancipia pariter legauit. *Vide Iperij Chronicon.* HADRIANI SECVNDI PAPÆ AN. I. *Mancipia olim in Belgio ac primùm Audomaropoli.*

Ergo in Belgis aliquandò mancipia?

Aliquandò, & vidisti: nec soli habuere Bertinici. Docet Chronicon Cameracense quendam Macharium, genere Nobilem, adstipulante Gondradâ coniuge, Cameraci ante Beatæ Virginis Deiparæ aram, inter cætera votiua, centum quinquaginta vtriusque sexus mancipia adgregasse, & Ecclesiæ Cameracensis propria fecisse, idque Idibus Aprilis, anno 885. Vide infrà ad annum 925. *Cameraci.*

Neruios petas? Ernoldus, Richilde vxore assentiente, Bouinas cum seruis & ancillis, Sancti Amandi Monasterio attribuit, quam donationem Hugo Nouiomensis & Tornacensis Episcopus, anno 1002. confirmauit. Anno autem 1041. Ermentrudis Galteri relictâ, eidem Cœnobio seruum & ancillam dedit, eâ conditione, *vt pro censu capitali*, (sic *Tornaci.*

habet

habet meum exemplar, fortè legendum Capituli) *duodecim denarios, & pro licentiâ maritandi, quinque solidos persoluunt.*

Insulis.

Lilam, siue Insulam? Et hîc agnosce in Beati Petri Ecclesiam, pium Balduini Cominij Dynastæ, votum: *Ego Balduinus, Dominus de Comines, & filius meus Balduinus Iunior, Ariensis Castellanus, tam præsentibus quam futuris notum fieri volumus, quòd nos in eleemosynam dedimus, pro salute & remedio animarum nostrarum, Prædecessorum etiam & Successorum nostrorum in Ecclesiâ Beati Petri de Insulâ, Mabiliam de Ronc & quinque filias eius, Clementiam videlicet, Adelidim, Adelidam, Euam & Idam; & eas ab omni seruitute quitas & liberas clamauimus & immunes. Hæc autem & quicquid de ijs exiuit & exiet in vitâ eorum vel earum, duos denarios annuatim Ecclesiæ prædictæ soluere tenentur; in morte verò duodecim. Ne igitur huius donationis eleemosyna, diuturnâ temporis successione labatur è memoriâ posterorum, præsens scriptum sigillorum munimine feci roborari. Actum anno Incarnationis Domini* CIↃ.CC.IX. *Mense Maio.*

Orchiaci.

Orchiacum etiam? Tantundem. Philippi Flandrorum Comitis, audi rescriptum seu indultum. *Ego Philippus Viromandiæ & Flandriæ Comes notum fieri in perpetuùm volo, quòd hominibus de Orchies liberè concessi libertatem, & legem opidi Duacensis, & vt nusquam debeant iuri stare infra Peulam, nisi infra villam de Orchies. Adhuc etiam vt quicunque in villâ de Orchies diem vnum & annum vnum, sine contradictione & calumniâ manserit, liber sit. Concessi etiam ijs, vt liceat in perpetuùm furnos & cambas facere, & etiam Molendina Caballaria, saluo iure meo. Hoc autem factum est assensu illustris consortis meæ Mathildis Reginæ, ad cuius dotalitium prædicta villa pertinere dignoscebatur. Vt ergo id ratum inconcussumque permaneat, præsentis scripta paginæ, quam mei impressione sigilli munio, & subscriptarum testimonio personarum munire decreui. S. M. Reginæ consortis meæ, S. G. de Messines Præpositi Insulensis. S. Iacobi Dauesnes, & aliorum. Actum Duaci, an. 1188. Mense Maio.*

Louanij.

Et Louanium? Anno 1036. qui Beati Iacobi Sacram Ædem Canonici ibì frequentant, sexagintà mancipia, ab Radulpho fundatore receperunt. *Vide Molanum Tractatu de Canonicis.*

Affligemi.

Addam Affligemum? Anno 1175. Benedictini ibì Ascetæ, ab Godefrido Duce Louaniensi talia seruitia obtinue-

runt. *Consule Aub. Miræi Origines Cœnobiorum Belg. c. 43. & sic de alijs alibi.*

Quæres; an Romanorum aliorumque more aliquandò manu-mitterentur? omninò, inquam, & iam aliquid in Orchiacensibus prænotaui. Veruntamen vt ampliùs distinctiusque id intelligatur; eccùm clarissimam Manu-missionis formam, ab R. de VVaurin, Liliensis opidi Toparchâ, Furnæ in Flandris dictatam: *Ego R. de VVaurin, Dominus Lilerij, & Seneschallus Flandriæ, omnibus tàm posteris quàm præsentibus notum fieri in perpetuùm volo, quòd Iulianam de Frigidomanso, & Alburgim de Marescо, & earum progenies quæ mihi & successoribus meis, iugo seruitutis obligabantur, diuini amoris intuitu, & pro anima mea & charissimæ vxoris meæ Sibyllæ, & antecessorum & successorum meorum salute, liberè manu-misi, & eas omninò liberas feci, eisque tanquam liberis abeundi quocunque voluerint, & sese quibuscunque voluerint Ecclesijs commutandi potestatem liberam concessi, laudante pariter & concedente dilectissimâ vxore meâ Sibyllâ, concedentibus etiam charissimo fratre meo Hellino, & Hildrade, & Maroiâ, & Adâ sororibus meis; & R. de Senghin, & Gosuino patruis meis; & A. de Meallens, & I. de Spineto, amicis meis charissimis. Ne autem prædictas. I. & A. vel earum posteritatem aliquis sub nomine seruitutis, aliâ supprimere præsumpserit exactione, ego & vxor mea, & omnes prescripti successores mei, eas vel earum progenies, à quibuscunque Ecclesiasticis personis manu-mittendas & sustinendas esse in suâ libertate concessimus; rogantes vt si quis eam infringere, vel in aliquo minuere attentauerit, Ecclesiasticâ ad satisfactionem compellatur districtione. Quod vt ratum & immutabile in perpetuum permaneat, præsentem tabulam tam sigilli mei appensione, quàm testium annotatione communiui. S. P. de Maisnilio; S. Russelli de Bosco; S. Hellini de Fornes; S. R. de Legrâ, & B. Fratris mei; S. Nicolai Rifflard. Actum apud Fornes, anno Domini* CIↃ. C. XCIII. Atque hæc de Mancipijs & libertis. *Mancipiorum Manumissio.*

Verum enimuerò fœdum, dirum istud, & Christianæ libertatis atque charitatis indignissimum seruitutis iugum, Margareta, Balduini Constantinopolitani Imp. Filia, Gulielmi Dampetræ Coniunx, & Flandriæ Comes, ab subditorum suorum humeris (quæ sua fuit pietas) penitùs excussit; & ne vnquam in ditiones suas reueheretur seuerè prohibuit. Eius litteras Lilæ in Sancti Petri Archiuis asseruari, *Eiusmodi seruitus tollitur.*

Molanus asserit: *Hinc* (vt notat idem Molanus) *quùm anno 1531. Institor quidam Lusitanus, eruum nomine Simonem, emptione, pro patriæ conditione; suum, in vtrâque malâ notis literarum P. M. compunctum, ad Belgas transfugam, ab sanctiori Caroli V. Imp. senatu, oblato supplici libello ius requirendi & vendicandi exposceret: totum id negotium, vt imprimis arduum, supremo Mechliniensi Consilio examinandum commisit. Responderunt Patres Conscripti, Institoris petitionem, nullâ iuris firmâ ratione niti, propterea quòd moribus vsuque nostræ gentis, iamdudum seruilis personarum conditio antiquata esset, atque omnium hominum libertas optimè conseruata.* Sed de his plus satis, ad institutum itaque reuertamur.

CHRISTI AN. 869. — *Hugo in B. Vedasti Caluo Regi substituitur.* — HADR. 2 PAPÆ AN. 2.

ANNO 869. Hugo Iunior, in Regiminis Vedastini Cœnobij consortem à Carolo Caluo accitur. Vndè in Chronico: *Hugo Iunior, tertio demùm anno, postquàm nullo substituto, se pro Abbate gesserat Caluus, ipsi consanguinitatis necessitudine deuinctus à nepote Caluo ipse auunculus, è Canonico, dictus est huius loci & D. Bertini Abbas: coercitâ tamen hic* (fortasse etiam in D. Bertini) *auctoritate, vt integra semper apud Caluum summa resideret auctoritas; spiritualibus dumtaxat Hugoni creditis. Quorum biennio curam egit: non fortè quòd tum mortem oppetierit; sed communi fortunâ (licet incertâ) ex hâc vt è Bertinicâ Domo exturbatus, anno restituti orbis 871.* Hactenùs.

CHRISTI AN. 870. — *Epidimia lues in Morinis ex locustis.* — HADR. 2. PAPÆ AN. 3.

ANNO 870. Pestilentia grauissima oritur & liberè grassatur in Morinis, ex fœtore locustarum mari nostro immersarum. Refert Plinius libri XI. Naturalis Historiæ c. 29. longinqua maria ab ijs transiri, continuata plurium dierum profectione; famem quoque illas, quam propter, externa petunt pabula, scire imminere, immensos permeare tractus, tanto alarum stridore, vt aliæ credantur alites, ac demùm gregatim sublatas in maria aut stagna decidere.

CHRISTI AN. 871. — *Alter Hugo Abbas.* — HADR. 2. PAPÆ AN. 4.

ANNO 871. Alter Hugo Vedastinæ familiæ datur Antistes: *Verùm tam iniquâ* (loquitur Chronicon) *fortunâ vt vix decem mensibus expertus dignitatem, æmulum* (Madfridum, vide ad annum 852.) *nactus peracrem, veteranum, aulæque miris instructum artibus, iam ab vndeuiginti annis perbreui tempore eâ potitum, ipse expers & imperitus harum artium, illi verò coactus cessit quinquennio; quo exacto non omni ereptâ Hugoni apud Principem Carolum Caluum gratiâ, vt quarto post mense, simul (sicut credere par est) cum vitâ, prouinciâ decederet, an. 876.* Hact. ibi.

AN-

CHRISTI AN. 872. — HADR. 2 PAPAE AN. 5.

ANNO 872. Carolum Regem Francorum domestica calamitas in filijs suis afflixit. *Siquidem Carolo-Mannum in Clericatu, vsque ad Diaconatus officium prouectum, ipse pater cepit & excæcauit, pro eo quòd ad apostasiam conuersus, & omni genere nocendi regnum perturbans, alter quidam Iulianus effectus erat. Porrò alter filius eius Carolus, dum inconsultè voluisset experiri expertam cuiusdam Albuini militis fortitudinem, & soli solus congressus fuisset, ab eodem Albuino, ignorante quis esset, peremptus est.* Sigebertus.

Caluus in Filijs affligitur.

Corpus Sancti Amati, ob Danorum metum, ex Broylo Duacum transfertur, atque in B. Virginis templo deponitur, quod vt sæpè alibì, ab ipso Amato nomen assumpsit hodieque retinet. *Iperius*; *Molanus* 13. *Sept.*

Corporis S. Amati Translatio. — IOANNIS OCTAVI PAPAE AN. 1.

CHRISTI AN. 873.

ANNO 873. *Hilduinus Bertinensium Antistes impetrat à Rege Carolo* (verba sunt Iperij) *Forum & teloneum, vt semel in anno Custos refectionem fratribus inde tribuat. Et hoc est vinum quod in Vigilia Natalis Domini fratribus largiùs solito propinatur.*

Bertinensis Afretis indulta. — IOAN. 8. PAPAE AN. 2.

CHRISTI AN. 874.

ANNO 874. *Obtinuerunt* (scribit Molanus) *fratres Meruillani, siue Broylenses, à Ioanne Episcopo Cameracensi, & Carolo Rege, vt cum omnibus priuilegijs & possessionibus Duaci remanerent.* Mol. 13. Sept.

Priuilegium Amatensium oppidi Duacensis.

CHRISTI AN. 875. — IOAN. 8. PAPAE AN. 3.

ANNO 875. Hyems solito asperior, & prolixior, nix & gelu a Calendis Nouembris, vsque ad Vernale æquinoctium.

Hyems aspera.

CHRISTI AN. 876. — IOAN. 8. PAPAE AN. 4.

ANNO 876. Carolus Caluus Rex, Imperiali dignitate donatur; sed biennio non amplius istâ Maiestatis accessione est gauisus.

Caluus fit Imperator.

Lingua Teutonica aliàs Germanica, quæ abs Pharamundi Regis ætate in Gallias penetrarat, sensim pedem refert, atque infrà Flandriæ terminos sese continere iubetur. *Tilletius*.

Lingua Teutonica intra fines suos coercita.

Ioannes Pontifex Max. referente Gratiano, sancit. Si quis Sacerdos aut Laicus homicidium faceret, perpetuò irregularis haberetur, & ad sacros ordines nullatenus admitteretur, nec de cætero Missam celebrare præsumeret. Item si quis sacrum de non sacro, aut non sacrum de sacro abstulisset, sacrilegii pœnâ mulctaretur.

Quædam decreta.

CHRISTI AN. 877. — IOAN. 8. PAPAE AN. 5.

ANNO 877. Rodulphus Domui Vedastinæ per Caluum Imp. Abbas præficitur. Cœnobij excipiamus Chro-

nicon: *Odus obiuit iniquissimo tempore, quum fractis Christianorum viribus omnis penè patria pradeesset Barbaris. Vedastini fugâ salutem sibi quæsiuere; profecti Bellouacum, asportato secum Beati Vedasti Corpore, & quicquid erat quod minus perditum vellent. Sed vna ferè fuit omnibus fortuna. Quicquid hæserat domi, direptum à Barbaris, ipsa domus incensa: solum Templum inustum mansit. Quicquid tuto conditum erat loco Bellouaci, fortuito eius vrbis incendio, 15. Cal. Octobr. anno 886. parum abfuit, quin totum perierit; ad Beati Vedasti Reliquias dumtaxat non pertinuit ea clades. Hinc ægrè Rodalphus Monasterium instaurauit; quod tamen ita effecit, vt non modò par ferendis, sed etiam idoneum esset propulsandis hostium conatibus; quod Atrebatibus quietem attulit ad annum circiter 900. quo excessit è viuis, Non. Ian. potitus rebus, annis tribus & viginti, de Republicâ Ecclesiasticâ bene meritus. Tumulatus est in Æde Sacra Diui Petri.* Hactenus ibi.

Castrum Nobiliacum, seu Vedastinum.

His consentit vetus quoddam monumentum MS. in quo sic lego: *Iste tenuit Castrum Sancti Vedasti contra Normannos; vt in antiquis Chronicis inuenitur, vbi scribitur: Astingus verò per dolum pacem fecit cum Rodulpho Abbate, vt liberè posset exire quò vellet. Prædictus verò Astingus die solemnitatis Sancti Ioannis Euangelistæ, venit aduersus Castrum siue Monasterium S. Vedasti. Rodulphus verò Abbas timens ne multitudo, quæ Nouiomi erat, cum eis deueniret, & insidias metuens, ac timens quod Astingus mandauerat, populum retinuit. Sed cognitâ veritate, post eorum discessum multum doluit. Frequentibus verò incursionibus exterruit eos, nec ausi sunt posteà, ità aduersus prædictum Castrum venire.* Sic ibi.

S. Fulco fit in S. Bertini Abbas.

CHRISTI AN. 878.

Hilduinus, decimus septimus Bertinici Cœnobij Antistes, anno Regiminis sui duodecimo, morte interpellante, eodem defungitur. Eius in locum assumptus est B. Fulco, in B. Audomari Canonicus, Sacerdotali vigore & libertate excellens. *Iperius, Molanus 17. Iunij.*

Caluus, Rex veneno extinguitur.

IOAN. 8. PAPÆ AN. 6.

ANNO 878. Rex Caluus, Regni Neapolitani finibus Saracenos totis exturbare viribus vt conatur, veneno, per Sedechiam Iudæum, medicum suum, cibis immixto, mortis limen ingreditur. Successit Patri Ludouicus Balbus.

CHRISTI AN. 879. *Balduinus Ferreus, primus Flandriæ Comes Atrebati moritur.*

IOAN. 8. PAPÆ AN. 7.

ANNO 879. Atrebati moritur Balduinus Ferreus, primus Flandriæ Comes; cuius Corpus Audomaropolim delatum, in Beati Bertini inijt sepulcrum; relictis ex Iudithâ liberis Balduino Caluo, & Rudolpho, qui Cameracesio iura dedit. Fuit Balduinus Ferreus, Marchantio assertore,

pul-

pulcherrimus nostratium, sussuscâ, virili, venustáque facie; corpore sublimi, firmisque neruis compacto; equitandi peritus; militiæ prouidus; puniendi parcus, vbi auctoritas æquitasque (principatuum nerui) permittebant. In vicinos, subditosque parata officia; in milites obsequentes eximiam liberalitatem conferebat. Delatores, auriumque folles eliminabat; familiaritatem tempestiuâ grauitate condiebat. Eius verò tumulo elogium tale insculptum: *Eius dotes.*

Epitaphium.

Filius Audacri Balduinus Ferreus, olim
Fortis & inuictis viribus iste fuit.
Audaces cuius animos adicere nullus
Sufficit: ipse Foresterius vltimus est.
Flandrensis primusque Comes, quem Carole Calue
Ob natam infeudas, quam tulit iste, tuam.
Pluribus hic annis viuens in pace quietus,
Rexit & erexit pacificè Patriam.
Transtulit hic Sancti Corpus quoque Donatiani,
Remorum Antistes septimus iste fuit.
In Brugensemque vrbem ductum collocat, atque
Condidit ipsius in nomine Ecclesiam.
Ferreus est dictus, quòd semper ferre solebat
Loricam, armatum semper habebat equum.
Octingentesimus Domini dum deficit annus,
Ast octogesimus incipiens moritur.
Cuius honorificè tumulatum corpus habet nunc
Sancti in Bertini Cœnobio requiem.

Balduino Iuditha Coniunx duas proles masculas dedit; Carolum qui iuuenis interijt, & Balduinum cognomento Caluum, qui in Paternum successit Imperium. Quandò verò Iudithæ mori contigerit me latet: est interìm certum, eius corpus Gandaui, in Sancti Petri Monasterio quiescere, tali Epitaphio ornatum: *Proles.* *Iuditha coniunx quando defuncta.*

Eiusdem Epitaphium.

Regis Francorum Caroli sum filia Regis
Nobilis illa Iudith & speciosa nimis.
Vxorem sibi quam me sumpsit Ferreus olim
Balduinus, Duce quo Flandria pacem habuit.
Gloria qui veterum mihi quondam magna meorum
Extitit heu Carolum Mors rapuit iuuenem.
Alter succedens Patri, regnauit & ipse
Tempore sub longo, mors rapit hunc ad eum.

Omnia deficiunt mortalia gaudia mundi,
Et sub sole nihil permanet hic stabile.
Princeps prima fui Flandrensis inclyta quondam,
Nunc sed in angusto contrahor hoc tumulo.
Iam mihi nil prosunt vir, proles, patria diues;
Est mea sed fœdis vermibus esca caro.

BALDVINVS CALVVS SECVNDVS FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 879 — IOAN. 8. PAPÆ AN. 7.

ANNO 879. BALDVINVS CALVVS, Ferrei & Iudithæ filius, nomen à Patre, cognomen ab Carolo Rege, Auo materno mutuatus, Flandriæ Comes salutatur. Illam moderatus est annos circiter quadraginta; quorum in decursu magna & crebra præclaræ virtutis exempla, & expressit, & posteris spectanda atque imitanda reliquit.

B. Ioannes, Atrebatensis Episcopus moritur. Cameraci sepelitur. Eius Epitaphiũ.

Abs Balduini Calui inauguratione mox extinguitur B. Ioannes Episcopus Atrebatensis. Curatum eius funus Cameraci, vbi obijt, ibique ad Sanctę Crucis iniuit sepulcrum, non sine magnæ sanctitatis opinione; frigoreticis, varioque morbo adfectis sanitatem ad eius tumulum recuperantibus. Hinc factum vt à Gerardo decimo tertio successore suo, condignis fuerit eleuatus honoribus. Marmoreo eius tumulo appositum est tale Epitaphium.

Regum magnificâ fueram nutritus in Aulâ,
In quâ Cantoris munere functus eram.
Non proprijs meritis, solâ pietate Tonantis
Antistes istâ factus in vrbe fui.
Quam præstante Deo, monui contemnere semper
Illecebras Mundi, gaudia vera sequi.
Nunc autem facto Carnisque animæque diremptu
Septima post sexta Sabbatha perficio.
Donec in Aduentu Christi, sua membra resumat
Spiritus, octauâ iam radiante die.
Qui legis hunc titulum, frater subsiste parumper,
Et dic, Æternam promerear requiem.

De B. Ioanne vide Molani Natales, 5. Aug.

Rotardus Ioannis successor.

Ioanni Rotardus (Sigebertus Rotradum, Demochares Robertum vocant) successor nominatur.

AN-

CHRISTI AN. 880.

IOAN. 8. PAPÆ AN. 8.

ANNO 880. Atrebates, (Normannis, pessimâ Gente, imminentibus) Rudolpho Abbate suadente, simul cum B. Vedasti Corpore Bellouacum transfugiunt. Pauxillum temporis intercurrit, & ecce Atrebatense opidum, atque Cathedralis B. Virginis Ecclesia, vnáque Sancti Eligij Monasterium, & adiacentia circum loca sacra, profana, ignibus, rapinis, grassationibus Normannorum durissimis exhauriuntur. Sed istorum, dum pabulatum ita excurrunt omniaque demetunt, nouem ampliùs millia in syluâ Carbonariâ Gallorum aduentu & fortitudine trucidata sunt.

Vedastini Ascetæ, metu imminẽtiũ Normannorũ Bellouacũ confugiũt assumpto B. Vedasti Corpore.

Cæterùm Normanni, Danorum societate instauratis viribus, & ista suorum strage auctis, admodùm diris, incredibile, qui immanitate per Gallias, Germaniam & Belgicam totam sæuierint. Illam Iacobus Meyerus in Annalibus sic depingit: MENAPIOS & SVEVOS *quibus omnium maximè erant infensi, ad internecionem penè, redegerunt. Ad Fanum Audomari, mense Martio omnia cremauerunt excepto templo Diui Audomari. Direpta incensáque mense Iulio* TERVANNA MORINORVM, *cum Monasterijs Diuorum Richarij atque VValarici, omnibusque circa vicis & castellis. Captum combustumque* TORNACVM *vnà cum* MARTINIANO, HASNONIENSI, MARCIANENSI, ROTHORNACENSI, *cæterisque omnibus circum circa Cænobijs. Euersa in Flandris* ALDEMBVRGVS, RODEMBVRGVS, OSTBVRGVS, TORALTVM, FVRNÆ, BRVCBVRGVS *Monasterium*, BONONIA *ciuitas. In Menapisco*, HERLESBEKA, VVOROMHOLT, GRONEBERGA, VVATANVM, CASLETVM, BALIOLVM, COMINIVM, LONGOMARCA, STEMFORDIVM, PVPVRNINGAHEM, *Hoc est* POPRINGA, HYPRA, MESCHINA, VARNESTON, *aliaque his vicina loca, vt* VIROVIACVM, DVACVM, ARIACVM, MINORIACVM, SPELLIACVM, HARLEBECCA, ALDENARDA, ALOSTVM, PETIGHEHAM, EYNHAMA, ANDOVERPA, *ac quæque alia aut restituta erant, aut noua ab fundamentis exstrui cœpta.* Hactenùs Meyerus.

In Atrebatibus Normãnorum strages. Cædũtur. Reparant vires, & immensùm insolescunt. In Menapijs, sueuis. Audomaropoli. Teruãnæ. Tornaci. Alibi.

Sigebertus hæc refert ad an. 882.

Eodem anno V. Cal. Ian. Iidem Normanni CAMBRACVM *ingressi, incendijs & occisionibus ciuitatem omnem deuastarunt, & ad cumulum furoris, Sanctum & venerabile Templum Sancti Gaugerici incendentes cum infinitâ prædâ, ad sua castra reuersi sunt.*

Cameracum ab iisdem deuastatum.

Ex

Ex Chronico Camer. iisdem verbis. Consule Sigebertum ad annum 881. & 882. vbì alia reperies opida euastata.

Moritur Ludouicus Balbus Rex Gallorum.

CHRISTI AN. 881. *Atrebatum iterum excisum.* — IOAN. 8. PAPÆ AN. 9.

ANNO 881. *Mense Ianuario, circa festum Sancti Petri iterum reuertentes* (Normanni) *Vrbem Atrebatum deuenerunt; omnibus quos ibì reperere, interfectis, circuitâ omni terrâ, ferro & igne cuncta populantes, ad sua reuertuntur.* Consequenter ex eodem Chronico.

Carolus Simplex Gall. Rex cũ Normannis paciscitur. Frisia iis concessa. Normãni mare repetunt.

Carolus Simplex, Balbi Galliæ Regis filius, & successor, auditis cladibus à beluinâ Normannorum feritate illatis & inflictis, ab Italiâ refert pedem in Gallias, opem laturus periclitanti iam populo vniuerso. Qui non ferro sed auro alijsque promissis Normannorum duces auertit, Godefridum & Sigefredum, illi concessâ Frisiâ, & Gislâ Regis Simplicis (quibusdam Lotharij Regis) filiâ, matrimonio iunctâ. Ferunt Regem duodecies mille argenti probati pondera Normannis numerasse; sicque pactâ pace eosdem Mare repetijsse. Scio quosdam, in quibus post Baronium Gabriel Bisciola censetur, in pecuniȩ summâ variare, neque eam bis mille octoginta libras, solidis viginti pro librâ computatis, excessisse. Verùm ratio aliò trahit & communis sensus. Quantulum enim istud est in tantâ caussâ?

Audomaropolis reparari incipit per S. Fulconẽ.

Post Normannorum recessum (Iperij agnosce verba) *Dominus Sanctus Fulco noster Abbas, reparauit ipse, & consensu procerum & subditorum hanc villam* (Beati sc. Audomari) *fortalitio, & murorum ambitu firmari præcepit & incepit ac per ministeria disposuit: sed multis intercurrentibus negotijs protelatum, & finaliter ipso recedente, & in Archiepiscopum Remensem promoto, incuria desidiaque Ciuium, fortalitium ipsum remansit imperfectum.*

CHRISTI AN 882. *S. Fulco fit Remensis Archiepiscopus.* — IOAN. 8. PAPÆ AN. 10.

ANNO 882. Secundùm Baronium (Iperius, Sigebertus, Meyerus, scribunt ann. 885. Hincmaro Remorum Archipræsule è viuis sublato; Beatus Fulco Bertinicus Abbas (tribus fortè pòst annis, successor arcessitur. Sunt, quod magis miremur, qui id facti retrahant ad annum 853. tertiũ nempè ab initâ Bertinicæ Domus Præfecturâ, quam anno 850. volunt contigisse. Verùm quo ea sententia loco sit habenda, liquidò hinc constat, quòd non nisi defuncto Hincmaro Archiepiscopo, Fulco fuerit eiusmodi donatus dignitate. At nondum è viuis excesserat Hincmarus anno

881.

881. quandoquidem Carolo tertio, anno eodem in Imperatorem assumpto, parænіticam idem Hincmarus scripserit Epistolam, quæ etiamnùm in Spirensi Cathedralis Ecclesiæ Bibliothecâ integra asseruatur. Et ipse Baronius, post Frodoardum est testis, anno demùm 882. Hincmarum vitam terminasse. *Vide Baronij Annales.*

Fulconis ad Remenses concedentis Præfecturæ dignitate initiatus est Rudolphus, vir probus & senex, eius Monasterij Monachus, quamquam non admodùm litterarum sciens. Quo factum vt canitiem suam magistro subiecerit, qui erudiret nec sanè malè in ista ætate profecit, impetrato, ab Helnonensibus, Huncbaldo, insigni Philosopho, musico & Poëtâ, quique varios Hymnos in Sanctorum honorem composuit. Dixi impetratum ab Helnonensibus, Molani voce in Natalibus, Iunij 17. Iperius ab Gauselino Sancti Amandi Abbate pingit. Obijt Huncbaldus anno 932. *Rudolphus in S. Bertini Fulconis successor.*

Marini Papæ An. 1.

CHRISTI AN. 883. ANNO 883. Nortmanni vrbem Treuerim incendunt, & Mettim vsque pertendunt, ibique conserto prælio Christianos vincunt. *Sigebertus.* *Normãni in Germaniâ grassantur.*

CHRISTI AN. 884. ANNO 884. Balduinus Comes, Tronchiniense Beatæ Marîæ Monasterium iuxta Gandauum à Nortmannis euersum instaurari vt iussit, illucque introductis sub Ioanne Antistite regularibus Monachis, Elstrudem Elfredi Anglorum Regis Filiam, sibi Matrimonij fide deuincit. *Marini Papæ An. 2.* *Tronchiniense Cœnobiũ instauratur.*

CHRISTI AN. 885. ANNO 885. Odgerus Bertinici Monasterij Aduocatus, hæreditatem, quam Marsbekam torrentem in Menapisco, loco, cui nomen Hamma, possidebat, eidem Monasterio attribuit.

CHRISTI AN. 886. ANNO 886. Hugo, Lotharij Regis ex VValdradâ pellice Spurius, res nouas cum Nortmannis, turbandæ publicæ quietis ergo, vt molitur, ab Henrico Duce captus & oculos effossus, in Monachum Prumiæ attondetur. *Sigebertus.* *Stephani Quinti Papæ An. 1.* *Marsbeka Bertiniris cedit.*

CHRIST. AN. 887. ANNO 887. Dodilo Vedastini Cœnobij Asceta, Rothardo Episcopo nostro defuncto, Atrebatensis Ecclesiæ Sedem ingreditur. Consecratus est XVI. Cal. Aprileis *Multa Fulconis Archiepiscopi* (loquuntur eius Ecclesiæ monumenta) *ad ipsum exstant scripta & res Ecclesiæ Cameracensis ab Arnulpho Imp. confirmari obtinuit, ipsamque Cameracensem* *Steph. 5. Papæ. An. 2.* *Steph. 5. Papæ An. 3.*

An. 890.

Ecclesia Cameracensis & Lobiensis Monasterij dedicatio.

Ecclesiam * *Cal. Augusti solemniter dedicauit; ac etiam Lobiense Monasterium cum Stephano Leodiensi Episcopo dedicauit; qui excedens à sæculo, in præfata Ecclesia Cameracensi sepultus est.*

CHRISTI AN. 888 *Iterum de Normannis.* — STEPH. 5. PAPÆ AN. 4.

ANNO 888. vt vult Sigebertus, *Carolus Imperator quùm Nortmannos nequiret expellere, tandem facto fœdere concessit eis regiones, quæ erant vltra Sequanam, quarum incolæ contra se rebellabant.* Sic ille. Ista pars Franciæ à nouis istis incolis Nortmanniæ postmodùm nomen accepit, & retinuit.

CHRISTI AN. 889 *Eluuies Hunnorum.* — STEPH. 5. PAPÆ AN. 5.

ANNO 889. Funestissima clades, iteratò in Germannos & Gallos exsurgit, ob Hunnorum in eas regiones immissionem per Arnulphum Carolo-Manni Regis filium, Caroli Crassi in Regnum successorem; cuius impietatem Luitprandus ita deplorat. *O infelicem amarumque diem! Vnius homuncionis deiectio, nempe Zeuentebaldi, quem aduersarium patiebatur, fit totius Europæ contritio. Quot mulieribus viduitates, patribusque orbitates, Virginibus corruptiones, sacerdotibus populisque Dei captiuitates, Ecclesijs desolationes, terris inhabitatis solitudines cæca ambitio paras?*

CHRISTI AN. 890. *Rex Burgundiæ.* — STEPH. 5. PAPÆ AN. 6.

ANNO 890. Rodulphus, coronâ sibi impositâ, Rex Burgundionum statuitur, quod Regnum multo tempore durauit. *Sigebertus in Chronico.*

Franco Episcopus acquirit Episcopatui Legiensi Abbatiam Lobiensem, & Præposituram Fossensem cum appendicijs suis. *Ibidem in additamentis.*

CHRISTI AN. 891. *Dani à Sithiensibus fugãtur & cædũtur.* — FORMOSI PAPÆ AN. 1.

ANNO 891. *Ciues Sithienses* (scribit Molanus) *quùm animaduertissent partem exercitus Danorum descendere per cliuũ montis, in quo SS. Victoricus & Fuscianus quondam primam eius patriæ Ecclesiam ædificarant (ideoq; sanctus campus, vulgo* HETLICHVELT-OFT-LANT, * *corruptè Hellefault nominatur) Ciues, inquam in Domino confortati, obuiam prodeunt, plusquam trecentos Danos occidunt, reliquos in fugam conuertunt.* Hæc ille.

* Elechuelt vocat Iperius.

CHRISTI AN. 892. — FORMOSI PAPÆ AN. 2.

ANNO 892. Atrebati moritur Rodulphus, 19. Bertinici Monasterij Antistes, atque in Beati Vedasti sepelitur.

Conciliũ Remense. Excõmunicatio Balduino intentatur.

Remis Concilium Episcoporum & procerum adgregatur, ex quo scriptum est ad Balduinum Flandriæ Comitem, res Ecclesiasticas inuadentem; *cui intentata est excommunicatio: ad quem etiam scripsit Fulco Remensis Archiepiscopus, redarguens eum quòd Ecclesiastica simul & regalia iura contemneret, locum sacrum Monastici Ordinis peruadens, & Abbatis sibi nomen*

men vsurpans. Vndè communi decreto Episcoporum, iudicatum fuerat eum auctoritatis Canonicæ anathemate feriendum. Sed quoniam Ecclesiæ & publicis vtilitatibus Regni videbatur accommodus, censura suspenditur & emendandi spatium reseruatur. Sic ferè ex Fulconis litteris. Baronius.

Moritur Elfredus Angliæ Rex, eique succedit Eduardus Filius, Elstrudis Comitis nostræ frater.

Item Attrebati moritur Rodulphus, XIX. Bertinici Cœnobij Abbas, atque in Beati Vedasti sepelitur. *Iperius.*

Carolus Simplex quatuordecim annorum adolescens, filius Ludouici Balbi Gallorum Regis legitimus, à Fulcone Archiepiscopo vngitur Rex Francorum. *Baronius, Frodoardus,* — *Carolus Simplex Gall. Rex.*

CHRISTI AN. 893. — ANNO 893 Beatus Fulco Romam ad Generalem Synodum per Formosum Papam, ob graues Ecclesiæ perturbationes Calendis Martij congregatam, ab ipso Pontif. Max. vocatus, proficiscitur. — FORMOSI PAPÆ AN. 3. *Conciliū Romanū, cui interest S. Fulco.*

Rebus in Vrbe peractis Fulco in patriam vt reuertitur, in Bertinicæ Familiæ Abbatem reassumitur, eo quòd Balduinus Flandriæ Comes eam Abbatiam per Caroli Simplicis donationem occupare conabatur. *Molanus in Natt. ijsdem fere verbis*. At Iperius paulò aliter & explicatiùs *Rex annuens* (scribit) *per Fratrum electionem, eidem Archiepiscopo Fulconi, Abbatiam hanc regendam commisit anno Domini VIII[c] XCIII[o]. quam nobilissimè reparauit & rexit. Hæc igitur Balduini Comitis expulsio, & ipsius Fulconis ad hanc Abbatiam promotio, seminaria caussa fuit odij Comitis antedicti contra Fulconem; quæ inimicitia ferè octo annorum occupauit tempus.* — 17. Iunij.

Idibus Iulij Beati Vedasti Corpus, post insumptum in Bellouacensi opido refugij sede duodecennium, ad Monasterium tandem suum, magno cum Atrebatium gaudio reportatur. *Molan. 5. Febr.* — *Corpus S. Vedasti, Bellouaco Atrebatum refertur.*

Beati Audomari Castellum siue opidum fortuito incendio depascitur. *Iperius.*

CHRISTI AN. 894. — ANNO 894. Beatus Fulco ad Formosum Pont. Max. litteras transcribit pro Herelando, aliàs Heritando Morinorum Episcopo, cuius Episcopio a Nortmannis depopulato, eum necessitate cogente, ad se venientem, sicut oportebat, susceperat, atque visitatorem cuiusdam viduatæ Ecclesiæ — FORMOSI PAPÆ AN. 4. *Teruanensis Ecclesiæ desolatio.*

(Catalaunensis) constituerat, vt visitando sustentationem, interim dùm Episcopus ibi ordinaretur, ex illa caperet. At quia homines præfatæ Teruannensis Diœcesis barbaricæ videbantur esse feritatis & linguæ, supplicat vt responso Papæ mereatur certificari, si hunc viduatæ debeat præponere plebi, & alterum ei liceret in præmemoratâ ipsius Ecclesiâ subrogare, qui acceptior propter parentelam & linguam in eodem loco posset existere. *Baronius ijsdem ferè verbis.*

S. Fulconis auctoritas. Idem Fulco Caroli legitimi in Regnum Galliæ successoris confirmationem ab eodem Formoso P. impetrat: idem aduersùs repullulantem Nicolaitarum Hæresim in Angliam ad Albarum Regem litteras transmittit. *Frodoardus.*

CHRISTI AN. 895. FORMOSI PAPÆ AN. 5. ANNO 895. Monasterium Sancti Gaugerici, quod hâc ætate iuxta Cameracensis opidi mœnia considebat, ab Hunnis incendio deuastatur. *Meyerus.*

Nortmānorum cædes. Nortmannis ad centum millia propter Diliæ fluenta, per Arnulphum Imperatorem, deletis; Louaniensis opidi initia exurgunt; loco sepibus atque terræ congerie communito. *Iustus Lipsius in suo Louanio, l. 1. c. 4. & 5. Vide infrà ad annum 1156.*

CHRISTI AN. 896. FORMOSI PAPÆ AN. 6. Stephanus Elsatius fit Episcopus Atreb. ANNO 896. (Demochari 890.) Stephanus Alsatius, vir doctrinæ vitæque singularis, defuncto Dodilone Episcopo in Cathedram Atrebatensis Ecclesiæ sublimatur. Afferam ipsa Ecclesiæ monumenta: *Stephanus ex Alsatio pago natus, Dodiloni successit: qui inter cætera virtutis suæ opera, distinctum Atrebatensis Episcopi, a Crientione fluuio, vsque* * *Satis fluuium infra leucam vnam, ab omni sæculari & iudiciaria potestate, ab omni eo, quod fiscus indè recipiebat, a Carolo Rege liberum & immune sibi dari expostulauit, & priuilegio confirmari. Ab eodem præterea Rege, & eodem priuilegio, Villam* LAMBRES, *cum monetâ & thelonio, quæ nunc Duacum sunt translata, vsibus Episcoporum Atrebatensium acquisiuit; & in eodem priuilegio Atrebatensem Episcopum se nominari fecit. Duas Abbatias sc. Crispinij & Mareolas ipse de manu sæcularium liberauit, nec non vsibus Fratrum Cameracensis Ecclesiæ* CARMERES, VIRSLIS, MONTIGNIACVM, *cum multis alijs villis donauit. Hic in terra natiuitatis suæ inuenitur migrasse.* Sic ibi. Ijs consonant hæc Chronographi Cameracensis: *Sciendum est quòd ante constitutionem huius Castelli* (Duacensis) *Vsus thelonei, quod nunc pro* . . . .

* Gal. Scarpe.

Immunitas seu priuilegium Episcopi Atreb. Aliud.

Flandrensium Comitum potentia, in ipso Castello, mutato pristino ritu fumitur, apud Lambras villam sanctæ Genitricis soluebatur; erat enim Regius fiscus. Sed tempore Stephani Episcopi, a Carolo Rege Sanctæ Mariæ donatur habendus. Hactenùs ille, qui insuper addit Sigebertum Regem in eâdem villâ * LAMBRES sepultum fuisse: *Sed* (scribit Molanus) *Frater Chilpericus Rex, inde eum Suessionas transtulit ad Ecclesiam quam Sancto Medardo construxerat; cuius Fortunatus in vita Medardi meminit.* Hæc Molanus in Natt. 24. Nouembris. Fortunati verò verba hæc sunt l. 2. c. 13.

En tua templa colit nimio Sigebertus amore,
Insistens operi promptus amore tui.
Culmine custodi qui templum in Culmina duxit,
Protege pro meritis qui tibi templa dedit.

* Vide infrà ad. an. 950.

Sigebertus Rex Lambris iuxta Duacum sepultus. Suessionas postea trãslatus.

CHRISTI AN. 897. ANNO 897. Stephanus Papa Beatum Fulconem inuitat ad Synodum Rauennę celebrandam. Obtinuit autem Fulco à Summo Pontifice, vt quoniam per bellorum fragores præsens adesse minimè posset, id per Legatos expleret. *Frodoardus l. 4. Historiæ Remensis c. 5.*

STEPHANI SEXTI PAPÆ AN. 1. Synodus Rauennatensis. B. Fulco absentiã suam it excusatũ

CHRISTI AN. 898. ANNO 898. Carolus Rex de ineundo cum Nortmannis fœdere, & eorum auxilijs bello gerendo aduocandis consilium habet: quod statim vt audiuit Fulco; sacerdotali constantiâ restitit, atque Regem ab instituto reuocauit, grauissimam ad eum scribens Epistolam, ex quâ ista recitat Frodoardus. *Quis enim* (inquit) *qui vobis, sicut oportet, fidelis est, non expauescat vos inimicorum Dei amicitiam velle, & in cladem ac ruinam nominis Christiani, pagana arma & fœdera detestanda suscipere? Nihil enim distat vtrum quis se paganis societ, an abnegato Deo Idola adoret. Nam si, vt ait Apostolus, bonos mores colloquia praua corrumpunt; quantò magis corrumpitur castitas animæ Christianæ inimicorum ex consilijs & societate? Neque enim poterit non imitari, quod assiduè viderit; quin potiùs assuescet paulatim, & quasi vinculo malæ consuetudinis trahetur ad facinus. Certè progenitores vestri Reges, deposito Gentilitio errore, diuino cultui se humiliter subdiderunt, & à Deo semper auxilium expetierunt: propter quod & feliciter regnauerunt, & Regni hæreditatem ad suos posteros transmiserunt. Vos è contra nunc Deum relinquitis, (dicam certè, licet nolens, quia Deum relinquitis cùm vos eius hostibus sociatis) vnde & meritò prophetica illa vox ad vos dirigitur, quæ quondam ad Regem Israël similia facientem directa est:* * QVIA IM-

STEPHA. 6. PAPÆ AN. 2. Carolus Rex de ineundo cũ Normannis fœdere cogitat. Grauiter à Fulcone redarguitur.

* 2. Paral. ap. 19.

PIO PRÆBES AVXILIVM, ET HIS, QVI ODERVNT DEVM, AMICITIA IVNGERIS. *Et certè cùm deberetis malis præteritis terminum ponere, & rapinis & deprædationibus pauperum renuntiare, ac pro his omnibus pœnitentiam agere; nunc ad maiorem Dei iram prouocandam, his, qui Deum ignorant, & in suâ feritate confidunt, vos coniungitis. Credite mihi, quia nunquam sic agendo, ad Regnum peruenietis: imò velociter disperdet vos Deus, quem irritatis. Hactenùs quidem de vobis meliora sperabam; nunc vos video cum omnibus consentaneis vestris perituros, si tamen hoc verè vultis agere, & talibus consilijs acquiescere. Reuerà qui vobis dant tale consilium, non fideles, sed per omnia infideles esse comprobantur: quos si audire volueritis, terrenum simul & cæleste Regnum amittetis. Deprecor itaque vos per Deum, vt tale deseratis consilium, neque velitis vos in æternum præcipitare interitum; & mihi, cæterisque, qui secundum Deum vobis fideles sunt, æterni doloris afferre dispendium. Melius enim fuerat, vos non nasci, quàm diaboli patrocinio velle regnare, & illos iuuare, quos deberetis per omnia impugnare. Sciatis enim quia si hoc feceritis, & talibus consilijs acquieueritis, nunquam me fidelem habebitis; sed & quos vtcunque potuero, a vestra fidelitate reuocabo, & cum omnibus Coëpiscopis meis, vos & omnes vestros excommunicans, æterno Anathemate condemnabo. Pro fidelitate, quam vobis seruo, hæc gemebundus scribo; quoniam cupio vos secundùm Deum, & secundùm sæculum semper esse honoratum: & non Sathanæ, sed Christi adiutorio ad debitum vobis Regni conscendere fastigium. Regnum enim quod Deus dat, firmum habet fundamentum: quod verò per iniustitiam & rapinas acquiritur, caducum est & citò deciduum, nec diu poterit permanere.* Huc vsque ex litteris Fulconis Frodoardus, & ab isto Baronius.

Rodulphus Calui Comitis frater occiditur.

Balduinus Caluus Comes, Rodulpho Fratre, Cameracenatium Comite, à Normannis, quos Odo Andegauensis in sui auxilium aduocarat, interfecto (Vignierius in Chronico Burgundiæ, scribit cæsum ab Heriberto, Viromanduorum Comite, & consentiunt Meyeri Annales) dolore haud minore atque irâ, in Normannos & Andegauenses bellum gerendum parat. Ductis itaque raptim ex Flandriâ copijs Atrebatum atque B. Vedasti occupatum ab Odone Cœnobium, vi & armis recuperat; prædas ingentes ex hostico agit, vicis & agris longè lateque incensis. *Iperius.*

Atrebatum atq; B. Vedasti Cœnobium, ab Caluo intercepta.

AN-

CHRISTI AN. 899.

STEPHA. 6. PAPÆ AN. 3.

ANNO 899. Arnulphus Carolo-Manni Regis Filius, turpissimo mortis genere, (Phthiriasin Græci vocant) hominem, an tyrannum? exuit. *Minutis quippe vermibus* (verba sunt Luitprandi) *quos pediculos aiunt, vehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem quòd præfati vermes adeò scaturirent, vt nullis Medicorum curis minui possent. Vtrùm verò pro tàm immenso scelere, Hungarorum scilicet* (an. 889.) *immissione, secundùm Prophetam, duplici sit contritione contritus; an vt ex præsenti supplicio, consequeretur veniam in futuro, solius Dei scientiæ dimittamus.* Hæc ille.

Arnulphus Carolo-Mãni filius, moritur.

Caluus Comes ab aulâ abstinet ob Heribertum Viromandiæ Comitem, Fratris sui Rodulphi occisorem; cuius tamen Filiam Adelam siue Alisam posteà, Arnulpho Filio & successori conciliauit vxorem. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 900.

STEPHA. 6. PAPÆ AN. 4.

ANNO 900. Carolus Simplex, Rex, S. Vedasti Abbatiam confert S. Fulconi, Remensi Archiepiscopo, in beneficium; quæ ad collationem Balduini Comitis diu steterat. Sic Massæus in Chronico, cui consentit Sigebertus; & ipsum Chronicon Vedastinum inter Abbates Fulconem etiam recenset. At Molanus in protectionem potius quàm beneficium scribit; quòd Balduinus in illum inuolare magnis animis studeret. *Molan. 17. Iunij.*

S. Fulco Abbas Vedastinus.

Eo ipso tempore Balduinus Beati Vedasti Corpus, Thecâ argenteâ faberrimè cælatâ pro Diui Tutelaris & Apostoli nostri dignitate donauit. *Ex Codice MS. eius loci.*

B. Vedasti Corpus argẽteâ thecâ donatur.

Heribertus Viromandiæ Comes, occupatâ, auxilio Caroli Regis, vrbe Attrebatensi, ab Alduino Balduini Calui Satellite; paulò pòst interficitur; relicto eiusdem nominis Heriberto Filio & hærede. *Vignierius in Chronico Burg.*

Heribertus Rodulphi occisor, Talionis lege plectitur.

Iunij 17. Præstantissimus Remorum Archiepiscopus Fulco, idemque Vedastinus, atque Bertinicus Antistes, Balduini Calui (Ferrei Iudithæ raptoris, Baronius scripsit) iussu seu permissu per VVinemarum (quibusdam VVinencarum) militem gloriosi martyrij coronam apiscitur. Audiamus ex Molano, scriptore fidissimo, rei gestæ historiam: *Balduinus misit* (Compendium) *militem suum VVinemarum, vt à Beato Fulcone, & Carolo vtramque Abbatiam obtineret: sed vir Dei eò flecti non potuit, vt locus Religiosus sub laicâ redigeretur potestate. Vnde VVinemarus ex Compendiensi palatio Remos abeuntem, ex insidijs lanceâ perfodit. Cuius Corpus Remos*

S. Fulco martyrio coronatur.

delatum est, ad Ecclesiam S. Remigij. Post quem à Iuuene Carolo Simplice donationem Abbatiæ obtinuit Balduinus iam dictus, miles & laicus, initium dolorum eius loci (Bertinici.) *VVinemarus autem Lilariensis, Calui Beneficiarius, ab Heruæo B. Fulconis successore, aquâ & igni interdictus, in Angliam* (inquit Meyerus) *sibi consciuisse traditur exilium.* Sic Molanus 17. Iunij. An hæc sola tam horrendi criminis fuit pœna? *VVinsmarus* (Frodoardi sunt verba) *eius interemptor, ab Episcopis Regni Franciæ est cum suis complicibus excommunicatus & anathematizatus: insuper insanabili à Deo percussus vlcere, ita vt putrescentibus carnibus, & exundante sanie, viuus deuoraretur à vermibus. Et dum propter immensitatem fœtoris nullus ad eum accedere posset, vitam miserabili decessu finiuit.* Sic ille. De Fulconis Martyrio scripsere etiam præter Molanum, & Frodoardum, Iperius, Demochares, Bresinius, Meyerus, Baronius, Massæus, Sigebertus, Chronici Vedastini Auctor, alij. Dabo hîc vobis erutum ex vetere libro MS.

S. Fulconis Epitaphium.

EPITAPHIVM S. FVLCONIS.

Hoc tumulo magni Fulconis membra teguntur,
Remorum Sedis Præsulis egregij:
Germine Nobilium quem Francia protulit ortum:
Aulaque de Scholis sumpsit & excoluit.
Hunc Deus assumptum statuit virtute probatum,
Ecclesiæ speculum, Pontificemque pium.
Septenos denosque simul cui præfuit annos,
Tres menses, denos insuper atque dies.
Auxit Episcopion superaddens plurima rerum,
Vrbis & istius mœnia restituit.
Orbis honor; Patriæ tutor; pietatis amator;
Pro studio pacis confoditur iaculis.
Septenum denumque diem iam Mensis agebat
Iunius; & dirâ morte peremtus obit.
Cui Matris Domini, pariter quoque Præsulis almi
Remigij pietas obtineat requiem.
Amen.

Porrò Balduinus ad annos vndecim rebus Vedastinis est potitus; Bertinianæis autem adusque mortem, quæ Gandaui contigit anno 918.

CHRISTI AN. 901. — IOANNIS NONI PAPÆ AN. 1.

ANNO 901. Signum Sanctæ Crucis valdè cruentum

in hominum vestibus apparet, quâ re permulti mirum in modum sunt consternati. Vnde VVicfridus Morinorum Episcopus celeberrimam instituit Supplicationem in opido Beati Audomari, ad Dei iram compescendam, concionemque habuit, loco, quo hodiè Crucifixi visitur Imago, cui Crux pulchra ab incolis datum nomen. *Meyerus.* *Cruces sanguineæ prodigiosæ.*

CHRISTI AN. 902. ANNO 902. Balduinus Comes, S. Audomari opidum, muris (id operis Sanctus Fulco inchoarat) cingit, & munitionibus contra hostem instruit, Bertinico Cœnobio in ipsam vrbem admisso, Hauersbercanæ Nobilitati, Præfectisque Brucburgensibus, atque alijs quibusdam vicinis Optimatibus, ad suam cuiusque portam custodijs attributis. *Iperius, Molanus, Meyerus.* IOAN. 9. PAPÆ AN. 2. *Audomarense opidum munitur.*

Sancti VVinoci ossa ex Cœnobio Bertinico, reclamantibus nequicquam Monachis, Bergas ad Templum Beato Martino recens positum, Calui Comitis iussu, transfertur. *S. VVinoci Corpus Bergas defertur.*

CHRISTI AN. 903. ANNO 903. Iulij 8. Sanctus Grimbaldus, patriâ Tornacensis, ab Hugone XII. Bertinensis Cœnobij Abbate in Ascetarum suorum societatem acceptus, (vide ad an. 834.) migrat ad Christum. De illo sic Iperius: *Sanctus Grimbaldus, Monachus noster, & quondam Præpositus, qui timore huius Comitis* (Balduini) *in Angliam confugerat, etsi non planè Martyrium, insidias tamen & pericula, tandemque exilium, pro defensione Religionis, & libertatis Ecclesiasticæ, perpessus, in Anglia, ciuitate Vintonia migrauit ad Dominum, Anno Domini* IX^{c}. III°. IOAN. 9. PAPÆ AN. 3. *Obitus S. Grimbaldi.*

Stephanus Leodicensium Episcopus, hac tempestate cantum Nocturnum de Sanctâ Trinitate, & de Inuentione Stephani Protomartyris, dulci & regulari modulatione composuit. *Sigebertus.* *Officium SSS. Trinitatis.*

CHRISTI AN. 908. ANNO 908. Carolus Simplex Gall. Rex, quod anno 898. de ineundo cum Nortmannis fœdere tentarat, Fulcone, qui fortiter obstiterat, extincto, tandem illud stabile ferit, verùm Rollone Nortmannorum Duce sacris priùs admoto fontibus, atque Roberto ex Rollone nuncupato. Sacramentum administrauit Franco, Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopus. SERGII TERTII PAPÆ AN. 2. *Rollonis Normanorum Ducis ad Fidem Catholicam conuersio.*

CHRISTI AN. 909. ANNO 909. In pago Suessionensi, loco qui Trosleius dicitur, Prouinciale Concilium ab Heruæo seu Heriuæo Archiepiscopo Remensi celebratur. Interfuere, & hoc SERGII 3 PAPÆ AN. 3.

Conciliũ Sueßionense, cui nostri interfuere.

ordine subscripsere, dictus Heruæus Remorum & F. Rotomagensium Archiepiscopi; Rodulphus Laudunensium, Herluinus Bellouacensium, Rambertus Nouiomagorum, Letholdus Catalaunensium, Abbo Suessionensium, Stephanus Atrebatium, Hucbertus Meldensium, Stephanus Morinorum, Oscarius Ambianorum Episcopi. ***Baronius in Annal.***

CHRISTI AN. 911. *Regnum Lotharingiæ fit Ducatus* — SERGII 3 PAPÆ AN. 5.

ANNO 911. Lotharingia, quæ abs Lothario primo Regni titulum per ann. 70. portauerat, in Ducatus titulum degenerare incipit, Giselberto illi exordia faciente. *Diuæus.*

CHRISTI AN. 912. *Cœnobium Vedastinum ab Sacularibus occupatũ* — IOANNIS DECIMI PAPÆ AN. 1.

ANNO 912. Alcmarus Comes Vedastinum Cœnobium, Atrebatensi priùs Vrbe per Carolum Simplicem occupatâ, militari licentiâ inuadit, regiéque tenet, vt his verbis testatur loci Chronicon: *Alchmarus Comes, quem alij vocant Albumarum, redactis in potestatem Atrebatibus à Carolo Simplice, eisdem Præfectus, fauore Simplicis, anno datæ salutis 912. Balduino Caluo Monasterium eripuit, traxitque licentiâ eius temporis in proprium commodum, neque id exiguo tempore, (vt sarciendæ necessitatis, fortè contractæ nequitiâ Bellorum, subsit excusatio) sed nouemdecim circiter annis; vt proiecta auaritia, insatiabilisq; habendi cupido omnibus comperta sit.* Hactenùs ibì.

CHRISTI AN. 913. *Rollo Rotomagensis Ecclesiæ instaurator.* — IOAN. 10. PAPÆ AN. 2.

ANNO 913. Robertus, anteà Rollo appellatus, Dux Nortmannorum, Rotomagensem Beatæ Virginis Basilicam à fundamentis instaurare orditur.

CHRIST'I AN. 917. *Rollo moritur.* *Eius sepulcrale Elogium.* — IOAN. 10. PAPÆ AN. 6.

ANNO 917. Idem Rollo moritur, atque in dictâ Rotomagensi Ecclesiâ sepultus hoc Epitaphium accepit:

Dux Normannorum, cunctorum norma bonorum,
Rollo ferus, fortis, quem gens Normannica Mortis
Inuocat articulo, hoc iacet in tumulo.
Ipsi prouideat tua sic clementia, Christe,
Vt semper videat cum cœtibus Angelicis te.

Ecclesiæ Baiocẽsis & Ebroicensis.

Idem Rollo Baiocensem & Ebroicensem Ecclesias maximis possessionibus locupletauit. *Gulielmus Gemiticensis, lib. 2. de Ducibus Nortmann. Vide Mariale nostrum l. 4. c. 27.*

CHRISTI AN. 918. *Balduin9 Princeps noster moritur.* — IOAN. 10. PAPÆ AN. 7.

ANNO 918. Quarto Nonas Ianuarias Balduinus Comes Gandaui vitâ defungitur. Extulit eum Elstrudis vxor, sepeliuitque Blandinij, in Sacello Parentis Virginis, vbi & ipsâ morte obitâ, condi voluit, D. Bertini ædem in Sithiu, aspernata, propterea quòd fas non esset subire vlli

eam mulieri. Amita hæc erat Oginiæ Reginæ, vxoris Caroli Simplicis. Balduini habe Epitaphium: Blādinÿ sepelitur. Eius Epitaphiū.


Qui legis hæc, tu nosce quòd hîc tumulatus habetur
Marchio Balduinus Comes honestatis.
Regem traxit auum, Carolum Cognomine Caluum
Omnia magnificans moribus & meritis.
Effulsit quarto Nonas quùm sol Ianuari,
Exuit hunc Dominus Corporis exuuijs.

Superstites filios ex Elstrude, Elfredi Anglorum Regis Filiâ reliquit Arnulphum & Adololphum siue Adolphum, qui Patris Principatum sunt partiti: *Et quidem Arnulphus,* (Iperij sunt verba) *qui maior erat natu, Flandriam: Adololphus verò Bononiam & Regionem Teruannicam, atque hanc Sancti Bertini Abbatiam susceperunt.* Sic ille. *Proles.*

Addit Ioannes Tilletius in Gallicorum Regum Historiâ, Fani Pauli, atque tractus Bononiensis Dynastias ab ipsô Balduino adhuc superstite, Comitatus titulis primitùs illustratas fuisse, atque Adololphum primum vtriusque tractus Comitem salutatum, quos cum dominijs honorum titulos Arnulpho fratri, legitimo hæredi (prolem nempè non reliquit Adololphus) defunctus remiserit, adeoque redintegratum, auctis interim titulis, Flandriæ Comitatum. *S. Pauli Comitatus, simul & Bononiēsis instituūtur. Adololphus eorū primus Comes.*

Reliquit Caluus & Filiam, materno nomine Elstrudem appellatam, quam Sifrido Nortmanno in Matrimonium collocarat, Ghisnensi territorio in dotem concesso. Et hęc quidem ex mente eiusdem Tilletij. Veruntamen aliud his prorsùs reclamans, ad annum nongentesimum vicesimum octauum Deo dante, ex Ioanne Iperio, Bertinensi Abbate, depromptum, videbimus. *Ghisnæ.*

Per hæc tempora Rudolphus Burgundionum Rex, Comitesque Arnulphus, & Adololphus, ad Falcobergam cum Nortmannis congressi, victoriam, licet non vtrimque incruentam, reportarunt. *Normāni iterū à nostris superati ad Falcobergā.*



ARNVLPHVS MAGNVS, TERTIVS FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 918.



ANNO 918. ARNVLPHVS, qui ab rebus gestis, MAGNI, ab Ætate SENIORIS cognomenta promeruit, patriam, quam in Flandros iure suo accepit, exercet potestatem; statimque Nortmannis, (Adololpho Fratre & Rudolpho Burgundionum Rege, vt dixi, iuuantibus) tanteà cruento prælio domitis; IOAN. 10 PAPÆ AN. 7.

CHRISTI AN. 919 Castrum S. Venãtij à nostris receptum.

ANNO 919. Castrum Diui Venantij, Aeriâ op. non procul abiunctum, expulsis Andegauensibus, qui illud præsidio occupabant, victricibus armis recuperauit. IOAN. 10, PAPÆ AN. 8.

CHRISTI AN. 920.

ANNO 920. Herelandus 20. Morinorum Episcopus viuere desinit, successore Stephano, sub quo Sancti Folquini Corpus est eleuatum. *Demochares.* IOAN. 10. PAPÆ AN. 9.

CHRISTI AN. 921.

ANNO 921. Ziptineus Dux Bohemiæ ad Fidem Christi conuersus, iustè & religiosè in Bohemiâ principatur. *Sigeb.* IOAN. 10. PAPÆ AN. 10.

Gemblacẽse Cœnobium.

Gemblacense Monasterium fundatur per Guicbertum, virum inter Lotharingiæ Nobiles Clarissimum. *Idem.*

CHRISTI AN. 922.

ANNO 922. Carolus Franciæ Rex & se & Franciam Henrico Germaniæ Regi submittit, eique in pignus perpetui fœderis & amoris, mittit manum pretiosi Martyris Dionysij Parisiensis, auro gemmisque inclusam. Caussa fœderis, quòd Hungari Franciam, Alsatiam, Alemanniam Saxoniamque longè latéque quùm depopularentur, Henricus, inestimabili cæde, eos vsque ad internecionem penè deleuisset. *Idem.* IOAN. 10. PAPÆ AN. 11.

CHRISTI AN. 925. *Fulbertus Ducis Brabãtiæ Filius, Atrebatẽsis Ecclesiæ Episcop. creatur.*

ANNO 925. (Sigebertus scribit ann. 934. & Demochares ann. 895.) Stephanus Elsatius Atrebatium Pontifex in natalitio solo vita defungitur. Hinc Fulbertus Brabantini Ducis Filius, eiusdem Sedis Episcopus inauguratur. *Fulbertus Stephano succedens* (ità in Ecclesiæ tabulas relatum) *Ottoni Nobili Imperatori, qui etiam dictus est gloria mundi, tam familiaris exstitit, quòd ab eo Abbatiam Sancti Gaugerici, ab omni potestate laïcâ immunem accepit, cum monetâ & Thelonio totius ciuitatis; decimâ tamen parte istorum ad vsus Canonicorum in Ecclesiâ Cameracensi Deo famulantium reseruatâ. Castrum quoque nouum in pago Cameracensi primus ædificauit; & Melinum in Brabantiâ de suo patrimonio Episcopatui assignauit.* Hæc ibi. IOAN. 10. PAPÆ AN. 14.

Libertas Abbatiæ S. Gaugerici Cameracensis.

Castrum Cameracesij construitur.

Porrò

Porrò pretium est operę Ottonis Imp. prodere hîc diploma: *In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Otto diuina fauente clementia Rex: Qùum petitionibus Seruorum Dei iustis, & rationabilibus, diuini cultus amore fauemus, superna gratia nos muniri nequaquam diffidimus. Proindè nouerit industria seu sagacitas omnium fidelium tam præsentium quam futurorum, quia vir venerabilis Fulbertus Cameracensis Vrbis Episcopus, obtulit obtutibus nostris immunitates Beatæ memoriæ prædecessoris nostri Caroli, in quibus continebatur insertum, qualiter prædictus antecessor noster Carolus Rex nominatam Sedem, quæ est in honore S. Dei Genitricis Mariæ semper Virginis, ob amorem Dei & tranquillitatem fratrum ibidem consistentium semper sub plenissimâ tuitione & immunitatis defensione habuissent. Pro firmitate tamen rei postulauit nos præfatus Episcopus Fulbertus vt eiusdem Regis auctoritatem, in amore & reuerentia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ nostrâ auctoritate confirmaremus, quod ita per interuentum dilecti Episcopi nostri Rikarij libenter acquieuimus, & ita concessimus, atque per hoc Præceptum nostræ auctoritatis roborauimus. Præcipiẽtes ergo iubemus, vt nullus Iudex publicus, vel quislibet ex iudiciariâ potestate, in Ecclesias, aut agros, vel loca, seu reliquas possessiones prædictæ Ecclesiæ, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territorijs infra ditionem Imperij nostri, iustè & legaliter memorata tenet vel possidet Ecclesia, vel ea quæ deinceps à Catholicis viris, eidem collata fuerint Ecclesiæ, ad caussas audiendas, aut feoda, aut mansiones, aut paratas faciendas, aut fide iussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ, tam ingenuos quam seruos*, super terras ipsius commanentes, nequaquam distringendos, vel vllas retributiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitùs exigere præsumat; sed liceat memorato Præsuli, suisque Successoribus prædictæ Ecclesiæ cum Cellulis, & rebus, & hominibus sibi legaliter subiectis, sub immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere Imperio; atque pro stabilitate nostrâ, vel totiùs Imperij à Deo nobis collati, vel conseruandi vnà cum Clero populoque sibi subiecto, liberè Dei misericordiam exorare; & quicquid ex indè fiscus noster exigere poterat, in luminaribus ipsius Ecclesiæ concinnandis, perpetualiter concessimus ad habendum. Insuper nostrâ largitione concedimus præfato Episcopo & successoribus eius, omne Theloneum cum monetà Ciuitatis suæ Cameracensis; eo videlicet tenore, vt nouem partes Episcoporum vsibus deputentur. Decima verò pars ad vsus*

Priuilegium.

* Vide ad an. 868.

fratrum eiusdem congregationis perpetualiter in Eleemosynâ nostrâ proficiat. Prætereà constituimus ne quis Dux, vel Comes, atque Vicarius seu quislibet ex Iudiciariâ potestate nostram vel antecessorum nostrorum Regum auctoritatem, violare præsumat. Quod si fecerit, caussis Regalibus sit obnoxius, & insuper solidis 600. culpabilis iudicetur. Videlicet vt duæ partes in Archiuum ipsius Ecclesiæ admittantur; tertiam Fiscus Regalis noster recipiat, vt nullus tale quid audere deinceps præsumat. Quod ita & nos per hanc nostram auctoritatem confirmamus. &c. *Datum Ingelehemi, anno 5. Regnante Ottone, Serenissimo Rege.* Atque de his hactenùs.

CHRISTI AN. 926. | IOAN. 10. PAPÆ AN. 15.

ANNO 926. Carolus Simplex Rex, Peronæ captiuus vitâ defungitur; Ludouico Filio relicto. Sed vsurpauit Regnum Rodulphus, Richardi Burgundiæ Ducis Filius; illudque per annos duos vi tenuit.

CHRISTI AN. 928. *S. Vindiciani Corpus in S. Eligij Monte eleuatur.* | LEONIS SEXTI PAPÆ AN. I.

ANNO 928. Fulbertus Episcopus S. Vindiciani Corpus, in Beati Eligij Monte, inter Templi Cœnobijque ruinas, per Nortmannos, Danos, & Hunnos variè perpetratas, prodigiosè repertum eleuat, atque eleuatum perhonestâ thecâ includit non sine miraculorum comitatu & sequelâ.

Eleuatio altera Corporis S. Folquini.

Eodem anno Idibus Decemb. Eleuatio Corporis S. Folquini, Morinorum Episcopi. *Molanus 14. Dec. Iperius, Sigebertus, Demochares, & Meyerus,* Qui de istâ eleuatione: *In Bertiniano* (scribit) *Cænobio, Adololphus, Abbas idem & Comes, Corpus Diui Folquini Episcopi leuauit Idibus Decemb. petente Oduino Nepote, ex Fratre Oduino Folquini Præsulis, qui ad hoc ex Regno Lotharij cum Fratre suo aduenerat.* Sic Meyerus ex Iperio. Vide ad ann. 817. & 855.

Ghisnēse Castrum pessimis auspicijs construitur.

Primus Comes Ghisnensis.

Eâdem tempestate *Sifridus* (aliâs Fiscordus) *Dacus* (verba habes Iperij) *Vir militaris, quùm Ghisnas Monasterio Sancti Bertini abstulisset, ibì Castellum ædificauit; sed postmodùm Fiscordus, cordâ se in eodem Castello suspendens, miserè perijt. Arnulphus Senior, Flandriæ Comes, Sifridum (seu Fiscordum) in Rapinâ Ghisnensis Comitatus sustinens, ab eodem, Filiæ suæ stupro turpatur. Arnulphus, ex eo stupro natus, fuit primus Ghisnarum Comes, à quo cæteri Ghisnarum Comites descenderunt. Idem sine honore perijt, nec scitur vbi. Rodulphus Ghisnarum Comes & Franciæ Connestabilis, in Hastiludio laneeâ percussus interijt. Filius eius post patrem Comes Ghisnarum & Connestabilis, iussu Regis Franciæ est decollatus, & Comitatus Ghisnarum Regio Fisco adscriptus. Domus Ghisnensium Comitum apud Audo-*

maropolim,

maropolim, ab Artesiæ Comitissâ in Monasterium Fratrum Prædicatorum est conuersa. Reginaldus Comes Domni-Martini, nepos Elizabethæ Reginæ Franciæ, vxorem habuit Idam potentissimam Boloniæ Comitissam: qui quùm fortè à Comite Sancti Pauli in facie percussus fuisset, irâ plenus cum Balduino Comite Ghisnarum, fugit ad Balduinum Flandriæ Comitem, bellum cum Philippo Franciæ Rege tunc gerentem. Vterque verò de suo Comitatu, ille de Bononiensi, alter de Ghisnensi Homagium dicto Flandriæ Comiti fecerunt. Hactenùs Iperius, agens de origine & progressu Ghisnensis Comitatus; sed illo infelici.

CHRISTI AN. 929. — STEPHANI SEPTIMI PAPÆ AN. I.

ANNO 929. Ludouicus Caroli Simplicis Filius Galliarum Rex, Lauduni coronatur. Aderant inter præcipuos Gallorum Proceres, Hugo Magnus, Parisiensis, Heribertus Viromanduorum & Adololphus Bononiæ & Sancti Pauli Comites, *qui Ludouicum* (ait Iperius) *in Franciæ Regem eleuauerunt & coronauerunt.*

Moritur Elstrudis, Calui Comitis Coniux.

Moritur Elstrudis Balduini Calui Flandriæ Comitis Coniunx, atque Gandaui, iuxta mariti tumulum sepelitur. Eius Cenotaphium hoc insignatum est Epitaphio:

Eius Epitaphiū.

Clara fui Elfredi generosi Filia Regis
Elstrudis proprio nomine dicta meo.
Quæ dum præsentis vigui moderamine lucis,
Balduini thalamis vsa fui Domini.
Septenis Iunij dum fulsit in Idibus astrum,
Me pius ad superos euocat hinc Dominus.

Lanceam mirandi operis, & clauis Iesu Christi crucifixi sanctificatam, quæ dicitur primi & Magni Constantini Imp. fuisse, donatam Rodulpho Regi Burgundionum & Italiæ, à Samsone Comite, Rex Henricus, precibus, minis, muneribus, additâ & parte Prouinciæ Sueuorum, à Rodulpho Comite extorquet; & hanc ad Insigne & tutamen Imperij posteris reliquit.* Sigebertus ijsdem verbis.

*Germaniæ.

CHRISTI AN. 930. — STEPH. 7. PAPÆ AN. 2.

Ecclesia Montis S. Eligij instauratur atque 8. Canonici ibidem instituuntur.

ANNO 930. Fulbertus Episcopus, Eligiani Montis Ecclesiam restituit, atque octo Clericos seu Canonicos seculares ordinat, inibi sub SS. Apostolorum Petri & Pauli patrocinio Domino seruituros. Chronicon Cameracense de his ita habet: *In Monte Sancti Eligij (sic enim locus dicitur) Canonicorum quoque est Monasterium S. Vindiciani Cameracensium Episcopi; quod postquam militaribus viris infiscatur, pro imminutione rerum, ad rauitatem Fratrum redigitur.*

Itidem & Mareolense Cœnobiū.

Idem Fulbertus Mareolense Monasterium, à S. Bertiliâ, Guthlando marito, quo cum illibatam seruarat pudicitiam, defuncto; iam ante constructum atque deindè instauratum, Canonicis Regularem vitam viuentibus, incolendum tradit. Vide infrà ad annum 977. Lotharij Regis diploma.

Porrò de S. Bertiliâ in eius vitâ MS. quæ in dicto Monasterio habetur, sic lego: *Dei famula, à coniugij vinculo soluta, in viduitate almificam studuit conseruare castitatem; bonumque quod prius mente conceperat, primò omnibus modis complere satagit. Nam omnia patrimonia; quæ eius dominio aduenerant, post obitum patris matrisque, nec non etiam ea, quæ suæ potestati, supra memoratus vir suus reliquerat, diuersorum locorum Monachis, Canonicis atque Sanctimonialibus, sub chartarum auctoritate delegauit; præter vnum solummodò fundum, vsufructuario sibimet reseruatum, qui Mareolo dicitur, in quo proprijs largitionibus Basilicam condidit, eidemque Aram statuit, in honorem B. Amandi* * *atque vt suauius liberiusque eidem contemplatiuæ vitæ intendere posset, cellulam parietibus ipsius Basilicæ hærentem sibi fecit construi, quam sola ingrediens ad visionem supernæ pacis, bonorum operum passibus sine cessatione omni horâ properabat.* &c.

Beato Amando sacrum.

* Obijt an. 661.

In altero eiusdem loci codice versus hi de Sancta Bertiliâ leguntur.

Epitaphium S. Bertiliæ.

Progenie clara, Christo Bertilia chara,
Huius Matrona Villæ manet atque Patrona.
Est data Guthlando, fit Coniux integra Virgo.
Perstat & est Virgo secum remanento marito.
Hinc ponit vile cœnum; Regale cubile
Intrat, donatur Regi, Regina locatur.

CHRISTI AN. 931. *Adelelmus opes Vedastinas inuadit.*

IOANNIS VNDECIMI PAPÆ AN. I.

ANNO 931. Adelelmus Alchmari Comitis Filius, & hæres, Vedastini Cœnobij opes inuadit, de quo eius loci Chronicon hanc exhibet querelam: *Adelelmus Comes, filius & hæres Alchmari Comitis, cum cæteris bonis, etiam nostrarum rerum adijt hæreditatem anno ab orbe seruato 931. more Principum illorum Dei inimicorum, quibus (quoniam dicebant, hæreditate possideamus Sanctuarium Dei) Regius Psaltes infausta imprecatur. Id duodecim annis ad proprium commodum res reuocauit magno Monasterij malo, caput intonsum corpori præfectus attonso; collabentibus passim moribus illis integris, inscitiâ atque ignauiâ Ducis earum rerum imperiti, atque sensim in sæculares degeneranti-*

bus,

bus, vt Pastorem etiam per abrupta & præcipitia Ducem grex sequatur. Hactenùs.

CHRISTI AN. 932. ANNO 932. Adololphus Bononiæ, & Sancti Pauli Comes, Eduinum, Auunculi sui Eduardi Anglorum Regis Filium, mari submersum, atque in litoris Flandrici crepidinem eiectum, in Æde Bertinicâ honorificè sepelit. Is namq; proditionis per quemdam Pincernam insimulatus, ideoque ab Atelstano Fratre Regno pulsus, in cõtinentem paruâ naui traijcere dum conatur, ortâ tempestate, vndis immersus est, & extinctus. Rex Anglus istam Adololphi pietatem vt intellexit, magnam illi habuit gratiam, multaque Bertinico Cœnobio donaria contulit. *Iperius.* IOAN. II. PAPÆ AN. 2. *Adololphi S. Pauli Comitis officiosa pietas.* *Hinc B. Bertini Cœnobio dona accessere.*

Huncbaldus Monasterij Sancti Amandi Elnonensis Monachus, atque Rudolphi Bertinici Abbatis instructor (vide ad annum 882.) vitæ terminum figit.

CHRISTI AN. 933. * Quibusdam an. 944. ANNO 933.* Idibus Nouembris, Adololphus Comes, in Bertinico Monasterio suo migrat è viuis; *sepultusque est* (verba sunt Iperij) *in Basilicâ Sancti Bertini, in latere sinistro Capitanei Altaris Sancti Martini, Præter cætera autem donaria, dedit huic loco Calicem sui potus aureum, & Baltheum ad Calicem consecrationis Dominici Sanguinis faciendum. Armillas autem suas Sancto Audomaro ad patenam concessit faciendam. Dederat quoque anteà Sancto Audomaro pallium quoddam auro & Margaritis mirificè intextum.* Sic Iperius. IOAN. II. PAPÆ AN. 3. *Adolphus seu Adolphus moritur, atque apud Bertinicos sepelitur.*

Mortuo sine vllâ Sobole Adololpho, omnes eius Comitatus opes atque ditiones, cum ipso Monasterio, Arnulpho Fratri accesserunt; sicque coëuntibus in vnum opibus reddita sibi Flandria est. *Sed* (scribit Meyerus) *fatiscebat indies magis magisque Monastica disciplina apud Bertinicos, quotidianis iactantes sermonibus, haudquaquam licere Comiti hæreditate possidere Sanctuarium Dei.* *Arnulphus S. Pauli secundus Comes.*

CHRISTI AN. 935. ANNO 935. VVirfridus Stephano Morinorum Pontifice defuncto, eiusdem Sedis dignitate ornatur. *Demochares.* IOAN. II. PAPÆ AN. 5.

CHRISTI AN. 936. ANNO 936. Transinarus Atrebatensis Monachus, Nouiomensis atque Tornacensis Episcopus, Gandauense Monasterium Nortmannicâ rabie euastatum reparari curat. LEONIS SEPTIMI PAPÆ AN. 1.

CHRISTI AN. 938. ANNO 938. Alisa, siue Aleyda, aut Athela, Arnulphi Comitis Coniux, deplorato morbo diu vexata, ad B. Bertini Aram, cuius Basilicam VVirfrido Morinorum & Fulber- LEON. 7. PAPÆ AN. 3.

to Atrebatium Episcopis, Ducibus introierat, mirantibus cunctis post-liminiò sospitatur. Quo permotus Arnulphus miraculo, maximum exindè D. Bertino honorem habuit, ARKAS Vicum, Castro & Comitatus titulo percelebrem, MERKIAMQ; & Petressam, seu Scalas (nunc Calesium) cum omnibus appendicibus Asceterio restituit, adiectis aliis donis penè innumeris, Syluam tamen Castellumque Rutholt, quæ ditionis ARKENSIS fuisse dicuntur, sibi reseruauit. *Iperius.*

Adela seu Athela Princeps nostra per S. Bertinũ miraculosè sanatur.

CHRISTI AN. 940

Templũ B. Vedasti apud Bethunienses.

STEPHANI OCTAVI PAPÆ AN. 1.

ANNO 940. Hermanus, Atrebatium Aduocatus atque Bethuniensium Dynasta, adstipulante Euâ Coniuge, Ecclesiam, quam vnicam Parœchialem Bethunia tum habebat, & abs olìm Sanctus Vedastus, Flandriæ occiduæ Apostolus, Virgini-Matri inscripserat, Beati Vedasti donatam titulo, eiusdem Diui apud Atrebates Asceterio concessit. Et hæc quidem ex Ioannis Baptistæ Grammaij sensu in suâ Bethunæâ. Sed quî fit vt Pastores inibi constituendi auctoritas, sit penes Sancti Bertini in Audomarensibus, Archimandritas? Vide infrà ad annum 1540.

CHRISTI AN. 943.

Arnulphus Comes S. Vedasti Monasteriũ sibi vindicat.

MARTINI SECVNDI PAPÆ AN. 1.

ANNO 943. (Sigeberto 931.) Arnulphus Comes, Atrebato & D. Vedasti Monasterio, vi & armis abs Adelelmo receptis, eiusdem Cœnobij init Præfecturam. Chronicon ita indicat: *Arnulphus Comes Flandriæ, Balduini Calui Filius, vir pietate & bellicis Artibus illustris, complura templa partim restituit diruta, partim instituit noua. Hic vi & armis recepto Atrebato Castroque Nobiliaco, vicem tandem reddens Filio* (Adelelmo) *eius Patris* (Alchmari) *qui simile in Patrem suum tentauerat, excedere Regimine huius domus coëgit, eamque regendam suscepit, eò tolerabiliore conditione, quòd pro Templis & Aris, sæpè cum Barbaris confligens, magnam à Summo Pontifice in res Ecclesiasticas accepisset potestatem: maximè autem quòd non malè curaret Monasteria, creatis sub se Abbatibus, quibus incumberet Monasticæ disciplinæ cura; ipse interèà curiosus reformationum. Hâc primariâ in hoc Monasterium auctoritate vsus est annis duodecim, facto principio ab anno seruatoris 943.* Hucusque Chronicon. Vide ad annum 912. & 931.

Monasteria ab Arnulpho reformata.

Quæ porrò illa fuere Monasteria ab Arnulpho Comite reformata? Recenset Meyerus: Blandiniense, Gandense, Tornacense, Marchianense, Hasnoniense, Ronnacense, Atrebatense, Turholtense, VVoromholtense, Diui Richa-

rij, Diui Bertini, Diui Audomari, Diui Syluini, Diui VVulmari, D. Amandi, D. Berthæ, Diuique Amati Duacensis. *Hæc Meyerus ad annum 940.* Consentit Iperius octodecim reformata esse attestans; verùm decimum octauum non habeo.

CHRISTI AN. 944. ANNO 944. Arnulphus Comes, Regiminis Bertinici Cœnobij anno vndecimo, corde compunctus, quùm videret sub se, Fratre, & Patre collapsam esse Religionem, ab VVirfrido (alias VVitfrido, & VVicfrido) Morinorum Episcopo, ordinari postulauit Sanctum Gerardum, natione Namurcensem, celeberrimum huius & aliorum Monasteriorum reformatorem. *Iperius, Molanus, Bresinius, Tilletius &c.* MARI. 2. PAPÆ AN. 2. *Arnulphus Præfecturam dimittit, itque S. Gerardū curat promoueri.*

Hinc Sanctus Gerardus adiuuante Arnulpho, reformationi Bertinicorum vt intendit, quotquot ibi Ascetas reperit, qui veterem, sanctioremque viuendi formam suscipere recusarent, Flandriâ iubet excedere, alióque migrare. Illorum nonnullos in Angliam profugos Atelstanus Rex, rerum indigentes humaniter excepit, Monasterio ad Balneas (vulgari nomine Balde) ad habitandum concesso. *Bertinēse Cœnobiū reformatur.*

CHRIST. AN. 945. ANNO 945. *In pago Parisiensi, nec non etiam per diuersos pagos, hominum diuersa membra ignis plaga peruaduntur, quæque sensim exusta consumebantur donec mors tandem finiret supplicia. Quorum quidam nonnulla Sanctorum loca petentes, euasere tormenta. Plures tamen Parisijs in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ sanati sunt: adeo vt quotquot illò peruenire potuerint, asserantur ab hâc peste saluati.* Frodoardus ijsdem terminis. Vide ad annum 1092 & 1095. MARIN. 2. PAPÆ AN. 3.

CHRISTI AN. 946. ANNO 946. Bertinici Cœnobij rebus splendori pristino restitutis, Beatus Gerardus ad Blandiniensis Cœnobij reformationem sese comparat, substituto priùs in Sancti Bertini, non tamen sub nomine Abbatis, Agillone Tullensi Monacho. Audiendus hîc Iperius: *Gerardus*, inquit, *Abbas noster, vir Sanctissimus, hac Abbatia, quoad Religionem, benè disposita, ad Blandiniensem, in qua reformanda multùm laborauerat, & adhuc sua personali præsentiâ multùm indigebat, redire deliberans; videns se personaliter vtrobique non posse vacare: in hoc Monasterio, Regularis vitæ Regimen, loco sui, commisit Venerabili viro Beato Agilloni Monacho, quondam Sancti Apri Toletani,* AGAPITI SECVNDI PAPÆ AN. 1. *Blandiniense Cœnobiū apud Gādauenses reformatur.*

 ni,

ni, iuncto sibi VVeimaro Blandiniensi Monacho, non tamen sub nomine Abbatis. Nam & Beatus Agillo, inter Abbates nostros non nominatur. Et sic Dompnus Sanctus Gerardus, ad Blandinium rediit, postquàm hoc Monasterium rexerat annis tribus.* Hæc ille.

* Legendum *Tullensis*, seu *Tullani*. Vide Molani Natt. 30. Aug.

CHRISTI AN. 947. *B. Agillo.* — AGAPIT. 2. PAPÆ AN. 2.

ANNO 947. B. Agillone, de quo iam diximus, è viuis erepto, VVido Beati Gerardi Nepos, consentiente Arnulpho Comite, Bertinici Asceterij XXV. Abbas consecratur: *qui promotus in Abbatem* (iterum Iperius) *iuuentutis suæ gaudia nimium sectabatur. Quam obrem fuit hinc à Beato Gerardo depositus, vixque Comes à Beato Gerardo obtinere potuit, ut eum permitteret ad alium locum promoueri: sed finaliter insistente Comite, translatus est ad Abbatiam Sancti Bauonis Gandensis &c.*

CHRISTI AN. 948. — AGAPIT. 2. PAPÆ AN. 3.

ANNO 948. Ludouicus Galliarum Rex, suorum proditione Nortmannis traditur, atque Lugduni in carcerem compingitur, Verùm enimuerò

CHRISTI AN. 949. — AGAPIT. 2. PAPÆ AN. 4.

ANNO 949. Ottone Imp. in Gallias liberandi Ludouici Regis ergo, cum triginta duabus legionibus aduentante: illius metu, carcere Rex soluitur. *Vide Sigebertum.*

CHRISTI AN. 950 *Berengarius Episcopus Atrebatensis. Villam Lambres Comiti Flandriæ cedit. S. Gaugerici apparitio.* — AGAPIT. 2. PAPÆ AN. 5.

ANNO 950. Berengarius, Natione Germanus, atque Ottoni Cæsari sanguine iunctus, Atrebatensis Pontifex renuntiatur. Is, quòd Cameracenses villam LAMBRES (vide ad annum 896.) ei aperire nolebant, eandem Flandriæ Comiti, quo sibi ad vlciscendum adiumento esset, an satis æquè? tradidit. *Et quia* (habent Ecclesiæ Atrebatensis tabulæ) *Ecclesiam Sancti Gaugerici polluerat homicidijs: quadam die, dùm Coloniæ moraretur: à Beato Gaugerico iniuriarum suarum vltore grauiter in somnis percussus, & ob hoc ægrotans, medicùm superuiuens interijt & in Ecclesia S. Gereonis Coloniæ est sepultus.* sic ibi. Eiusdem apparitionis S. Gaugerici meminit Demochares Tomo 2. cap. 15.

VVidone (iam de illo egimus, sc. an. 947.) à Bertinici Cœnobij Regimine excidente, Hildebrandus Arnulphi Comitis Nepos, tuendis aut sarciendis potiùs rebus aduocatur, atque ab VVicfrido Morinensi Episcopo, eius Cœnobij Antistes inauguratur: *Vir* (scribit Iperius) *ad omne bonum promptissimus, hoc Monasterium sic rexit & prouexit, ut omnibus per circuitum, suo tempore foret exemplum.*

CHRISTI AN. 951. *Balduinus, Arnulphi Comitis Filius cōiugatur.* — AGAPIT. 2. PAPÆ AN. 6.

ANNO 951. Balduinus, Arnulphi Comitis ex Adelâ seu Alisâ coniuge filius, in coniugalem copulam venit cum

Macthil-

Macthilde, Hermanni Saxonum Ducis Filiâ; quibus ex nuptijs prodijt Arnulphus Iunior appellatus.

CHRISTI AN. 952. ANNO 952. Corpora Sanctorum Richarij Cetulensis Abbatis, & VValerici, (aliàs VValarici, & Valerici,) presbyteri & Confessoris, studiosa Comitis Arnulphi pietas, ad Bertinense Cœnobium curat transferri. Testis idoneus Iperius, qui *Comes Arnulphus Senior* (scribit) *Sanctarum Reliquiarum auidus, Corpus Sancti VValarici, de suo loco per Danos destructo, ad hoc Monasterium nostrum direxit IX. Cal. Sept.* Et paulo pòst, *Quinto post hoc die, id est IV. Cal. Sept,. Corpus Sancti Richarij est à prædicto Comite, ad hoc Monasterium deportatum: quæ duo SS. Corpora suis locis sunt postmodùm restituta, per Arnulphum secundum.* Sic ille. Restituta, inquam ego, fuerunt, Hugone Capeto Francorum Rege, eadem multo studio reposcente. Vide Molani Natales x. Ian. & 26. April. Item hîc ad annum 981. AGAPIT. 2. PAPÆ AN. 7. Translatio Corporũ SS. Richarij & VValerici.

CHRISTI AN. 953. ANNO 953. Octobris octauâ, Hungari ad Cameracum obsidendum vt aduolant; triduo elapso, vasa conclamare, castraque, vnde venerant, reducere compulsi sunt. AGAPIT. 2. PAPÆ AN. 8.

Eodem tempore, Corpus Sancti Syluini Episcopi ad Sancti Bertini Monasterium etiam transfertur: de quâ translatione ad annum 716. ex Molano iam ante dictum: hîc verò explicatiùs ab ipso, vnde is hausit, Fonte, Ioanne Iperio: *Eodem tempore* (scribit) *idem Comes Arnulphus Senior Corpus Sancti Syluini de Alchiaco, per modum Vadij receptum huc attulit; eâ tamen conditione, vt si statutâ die, & ante pulsationem* PRIMÆ *in hoc Monasterio non redimeretur, idem Sactùm Corpus nobis perpetuò remaneret. Die statutâ venerunt Alchiacenses cum precio vt Vadium redimerent; & Morini manserunt illo sero. Manè segniùs surgentes, & ad Sithiu propinquantes, audierunt sonum Campanarum in Sancto Bertino. Subdentes igitur calcaribus equos, ad Monasterium Sancti Bertini celeriter peruenerunt. Oblato precio, Sancti Corpus repetunt, allegantes fraudulenter à nobis sic tempestè pulsari* PRIMAM. *Quibus Abbas respondit horam esse tardam, nullamque fraudem interuenisse: & quæsiuit quisnam* PRIMAM *pulsasset. Et quùm ad campanas deuentum, viderunt eas, sine humano Ministerio, Dei nutu ventilari, quasi gaudium nuntiantes. Sanctumque Syluinum locum sibi perpetuæ requietionis hîc elegisse. Quo viso miraculo Alchiacenses tristes ad propria redierunt.* Translatio Corporis S. Syluini.

Hæc Iperius. Vide ad annum 716.

CHRISTI AN. 954. *Vedastini Cœnobij reformatio.*

AGAPIT. 2. PAPÆ AN. 9.

ANNO 954. Arnulphus Comes Vedastinum Monasterium, ad priscum Religiosæ vitæ splendorem, per Hildebrandum Bertinēsium Abbatem, Nepotem suum reuocat. Et quidem commodùm id Comes cogitauit, Hugone tertio, & altero Hugone quarto, quos Vedastinis dederat ex ordine Abbates, è viuorum societate sublatis. Vnde Vedastinum Chronicon: *Hildebrandus Arnulphi Flandriæ Comitis Nepos, anteà Abbas Bertinicus, sub annū restitutæ salutis & gratiæ 954. ab auunculo gubernationi* (domus Vedastinæ) *fuit admotus, vir, vt scribunt Bertiniani, ad omne bonum promptissimus, eáque causâ præfectus Vedastinis, vt Religiosos ad eas reuocaret virtutes, quæ Monachismum primis ornabant temporibus. Quod octo circiter annis, nescitur an votis respondente successu, fecit, tum vt volunt quidam, hoc Monasterio exactus; tum vt ijdem Bertiniani testantur, ab Arnulpho vetulo reuocatus, vt rursùm eorum præesset Cœnobio.* Sic ibì.

Cæterum Hildebrando ad Vedastinos concedente, Regenaldus 27. Abbas Bertinicis est datus Arnulphi consilio, & Hildebrandi precibus: *qui quamquam circa gregem* (scribit Iperius) *sibi commissum satis esset sollicitus; breui tamen tempore, factus est amabilis omnibus.*

Corporis S. Maximi Inuentio.

Beati Maximi Regiensis Episcopi Corpus, apud Vimam, quarto abs Terüannâ lapide inuentum memoratur; atque Terüannam ab VVicfrido Episcopo translatum reuerenter in Æde Principe conditur. *Meyerus.* De eodem his verbis Molanus: *Beati Maximi Corpus Terüannenses, in Vimensi Ecclesia, prout voluerat, humauerunt: vbi locus Sepulturæ adhuc visitur. Ideoque iam dicta Episcopalis Ecclesia, de eo quatuor habet festa duplicia:* DEPOSITIONIS, *quinto Cal. Dec.* OCTAVÆ & RELATIONIS, *ex Bolonia, secundo Non. Decemb.* INVENTIONIS, *Idibus Septembris, quæ fuit anno 954.* & OSTENSIONIS, *quæ contigit anno 1165. per Milonem Episcopum, præsentibus alijs duobus, Balduino Nouiomensi & Roberto Ambianensi. Propter Vrbis autem excidium, capsa Reliquiarum eius est Ipras Flandrorum, cum solemni processione introducta.* Sic ille in Natt. 27. Nouemb.

CHRISTI AN. 955.

AGAPIT. 2. PAPÆ AN. 10.

ANNO 955. Ludouicus Francorum Rex moritur; succedit Lotharius, eius ex Gerbergâ Coniuge, Ottonis Imp. Sorore Filius. Regnauit annos XXXI. *Sigebertus.*

CHRISTI AN. 956. ANNO 956. Moritur & Fridericus, Archiepiscopus Maguntinus. Eius partes excepit Gulielmus, dicti Ottonis Imp. Filius. *Idem.* IOANNIS DVODECIMI PAPÆ AN. I.

CHRISTI AN. 957. ANNO 957. Hungari, per eundem Ottonem, bello penitùs conficiuntur. Et hæc quidem de Ottone, Berengarij Episcopi nostri Parente. IOAN. II. PAPÆ AN. 3.

Arnulphi Magni consenescente Imperio N. de Bethuniâ, Heremari, Bethuniensium Dynastæ Filius atque hæres, Sancti Praiecti Cellam, intra Castri sui terminos infessam reparauit; reparatam priuilegijs & exemptionibus adauxit, parentis supremam insecutus voluntatem: *Estque* (I. B. Gramaij sunt verba) *hæc suburbana Curialis, per Dominos ad Aram Sancti Petri in Abbatis Villâ; vndè Præpositus cum aliquot Religiosis Benedictinæ Familiæ missus; Sacris incepit operari, & populo Sacramenta administrare. Illic pars Reliquiarium Sancti Praiecti, quam dedit Gallia.* Vide ad annum 1188. & 1521. *Prioratus S. Præiecti iuxta Bethuniam.*

BALDVINVS QVARTVS
FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 958. ANNO 958. BALDVINVS III. Superstite etiamnum Arnulpho Patre, verùm publicę rei gerundæ, atque ætatis fesso, Flandriæ Comes renunciatur. Sed, ô conditionem humanam! quùm tertius hoc nomine Princeps censeretur, tertium Imperij annum lethalem sibi expertus est. IOAN. II. PAPÆ AN. 3.

Eodem anno moritur Berengarius Episcopus Atrebatensis; post cuius obitum, *Engelramus Corbiensis Cœnobij Monachius;* (verba sunt tabularum Ecclesiæ) *Sedem Episcopalem promeruit; & in colligendo Ecclesiæ distracta, multùm laborauit. Hic Peronam villam Sanctæ Dei Genitricis, quam Hasbanienses more beneficiali tenebant, quùm in Conuentu generali, apud Brunonem Archiepiscopum repeteret, quià priuilegium originale super possessione sua non exhibuit, a caussa decidens, Capellanum suum, qui hoc debuerat attulisse, ob eius fraudem vel negligentiam, Ecclesiæ suæ priuauit beneficio: & ampliauit Ecclesiam Beatæ Mariæ Cameracensis ad plagam Occidentalem, in qua requiescit.* Hactenùs ibì. *Engelramus Episcopus Atrebatensis.*

Is Engelramus Corpus Sancti Hadulphi ex Beati Petri

Eleuatio Corporis S. Hadulphi.

Sacello, ipsis Vedastini Monasterij septis incluso, eleuauit, & in maiorem eius loci Ecclesiam honorificè transtulit. *Vide ad annum 729.*

S. Gerardus moritur.

Sanctus Gerardus, Bertinici Cœnobij, aliorumque egregius instaurator, in Broniensi Cœnobio, ad quod post toleratos variè labores sese contulerat,

——————meritorum lumine clarus,
Ad fontem vitæ sitiens, plenusque dierum,
Deposito fragilis tandem velamine carnis,
Christi lucifluam Iesu transmigrat in aulam.
Prænitet Octobris quando lux tertia Mensis.

Molanus in Natt.

CHRISTI AN. 959. *Claret miraculo.* — IOAN. 12. PAPÆ AN. 4.

ANNO 959. Arnulphus Comes ab acerbissimo calculi dolore, meritis dicti Beati Gerardi, miraculosè liberatur. Fertur is Arnulphus, quùm medici incisionem suaderent, latinè in hæc verba respondisse. NON SVSTINEBO, NE DVM INDVLGENTIVS QVÆRAM VIVERE, INCLEMENTIVS INCIPIAM MORI. *Baronius ad hunc annum in Annal. Meyerus ad annum 964. Surius Tomo tertio. Frodoardus &c.*

Porrò Arnulphus in gratiam receptæ sanitatis; Remos venit, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ (Religiosum Principem id decebat) non modico argenti pondere munerauit. Vndè arcæ in quibus Sanctorum Calisti & Nicasij, atque Sanctæ Eutropiæ membra, cæterorumque Sanctorum quondam Corpora continentur, ornatæ & coopertæ sunt. Sed & quendam Euangeliorum librum, auro argentoque decorauit. Monasterio quoque Sancti Remigij dona contulit. *Frodoardus.*

Translatio Corporis S. Bertulphi.

Corpus Beati Bertulphi (de quo ad annum 670.) in Beati Dionisij, apud Rentiacenses hactenùs adseruatum, Nortmannorum metu, Bononiam ab Erkengario Comite transfertur. *Meyerus.*

Rerum permutatio in Belgicâ, pecuniæ defectu.

Hâc tempestate, Nummorum penuriâ vrgente, rerum permutatio in Belgicas ditiones introducta est; adeò vt pari Gallinarum Anserem, totidem Anserum porcum, tribus agniculis veruecem, totidem vitulis vaccam, & in cæteris conformiter, Belgæ vicissim sibi compararent. Lege Epitaphium Balduini nostri ad annum 961.

CHRISTI AN. 960 — IOAN. 12. PAPÆ AN. 5.

ANNO 960. Alisa, (aliàs Athela, seu Adela, & Adula)

Arnul-

Arnulphi Principis Coniunx, Brugis mortem oppetit; atque Blandinij in Beatæ Virginis Sacello tumulatur. Eius eccùm Epitaphium: *Alisa Flandriæ Comes moritur.*

Coniunx Arnulphi decus hîc sortita Sepulchri,
Non moritur meritis, corpore facta cinis.
Personas orbas nam fouit vt altera Dorcas,
Cui piè consenuit gratia, quam habuit.
Sole senas decimas præfert Octobris Idæas,
Hora notans obitum, quo petit hæc Dominum.
Exequijs Adulæ properantes quique vacate,
Vt pretio meriti culpa queat redimi.

Meyerus, Oudegherstius.

Moritur & VVirfridus Morinorum Episcopus, Dauide Corberico in eius locum eunte successore. *Demochares.*

CHRISTI AN. 961. ANNO 961. Balduinus Comes, ex bello contra Normannos in subsidium Lotharij Regis fortitèr gesto, incolumis domum reuersus, anno Imperij tertio, Bergæ Sancti VVinoci, morbo papularum, siue Variolarum è viuis, superstite Arnulpho Patre, recedit: atque Audomaropoli apud Bertinenses sepelitur sub humili tegumento lapideo. Arnulphi hîc appendam ex Cenotaphio sumptum Epitaphium: IOAN. 12. PAPÆ AN. 6. *Item Balduin9 Alisæ Filius.*

Tempore qui sperant hoc sæclo viuere longò;
Aspiciant quis sit conditus hoc tumulo.
Heu mors! Cur iuuenem Balduinum sæua necasti;
Quartum Flandrensem magnificum Comitem?
Ecce, Arnulphe tuus, Magne, est hic gnatus & heres,
Qui te dante tuum suscipit Imperium.
Iste superstite Patre suo Arnulpho tribus annis
Flandrinam rexit egregiè Patriam.
Multas præterea villas, quas struxit hic vnus, *Brugæ muris cinctæ.*
Muris Brugenses munijt ipse etiam.
Instituitque suas mercarier hic sine nummis,
Mutans pro rebus res alias alijs.
Duxit in vxorem Mathildem Saxoniensem,
Iunior Arnulphus quâ genitrice oritur.
Hinc que sui postquam genitoris fit vice Princeps,
Haud multo regnans tempore, Mors in eum
Seuijt, & Iani hâc priuauit luce Kalendis;
Diui Bertini conditus Ecclesiâ est.

Machthildis Balduini Coniux thalamũ redintegrat.

Cęterùm dicta Machthildis, Balduini Coniunx, thalamum reparauit cum Gotfrido Arduennæ Comite, cui genuit Gotfridum, Gotelonem, Lotharingiæ Duces, & Henchilonem Eynhamæ Regulum. Hic Henchilo filiam vnicam Reynero Hannoniæ Comiti elocauit; quo ex Connubio multas Familias coniunxit & illustrauit. *Ludouicus Bresinius in Chronico. Vide Sigebertum ad annum 1005. & hîc infrà ad annum 1009.*

ARNVLPHVS MAGNVS, ITERATO FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 961. — IOAN. 12. PAPÆ AN. 6.

ANNO 961. ARNVLPHVS MAGNVS, siue SENIOR, Balduino Filio, cui Imperium resignarat, præmaturè defuncto, rei Flandricæ gubernaculo iterùm admouetur.

Autbertus Episcopus Atrebatensis.

Ausbertus, siue Autbertus, ex Vedastini Cœnobij Ascetâ, Engelramo per id temporis defuncto, Atrebatensis Sedis Pontifex nominatur. *Hic collectis* (verba agnosce tabularum eius Ecclesiæ) *stipendijs, octo Canonicos in Ecclesia Sancti Auberti Cameracensis deputauit, in quâ post quinque suæ ordinationis annos est sepultus.*

Regenaldus, Bertinensium Abbas, Elephantiasi, siue leprâ percussus, à regimine remouetur. Hinc Hildebrandum Arnulphus Auunculus Atrebato reuocat, ac Bertinicis reddit. *Iperius. Vide ad annum 950. & 954.* Cæterùm Chronicon Vedastinum ad annum 968. Hildebrandum Cœnobio isto expulsum scribit, Lothario Rege id annuente.

CHRISTI AN. 964. *Arnulphus Princeps noster moritur.* — IOAN. 12. PAPÆ AN. 9.

ANNO 964. Arnulphus Magnus decrepitam nonaginta duorum annorum ætatem ad mortalitatis terminum perducit, & Gandaui sub humili saxeo tegumento funeratur, quùm annos ferè 47. Flandriæ gloriosè præfuisset. Eius Epitaphium Gandauo petitum hîc habe:

Ius subiens mortis Arnulphus, Marchio fortis,
Legerat hîc requiem Iudicis ante diem.
Hic Patre Balduino generatus Principe diuo,
Balduinum genuit, quem cita mors rapuit.
Laudis in exemplum statuens hoc nobile templum,
Huc VVandregesilum transtulit ille pium.

Ergo

Ergo diu Sospes Patriam regit, & premit hostes;
Cui prece solamen Lector adoptet. Amen.

ARNVLPHVS IVNIOR V.
FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 964.

IOAN. 12. PAPÆ AN. 9.



ANNO 964. ARNVLPHVS II. Cognomento IVNIOR, defunctos Patrem Balduinum, & Auum Arnulphum, in fugaces hosce titulos subsequitur, atque Flandriæ quintus Comes salutatur. Quo in teneris adhuc agente, rerumque gerundarum imperito, Lotharij Regis cupiditas, & ab illâ, violentia, Principatum eius inuasit. *Bolonia* (scribit Marchantius) *& Teruanna, Sampauliuè ditionum possessione, huic hæredibusque ereptâ; & ad filios Gulielmi Comitis Pontiui, quo iure quâque iniuriâ translatâ; sic tamen vt vterque fidem & clientelam Comitibus Flandriæ iuraret.* Sic Marchantius, ex Sigeberto & alijs. Consonat Meyerus hac Methodo: *Arnulpho mortuo, facile Francorum armis, ob immaturam nouelli Principis ætatem, in Flandriam patuit irruptio. Lotharius Rex statim Atrebatum, Duacum, Hanas, cum alijs plerisque locis inuasit, Flandriamque omnem, quod & Sigebertus testatur, Lysa tenus rapinis & incendijs fœdauit. Detracta item eodem tempore Bononica ciuitas tota, alienatus Teruannicus Comitatus, &c.* & pòst paulò: *Ad Gulielmum Pontacensem Comitem, auxilio Francorum subnixum omnia deuenere; cuius alter filiorum factus est Comes Teruannicus, seu Fani Pauli: alter, Erniculus nomine, Comes Bononiensis, in fide vterque & clientelâ Comitum Flandriæ. Vocitabant enim Comitem Flandriæ, Marchionem, & Monarchàm, quasi supremum Principem, seu Comitem Comitum.* Hactenùs ille. Consule Ioannis Tilletij Historiam Regum Franciæ, ad Lineam Comitum Bononiensium, & ibi reperies dictis conformia.

Lotharius Rex, Bononiã, Teruannam atq; S. Pauli Castrum inuadit.

Beatus Dunstanus (Iperij sunt verba) *Cantuariensis primæ Metropolis Anglarum, Primas & Archiepiscopus instituitur. Sicque ab Anglia veniens, vt Romam pergeret, ad hoc Monasterium* SITHIV *declinauit; quem Dominus Abbas Hildebrandus gratificè ac cum honore recepit, & hic aliquanto tempore mansit, anno Domini IX^c. LXIIII.* * Posteà præparatis in iter necessarijs, hinc Romam proficiscitur, & à Papa Ioanne nominis eius* XIII.*

S. Dunstanus ad Bertinicos diuertit.

* Baron. in ann. 960.
* Baron. 12.

 Pal-

Pallium cum plenitudine potestatis accepit, &c. Hactenus ille.

Morinenses, Baucone, aliàs Dauide, pedum pastorale, cum vitâ dimittente, succedaneum agnoscunt Framericum, *Democbares.*

CHRISTI AN. 965. ANNO 965. Otto Imp. Pentecosten Aquisgrani celebrat, eò Gerbergâ Francorum Reginâ, & Hathuide, Hugonis Parisiorum Comitis vxore, Sororibus illuc concurrentibus, inuisendi & congratulandi gratia. Cuius hîc vel ex eo mentio, quod IOAN. 12. PAPÆ AN. 10.

CHRISTI AN. 967. *Viboldus Episcopus Atrebatensis.* *Lusus tessera seu alea Clericis inhibitus.* ANNO 967. Atrebatenses ab dicto Ottone Viboldum (Demochâri Vnibaldum) Nouiomensis Ecclesiæ Archidiaconum, Pontificem sibi impetrarint: qui licet vix per annum rexerit, tamen ab eodem Imperatore Cameracense Dominium obtinuit; atque *ludum alearum* (verba sunt monumentorum Ecclesiæ Atrebatensis) *cui suis diebus Clerici fuerant valde dediti, tesseris quibusdam concordiam virtutum continentibus, fœlici subtilitate commutauit. In Ecclesiâ Cameracensi iacet tumulatus.* Hæc ibì. IOANNIS DECIMI TERTII PAPÆ AN. 2.

CHRISTI AN. 968. ANNO 968. Floret Framericus, in Vedastinam Sedem, post Hildebrandi ad Bertinicos recessum promotus. Imperauit ad annum vsque 972. tum migrare iussus, morte euocante. IOAN. 13. PAPÆ AN. 3.

Campanarum Benedictio. Eodem anno, Ioanne Papâ regnante, contigit primariam Lateranensis Ecclesiæ Campanam, miræ magnitudinis recens ære fusam, super Campanile eleuari; quam priùs idem Pontifex, sacris ritibus Deo consecrauit, atque Ioannis nomine nuncupauit; qui sacer ritus in Ecclesiâ perseuerauit, vt eo modo quo ipse vsus, Campanæ in Ecclesijs collocandæ, Deo primùm, imposito eis nomine dicarentur; quod testantur veteres Codices Rituales. Licet errore vulgi pro arbitrio vtentis vocibus, dicantur baptizari Campanæ, quùm ita ab Episcopis benedicuntur; non aliunde baptismi, in re longè dispari mutuati nomen, nisi quòd sicut in Baptismo, nomen imponitur Baptizato, ita in eâ consecratione, nomen Campanæ daretur; siue eâ ratione, vt distingui posset à cæteris, vel quòd magis conduceret ad pietatem, si voce Sancti alicuius diceretur populus ad Ecclesiam conuocari. *Baronius, in ann.*

Otto Imp. in terrâ Saxonicâ venas auri & argenti primus industriâ suâ aperuit. *Sigebertus.*

CHRISTI AN. 969.

ANNO 969. Viboldo, Atrebatium Pontifice, è viuis anno superiore sublato; Thiedo, aliàs Teudo, Theodotus, & Theodosius, patriâ Senensis, & Sancti Seuerini, in opido Coloniensi Præpositus, ab Ottone Imp. substituitur. *Hic post multas tempestates* (verba sunt Eccl. Atreb.) *& iniurias ab eis illatas, qui Principatum sibi in Vrbe Cameracensi vendicabant, Coloniam veniens, & ibidem in Domino obdormiens, in Ecclesiâ, de quâ sumptus est, requiescit. De isto etiam legitur, quòd quùm Missam celebraret, Hostia cælitùs eleuata, ei tanquam familiari amico, in manus prosilierit.* Sic ibi. At Demochares, quod postremum notaui, sic narrat: *Hic cum Missam Atrebat. Episc. celebraret, Hostia è manibus emissa in cœlum euolauit.*

IOAN. 13. PAPÆ AN. 4. *Thiedo Episcop. Atreb.* *Sacra Eucharistia miraculum.*

CHRISTI AN. 970.

ANNO 970. (Sigeberto 972.) Leodicense opidum, ab Rogero Episcopo, muris lateritij operis circumuallatur, Ædificijs honestatur, maior Ecclesia Corpore Sancti Lamberti insignita à fundamentis instauratur, atque Cœnobium Sancti Ioannis Euangelistę in Insulâ exædificatur.

IOAN. 13. PAPÆ AN. 5. *Leodicensis Opidi initia.*

CHRISTI AN. 972.

ANNO 972. Malefridus, Cœnobij Vedastini Antistes consecratur. De illo sic Chronicon: *Malefridus, aliàs Maledulphus, anno salutis 972. suscepit huius Domus administrationem, proximo prædecessore multis quidem felicior annis, sed tempestate nihil benigniore, in multis etiam calamitosiore. Annos siquidem administrationis in vicesimum produxit annum, leui tamen gratiâ; quòd in eis plurimos aduersos sæuior tempestas attulerit casus. Inter quos est memorabile totius Monasterij incendium, quod tum sæuijsse videtur, cùm Capetus validâ factione subnixus, Regnum Gallorum vsurpans, ab Arnulpho minùs assentiente alienus, eum bello prosecutus est; quo circumfusos huic Ciuitati pagos, agrosque populatus est, & incendit, ipsumque Atrebatum cæpit, ac ignibus sicut putatur, afflixit, vt Monasterij conflagratio, commune fieret malum pluribus.* Hæc ibi. Vide infrà ad an. 987.

IOAN. 13. PAPÆ AN. 7.

CHRISTI AN. 974.

ANNO 974. *Otto 2. Imperator Castellum Buxudis obsidet, captum diruit, captos in eo exsiliat.* Sigebertus eodem stylo. Est autem Castellum istud hodie Arx Hannoniæ pulcherrima, vulgo BOSSVT nuncupata, titulo Comitatus insignis, cuius Dynastiam hodie tenet Maximilianus de Henni Bethuniensis opidi gubernator, seu Toparcha. De eodem Castello Iustus Lipsius in suo Louanio sic posuit: *Reginerius Longicollus cognomine, & Lambertus, illi*

BENEDICTI SEXTI PAPÆ AN. 2. *Castrum Bossutanum in Hannoniâ.*

Louanie[n]se in Brabantiâ.

Montensium (id est Hainauiæ) iste Louaniensium Comes; Fratres, suis ac Francorum copijs freti, Garnerium & Reinoldum paterni patrimonij occupatores acie vincunt. Id factum anno 972. Vincunt, inquam, acie; nec tamen omnia loca occupant: & ad obsidia conuersi, Castellum Buxidis (Bossutium hodiernum esse censent, quo ducit magis vetus scriptio, Buxudis) hoc dico Castellum muniunt, & refugium sibi, ac prædis receptaculum habent: quas quum effusè agerent, alijque Imperatorem vt læsum, in partes vocarent, venit Otho, & Castellum obsidet, expugnat, euertit. Sic ille l. 1. c. 9.

CHRISTI AN. 977. — BENEDICTI SEPTIMI PAPÆ AN. 3.

ANNO 977. Lotharius Rex, ad instantiam Emmæ Coniugis, bonorum Mareolensi Cœnobio à S. Bertiliâ alijsque factam collationem, diplomate sancit ac fixam habet. En prestò:

Bona Cœnobij Mareolensis in Artesijs confirmantur. Lotharij Regis diploma.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS DIVINA PRÆORDINANTE GRATIA, REX LOTHARIVS: *Si in diuinis cultibus Ecclesiam Dei ad summum Sanctæ Religionis Statum sustollere conamur, ab ipso omnium bonorum remuneratore confidimus nobis fore compensandum. Igitur notum esse volumus omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelibus, præsentibus & futuris, quoniam nostræ dignitatis præsentiam dilecta Coniux nostra Emma adiens, nobis retulit dolendo, quoddam Cœnobiũ, à Venerabili Fulberto Præsule, sub Regulari Canonicorum norma, nobiliter secus Atrebatum, super Satis fluenta olim constructum fuisse, quod situm est in villa, quæ dicitur Mareolum, nunc verò penitùs destructũ per violentiam secularium, & nimiam cupiditatem Theudonis Episcopi, remotis indè omnibus, quæ prædictus Fulbertus, eiusque Successores tradiderunt Cœnobio S. Amandi & S. Bertiliæ, ad opus Fratrum, ob remedium animarum suarum, nostrorumque Antecessorum. Quocirca prælibata Coniux nostram reuerenter expetijt munificentiam, vt concessas res Præcepti nostri munimine, iam dicto Monasterio corroborare dignaremur. Nos verò interuentu dilectæ Coniugis nostræ Emmæ, fidelisque Dridonis, ob spem diuinæ remunerationis, pro statu & incolumitate Regni nostri, piæ petitioni assensum præbuimus, & iam dictas res Canonicis prælibati Monasterij reddi præcipimus: scilicet mansum in Dominicatu quod Fulbertus Episcopus dedit eis in villa Mareolo vsque ad fluuium Satis. In ipsa villa Molendinum vnum, situm coram manso Ecclesiastico, & decimas quatuor Molendinorum, quas Præsul Engramnus eis contulit. Simili modo mansa duo in iam prædicta villa; & Sedes duas in terra arabili, & bonaria 24. ad opus Fratrum ipsius loci; medie-*

tatem etiam Gamina datam ab Andremaro Præposito ipsius loci, vt habeant firmiter & perpetuò, nemine inquietante, possideant: eâ scilicet ratione, vt cunctis diebus vitæ eorum, pro nobis & totius Regni statu militare iugiter satagant. Et vt hæc nostræ corroborationis concessio plenissimum obtineat stabilitatis vigorem, manu propria subter firmauimus, & annuli nostri impressione assignari iussimus. Datum Lauduni Clauati, an. 977. Sic ille, ex vet. cod. eius loci. Vide ad ann. 930. & 1144.

CHRISTI AN. 980. ANNO 980. Rotardus hoc nomine secundus, ex Nobili prosapiâ ortus, Thiedoni, Atrebatium Pontifici defuncto, acclamante populo surrogatur: *qui inimicorum suorum animos tandem ipse conuertit, præter VValterum Castellanum suum, quem semper aduersarium inuenit. Hic Calicem & Patenam ex puro auro Ecclesiæ Cameracensi contulit; altare aurea tabula insigniuit & dignitates Ecclesiæ suæ ab Ottone, Imp. renouari impetrauit. Ecclesiam ipsam Cameracensem, quam Engelramus ædificare cœperat, & morte præuentus imperfectam reliquerat, ad perfectionem deduxit. Indè ad meliora vocatus, in præfata Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis sepelitur.* Monn. Eccl. Atreb. BENED. 7. PAPÆ AN. 6. *Rotbardus Episcopus Atrebat.* BENED. 7. PAPÆ AN. 7. *Corpora SS. Richarij & VValarici Trāslatio.*

CHRISTI AN. 981. ANNO 981. Corpora Sanctorum Richarij & VValarici Arnulphus Iunior, Comes, thecis deauratis imposita, Hugone Capeto rogante, ex Bertinico Cœnobio, in quo aliquot annos hæserant, ad opidum Monasteriolum curat transportari, suisque antiquis sedibus restitui. *Meyerus. Vide ad annum 952.* IOANNIS DECIMI QVINTI PAPÆ AN. 4.

CHRISTI AN. 987. ANNO 987. Hugo Capetus Atrebatum Arnulpho eripit; sed pòst paulò restituit, pace inter eos per Richardum Normannorum Ducem inita. Caussa hæc dissidij; quòd Arnulphus Capeti coronationi, Nouiomi habitæ, adesse recusasset, velut non legitimæ. *Vide Meyerum, Marchantium, & suprà ad annum 972.* *Atrebatum Arnulpho eripitur, redditur*

Arnulphus Comes, Gandauensibus immunitatem elargitus, in nostros plusculum toruior, telonium excipit, abs agro Audomarensi & Ariensi pendi solitum. *Grammaius.* *Telonium Audomarense & Ariense.*

CHRISTI AN. 988. ANNO 988. (quibusdam 989.) Martij 30. Arnulphus Comes calidissima febri correptus immaturè ac inopinatò diem obit extremum, atque Gandaui ad Beati Petri, in Sacello Laurentiano sepelitur, tali donatus Epitaphio. IOAN. 15. PAPÆ AN. 5. *Arnulphus Comes moritur.*

Inclytus Arnulphus Comes hîc est carne sepultus,

Arnul-

Arnulphus Magnus cuius habetur Auus.
Hic nos ditauit, nec ab Auo degenerauit,
Nam Camphin, Harnes, & bona plura dedit.
Martis tredena lux ibat solis habena,
Quùm pius hac heros transijt ad superos.
Huius Rosella fuerat Coniux veneranda,
Balduinum generans pignus auorum imitans.
Hunc Rex iustorum socium fac esse tuorum,
Atque bonis cunctis gaudeat in Superis.
Tredena luce cùm Martius esset in Axe,
Corpus humo tradit, cum moriendo cadit.

Rosella eius Coniux thalamum instaurat. Dicta Rosella Arnulphi vxor, â mariti funere, nuptias cum Roberto Capeto Gallorum Rege iterauit, ac priore relicto nomine, Susanna voluit vocari. Patrem habuit Berengarium tertium, Stirpis Longobardicæ, Italiæ Regem: prolem verò Balduinum Barbatum, ex thoro priore.

Theodoricus Hollandiæ, Zelandiæ &c. Comes, vitâ defungitur. Succedit Arnoldus 2. Filius. Lutgarda Theophanis Græcorum Imp. Filia vxor ei obtigit, ex quo Connubio natus Theodoricus, Auum nomine referens.

BALDVINVS BARBATVS, VI. FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 988. ANNO 988. BALDVINVS, qui posteà PVLCHRO-BARBI cognomentum sortitus est, Arnulphi ex Rosellâ, Filius, adhuc impuber, in Patris Ditiones iuit successor. IOAN. 15 PAPÆ AN. 5.

CHRISTI AN. 989. *Annonæ caritas & prodigia.* ANNO 989.* In Gallijs, Siccitas magna Vernalis; vndè & satio prima impedita, & fames ingens secuta est. Fertur annonam pluisse de cœlo in Hasbaniâ. Alij pisciculos paruos de cœlo pluisse ferebant. Nix nimia decidit; Imber posteà continuus, qui Autumnalem sationem omninò denegaret. *Sigebertus eodem ferè stylo.* IOAN. 15 PAPÆ AN. 6. * Palmerio ann. 990.

Carolus Lotharingiæ Dux, Montem-Acutum expugnat; hinc obuia quæque demetit ad-vsque Suessionem: postmodùm Remorum potitus, multa cum præda Laudunum reuertitur.

Hugo Capetus Rex Lotharingum è vestigio secutus,

acri premit obsidio; atque Angelini Episcopi auxilijs, Lauduno intercepto, Lotharingus venit in manus & potestatem victoris; à quo id præmij accepit, vt Aureliam Coniuge sociatus, arctæ mancipandus custodiæ duceretur. *Tilletius.*

CHRISTI AN. 990. ANNO 990. Hugone Capeto in Gallijs triumphante, atque feodis in hæredia & patrimonia erectis, Regni Proceres, ab feodorum, quæ tenebant, præcipuis, cognomina assumpsere: Rusticis iterùm atque obscuris hominibus à natalitio solo eadem mutuantibus. IOAN. 15. PAPÆ AN. 7. *Vndè cognomina nostris nata.*

Moritur Folquinus (aliàs Fulcuinus) primùm in Sancti Bertini, apud Audomarones, Monachus; indè Abbas Cœnobij Lobiensis; cuius loci Antistitum gesta conscripsit; itemque Sanctorum Vrsmari, & Folquini (cuius nomen ferebat) vitas atque miracula. *Folquinus Abbas, scriptis clarus moritur.*

Mense Nouembri moritur Volckmarus, Episcopus Traiectensis: cui Balduinus, Hollandus, Arnoldi, Cliuiæ Comitis Nepos succedit; sed non diutiùs quàm ad annum vsque 993. principatur, tum defunctus atque sepultus in Templo suo Cathedrali.

CHRISTI AN. 991. ANNO 991. moritur Carolus Lotharingiæ Dux; cique Otho F. succedit. IOAN. 15. PAPÆ AN. 8.

Moritur & Herinuardus Abbas Gemblacensis, Erluino minore in eius partes eunte.

CHRIST. AN. 992. ANNO 992. Erluinus seu Herluinus, Leodicensis Ecclesiæ Archidiaconus, Atrebatium Episcopus inauguratur, Nogerio, dictæ Leodicensis Ecclesiæ Antistite negotium procurante. Porrò Herluinus Ecclesiam Sancti Auberti, cum Episcopio Cameracensi multùm ampliauit; & tertiam præbendam, tum in Atrebatensi, tum in Cameracensi Ecclesijs vacantem, Canonicis dandam reliquit. *Sic ferè in Archiuis Eccl. Atreb. & Gerardino Chronico.* IOAN. 15. PAPÆ AN. 9. *Herluinus Episcopus Atrebatensis.*

Robertus, Hugonis Capeti (qui Regis titulum haut magnoperè affectauit) Filius, Genabi, seu Aureliæ, Galliarum Rex abs Patre initiatur. Hinc ad Capetidum sanguinem seriemque, Regni Francorum migratio; illâ Caroli Magni, sed ad tempus, sepultâ. *Palmerius.* *Robertus Capeti Fil. Gall. Rex.*

Gerbertus, ex Remensi Episcopo, Rauennensis Ecclesiæ Archiepiscopus renuntiatur; temporumque tractu, Othone Imp. operam subministrante, supremus Romanæ

Ecclesiæ Pontifex est creatus, Siluestri secundi assumpto nomine: hinc cuiuspiam rude glossema:

Transit ab R. Gerbertus ad R. fit Papâ vigens R.

Nempè ab triplice Pontificatu, vncialibus litteris eundem insinuantibus.

CHRISTI AN. 993. — ANNO 993. Arnoldus Hollandiæ atque Zelandiæ Comes, cæditur in pugnâ cum Frisijs, 18. Oct. commissâ. Eius funus delatum in Cœnobium Egmundanum. — IOAN. 15. PAPÆ AN. 10.

Fuchardus instituitur tricesimus, post Malefridum defunctum, Vedastini Monasterij Antistes.

CHRISTI AN. 994. — ANNO 994. Florebant hoc tempore in omnigenâ litterarum peritiâ, Herigerus, Abbas Lobiensis: Adelbodus, Episcopus Vltraiectensis; Fulbertus, Episcopus Carnotensis; Abbo, Abbas Floriacensis, qui Victorij Calculum Commentario illustrauit. *Sigebertus.* — IOAN. 15. PAPÆ AN. 11.

CHRISTI AN. 995. — ANNO 995. Conrado, Burgundiæ Rege mortuo, Rodolphus, abiecti licet & ignaui (vndè cognomentum reportauit) vir animi, paternam hæreditatem adeptus est. *Herm. Contractus in Chron.* — IOAN. 15. PAPÆ AN. 12.

CHRISTI AN. 996 *Solis Germanis fas eligere Imperatorem.* — ANNO 996. Gregorius quintus, natione Germanus, anteà Bruno appellatus, in Summum Pontificem assumptus, Patriamque suam aliquâ insigni dignitate ornaturus; sancit vt penes solos Germanos, sit ius eligendi Regem, qui post Diadema à Summo Pontifice acceptum IMPERATOR & AVGVSTVS nominaretur. *Vide Baronij Annal. & hîc ad an. 1004. & 1245.* — GREGORII QVINTI PAPÆ AN. 1.

Otho primus Electus. — Id Diadematis Otho Imp. primus ab Pontifice accepit. *Palmerius.*

Trugandus, Bertinensis Cœnobij 33. Antistes creatur, nec annos ampliùs quatuor moderatur.

Hugo Capetus moritur. *Sigebertus.*

CHRISTI AN. 997. *Ecclesia Leodicensis Hoyensi Comitatu, & Atrebatensis varijs priuilegijs donantur.* — ANNO 997. Claret apud Gallos Ansfridus, Bratuspantium Comes, iustitiâ non minùs ac pietate famosus. Is deposito sæcularis militiæ cingulo, Christo se, in Clericorum sortem relatus, mancipauit: ijsque tum virtutibus inclaruit, vt Vltraiectensis Ecclesiæ Sedem promeritus, omnium calculo Pontifex fuerit assumptus. Dedit Ansfridus Comitatum Hoyensem Ecclesiæ Leodicensi. *Sigebertus.* — GREG. 5. PAPÆ AN. 2.

Herluinus Episcopus Romam profectus varia Ecclesiæ suæ priuilegia ab Summo Pontifice Gregorio impetrat.

CHRISTI AN. 998.

ANNO 998. *Odilo, Abbas Cluniacensis, constituit per omnia Monasteria sibi subiecta, vt sicut primo die Nouembris solemnitas omnium Sanctorum agitur, ita sequenti die memoria omnium in Christo quiescentium celebretur: qui ritus ad multas Ecclesias transiens, Fidelium Defunctorum memoriam solemnizari facit.* Sigebertus eodem stylo. Vide Bergomatem in Supplemento; Baronium, quùm in Nott. tum in Annal. & hîc ad an. 835.

GREG. 5. PAPÆ AN. 3. *Annalis Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum instituitur.*

CHRISTI AN. 999.

ANNO 999. Robertus, hoc nomine primus, Bethuniensis Ditionis Toparcha, Parœcialem Sancti Bartholomæi Ecclesiam quùm exædificasset, eandem ab Herluino Episcopo dedicari curauit, secundo nempè post eius ab Vrbe reditum anno. Sedet ea non procul Bethuniensi Castro, multis nominibus celebranda, de quibus postmodùm suis locis.

SILVESTRI SECVNDI PAPÆ AN. 1. *Ecclesiæ S. Bartholomæi apud Bethunæos Dedicatio.*

Framericus, 24. Morinorum Episcopus, è viuis tollitur, successore Balduino, atque Ciuitatis suæ, sub Roberto Rege, instauratore. *Demochares.*

Eâdem tempestate; ingenij humani admiranda patuit industria, in componendis Horologijs, quibus nunc vtimur, & ipsos cœlorum motus imitari obstupemus; quùm hactenùs ex antiquâ Gentilium inuentione, nisi aut Clepsydris, aut vmbrarum proiectione, horarum mutationes signarentur, Huius tam præclari inuenti Sylueſter secundus, Pont. Max. fertur auctor; de quo Ditmarus Chronographus lib. 6. *Optimè callebat Astrorum cursus discernere, & contemporales suos variæ artis notitiâ superare. Hic tandem à finibus suis expulsus, Othonem petijt Imperatorem, & cum eo diutiùs conuersatus, in* MAGDEBVRG *Horologium fecit; illud rectè constituens, consideratâ per fistulam quâdam stellâ, Nautarum Duce.* Hæc ille. Post quem, & Bozius hoc etiam stylo. *Quis hîc admirari satis queat Horologiorum fabricationem? Id fuit inuentum Gerberti* (de illo nos ad an. 992.) *qui posteà Pontifex factus, dictus est Syluester secundus, quod Erfordiensis testatur. Quam verò sint in eorum compositione præstantes Germani, qui ignorat; is rerum ante oculos quorumuis positarum prorsus est ignarus.* Hactenùs & hic lib. 22. De signis Ecclesiast. capite 5.

Horologiorum adinuentum.

Primus Auctor.

Quod origine primum.

Cæteris Germanorum fertur Argentinense palmam præripere. Cæterùm parentum ætate, spernendum haudquaquam id fuit, quod Ianetus Turianus Carolo Quinto

Quod præstantius.

sancti ad Carolum V. Imp. speciale.

Imp. obtulit, æneum illud & sexcentis constans rotis; in quibus quùm Planetæ, tum Sphæræ octauæ Imagines, atque Zodiaci signa, suis ordinibus, volui, reuolui conspiciebantur; quum interim alterum pedem quadrangulo non abscederet, & eius regendi peritiam optimè teneret Cæsar.

ANNVS CIϽ. SÆCVLARIS, IN CÆTERIS SPECTANDVS.

CHRISTI AN. 1000.

ANNO 1000. Cometa cum prodigijs varijs, cœlum; permaximus terræ motus, depressiorem hanc Orbis molem, non modicum interturbant. *Palmerius.* SILVEST. 2. PAPÆ AN. 2.

Præstans Miraculum apud Bertinicos.

Trugandus, in Sancti Bertini, Antistes, pedum cum vitâ deponit, Odberto succenturiante, sub quo præstantia duo contigisse miracula scribit Iperius, quorum vnum modò referam: *Locus iste* (scribit) *liberatus est ab incendio per Sanctos Vincentium, Audomarum atque Bertinum, in speciem trium columbarum candidatum, hunc locum circumuolantium, & se contra flammas obijcientium, quæ ab omni populo visæ sunt. Sed posteà per visionem cuidam huius loci Monacho apparentes, & se nominantes, testati sunt hunc locum se protexisse, & sub specie trium illarum albarum columbarum se populo demonstrasse.* Sic Iperius.

Templũ S. Petri apud Louanienses.

Lambertus Louaniensium Comes Ædem D. Petro in mediâ vrbe construit, ac in eâ Collegium septem Canonicorum instituit, Lamberto, eiusdem Filio cooperante. *Diuæus.*

CHRISTI AN. 1001.

Templũ B. Virginis Cameracensis insignibus Priuilegijs ab Othone Imp. donatur.

ANNO 1001. Otho Imperator multis priuilegijs & muneribus Herluinum Episcopum prosequitur, velut indicat hoc Cæsareum diploma: SILVEST. 2. PAPÆ AN. 3.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS; *Otto, superna fauente Clementia Romanorum Imperator Augustus; si locis diuino cultui mancipatis, proprietates sublimare, atque honores augere studuerimus, id non solùm laude humana prædicandum, verùm etiam mercede diuina remunerandum scimus, & verè credimus. Vnde agnoscat multitudo omnium Fidelium nostrorum tam præsentium quàm futurorum, quòd nos Herluino venerabili Episcopo, ob interuentum Leonis Episcopi & cæ-*

terorum,

terorum; dedimus ius, fas, atque licentiam faciendi, statuendi atque construendi MERCATVM CVM MONETA, TELONEO, BANNO, ET TOTIVS PVBLICÆ REI MINISTERIIS, *in quadam proprietate Sanctæ Cameracensis Ecclesiæ, in loco qui vocatur* CASTELLVM SANCTÆ MARIÆ, *quod vocabatur anteà* VENDELGEAS, *quod situm est in pago Cameracensi, ac Comitatu* Arnulphi Comitis, atque prædictum* MERCATVM, MONETAM, TELONEVM, BANNVM CVM TOTA PVBLICA FVNCTIONE, *in proprium concedimus Sanctæ Cameracensi Ecclesiæ, tali tenore, vt nullus Dux, Marchio, siue Comes, seu aliquis homo vllam potestatem habeat super memoratum mercatum, nisi cum licentiâ Herluini Episcopi suorumque successorum &c. Data XI. Cal. Maij, Anno Dominicæ Incarnationis M. primo, Indictione XIV.* Sic ibì.

* Fortè *Balduini*, vt hinc habes, si is fit Flādriæ Comes.

In Gallijs, quùm de aduentus Domini celebrandi initio variè disceptaretur, alijs ante 5. Cal. Decemb. alijs infrà celebrandum censentibus, quùm quatuor non ampliùs Hebdomadas possit continere: Concilio definitum est, omnes eâdem die inchoarent, neque dictas quatuor Hebdomadas excederent. *Baronius in Annal. ex Abbone Floriacensi Abbate.* *Quæstio de celebrando Domini Aduentus primo die.*

CHRISTI AN. 1002. ANNO 1002. Magna aquarum inundatio, ipsis quùm Iunij tum Augusti Calendis. SILVEST. 2. PAPÆ AN. 4.

Syluester Papa, qui & Gerbertus sapiens nominatus, vnà cum Othone Cæsare, hoc anno obiere. Syluestro Ioannes 18. Othoni Henricus secundus Bauariæ Dux, successere.

CHRISTI AN. 1003. ANNO 1003. Septimo Calend. Februarij, Rosella (postmodùm Susanna, vt ante* diximus, vocata) Balduini Comitis mater, Compendij moritur, atque Gandaui, iuxta Arnulphum maritum sepelitur. Epitaphium eius est tale. IOANNIS DECIMI OCTAVI PAPÆ AN. 1. *Rosella Princeps moritur.*

*Ad an. 988.

Hoc Conditorio Regina Susanna quiescit,
Expectans reditum Iudicis ætherei.
Occidit ante dies septem Mensis Ianuari,
Dans animam Superis; ossaque, terra tibi.

IOANNIS DECIMI NONI PAPÆ AN. 1.

CHRISTI AN. 1004. ANNO 1004. Henrico per electionem ad Imperium assumpto, primùm statuitur vt in futurum non per sanguinis successionem duceretur Imperium; sed Germani quidam Proceres, vnà cum quibusdam Pannoniæ Principibus, IOAN. 19. PAPÆ AN. 2.

Imperatores per electionē assumendi.

potestatem haberent Imperatoris deligendi. *Palmerius. Vide suprà ad annum 996.*

Fuchardus, Vedastini Monasterij Antistes, quòd vitam Monastico instituto prorsus auersam transigeret, atque credito sibi gregi viam ad fatum præcipitem sterneret, ab Herluino Episcopo Sede exigitur. Audiendum hîc loci Chronicon: *Fuchardus* (aliàs Fulradus vel Fullardus) *cum desidentes primò Monastici mores, magis ac magis collaberentur, atque ire cœpissent præcipites, datus Pastor gregi, tantùm abest vt diffluentes stabiliret atque erigeret; quin ipse etiam præceps ire cœpit, oblitus muneris & officij, vt in eum animaduertendum sibi sumeret Episcopus Cameracensis Herluinus, ab eo Sede multatus. Cuius quùm sententiam frustra subterfugeret: nullo idoneo sibi ascito patrono, dignitate deturbatus est, anno eius inita duodecimo, qui erat gratiæ quartus supra millesimum; serumque patrocinium ab Arnulpho Archiepiscopo Remensi quæsiturus, eò profectus conquestus sæpiùs ab inimico Pontifice intolerabilem sibi conflatam inuidiam dùm interponendæ auctoritatis tempus extrahit Episcopus; dolore, vt creditur, ereptæ administrationis, asscitâ Corporis tabe, improuisâ morte absumptus est. Caruit indè Pastore grex Nobiliacus quadriennio, summâ rerum commissâ Herberto cuidam è nostris, viro antiquæ pietatis & innocentiæ.* Hactenùs ibì.

CHRISTI AN. 1005. — IOAN. 19 PAPÆ AN. 3.

ANNO 1005. Visus Cometes horribilis ad Austrum. *Palmerius.*

Computus Ecclesiasticus.

Chilpericus librum de ratione Computi scribit, ad inueniendos Domini annos per Indictiones. *Vide Sigebertum.*

CHRISTI AN 1006. — IOAN. 19 PAPÆ AN. 4.

ANNO 1006. Fames & mortalitas grauissima per totum orbem.

Valencena frustra obsessa.

Henricus Imp. Valencenense Castrum frustrà obsidet, id Balduino Comite fortiter propugnante.

CHRISTI AN. 1007. — IOAN. 19. PAPÆ AN. 5.

ANNO 1007. Henricus Imp. Herluino Episcopo, suisque successoribus, totius Cameracesij Comitatum dono impertit.

Cameracesium eiusdem donatur Episcopo

Donatio transacta est Aquisgrani, præsente Heriberto Archiepiscopo Coloniensi, vndè ad quandum Ecclesiæ Cameracensis tabulam, vernaculo sermone;

Enfans pour valoir à mon ame,
De bon affect nous ordonnons

Alc-

A l'Eglise de Nostre Dame
De Cambray & en don donnons,
Et Heritiere le faisons
De la Comté de Cambresis,
A tousiours ainsi le voulons,
Tesmoins nos seaux & escrits.

Idem hoc anno, secundùm Hermanum contractum in Chronico (Sigeberto an. 1004.) Babenbergensem Ecclesiam Episcopalis Sedis honore sublimat.

Idem Valencenas Balduino Comiti liberas dedit; & VValachras posteà addidit.

Et quia prole carebat, varias Ecclesias omnium facultatum suarum hæredes instituit. Vndè *Deodericus* (scribit Sigebertus) *Metensium Episcopus, dolens dotem & patrimonium sororis suæ Cunigundis Imperatricis, delegari ab Imperatore Ecclesiæ Babenbergensi, rebellat.*

CHRISTI AN. 1008. ANNO 1008. Burchardus VVormacensium Episcopus, Oberti Gemblacensis Abbatis operâ adiutus, magnum illud volumen Canonum edit, scripturarum sententijs vndique compilatis floridum. IOAN. 19. PAPÆ AN. 6. *Canonum Ecclesiasticorum compilatio.*

CHRISTI AN. 1009. ANNO 1009. Moritur Macthildis, Balduini tertij Flandriæ Comitis Coniux, atque Arnulphi Iunioris mater, iacetque in Blandinensi Monasterio, iuxta Beatæ Virginis altare, cum eiusmodi Epitaphio. SERGII QVARTI PAPÆ AN. I. *Macthildis Princeps moritur.*

Si quis scire cupit, hoc cuius membra sepulcro,
Claudantur; claro colligat hoc titulo.
Mathildis quarta Flandrina est hæc Comitissa,
Hermanique Ducis filia Saxoniæ.
Coniunx Balduini Iuuenis, sed post Godofredi,
Ardennæ Comitis, atque Denhain Domini.
Legitimo sociata thoro fuit, & generauit
Tres illi natos pernitidos Iuuenes.
Goffridum & Gotelonem, Eteloneque iuncto,
Fortes, magnifici quique fuere viri.

Vide ad annum 961.

Richardus, primùm Virdunensis Archimandrita; indè Herluini Episcopi rogatu, assensu verò Pulchro-barbi Comitis, Vedastinorum Abbas renuntiatur. *Is piorum vota,* (ait Chronographus) *cumulatè impleuit, reuocatis ad seueriorem disciplinam Monachis; & rebus restitutis & auctis. Perlustrauit*

cum

cum Herluino cuncta penè circumiacentia Monasteria, reformauitque; factus ideò Gerardo Herluini successori charissimus, à quo, ob irreligiosum Abbatem, diffluenti Monasterio Laubiensi est præfectus. Qui ne scandalo, ob tot curas esset paruulis, se Vedastinâ Prouinciâ abdicauit; reiecitque (vt quidam annotant) in humeros Leduini; in vnis deinde rebus Laubiensibus sanctissimè occupatus, quùm illos nouennio exercuisset. Sic illè. Richardi huius res gestas vide apud Richardum VVasseburgium libro 4. Antiquitatum Belgicæ, fusissimè narratas.

Pax inter Henricum Imp. & Deodericum Episcopum Metensem.

Eclipsis solis horâ diei secundâ.

CHRISTI AN. 1010. *Hungarorum ad Fidem cõuersio.* — SERGII 4 PAPÆ AN. 2.

ANNO 1010. Hungarorum ad Fidem Catholicam conuersio, procurante Gislâ Imperatoris sorore; atque eâdem Hungarorum Regis coniuge.

CHRISTI AN. 1011. *Fons Mõtiũ Hannoniæ prodigiosus.* — SERGII 4. PAPÆ AN. 3.

ANNO 1011. Iuxta montem Castrilocum (ea nunc est Hannoniæ primaria ciuitas) Fonticulus aquæ multis saluberrimus in sanguinem conuertitur. *Sigebertus, Diuæus. Vide suprà ad annum 944.*

CHRISTI AN. 1012. *Gerard⁹ Episcop⁹ Atrebat.* — BENEDICTI OCTAVI PAPÆ AN. 1.

ANNO 1012. Gerardus, patriâ Leodicensis, Arnulphi Florinensis V. N. Filius, atque Henrici Iunioris Imp. Sacellanus, spectabili vir pietate & eruditione, Cameracensis & Atrebatensis Ecclesiæ Pontifex acclamatur.

Ecclesia Sepulcri Domini nostri Iesu Christi ab Infidelibus desolatur.

CHRISTI AN. 1013. *Insigne Impp. nouum moli terrenæ adsimilatũ.* — BENED. 8. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1013. Benedictus Papa Imperatorum Insigne nouum præcipit fabricari, pomo aureo assimile; atque circundari per quadrum preciosissimis quibusque gemmis, ac desuper auream Crucem inseri. *Erat autem instar speciei huius mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumsistere perhibetur: vt dum siquidem illud circumspicerent Principes terreni Imperij, foret eis documentum non aliter debere imperare, vel militare in mundo, quàm vt digni haberentur Viuificæ Crucis vexillo. In ipso etiam diuersarum gemmarum decoramine, videlicet Imperij culmen plurimarum virtutum speciebus exornari oportere. Quumque postmodùm prædictus Papa, Imperatori, videlicet Henrico, huius rei gratiâ (nempè vt coronaretur Imperator) Romam venienti, obuiam cum maximâ virorum & sacrorum Ordinum multitudine, processisset ex more, eique huiusmodi Insigne, scilicet Imperij, in conspectu totius Romanæ plebis tradidisset,*

disset, suscipiens illud hilariter, circumspectoque eo, (vt erat vir sagacissimus) dixit: Optime Pater, (inquiens ad Papam) istud facere decreuisti, nostra portendendo (regimen) *iuuenis Monarchiæ, qualiter sese moderari debuerat, cautiùs perdocuisti. &c.* Rudolphus Glaber, & ex illo Baronius fusiùs in Annal.

Decimo quarto Cal. Decemb. maximus terræ motus circa meridiem.

Depositio Sancti Macarij Antiocheni Archiepiscopi, apud Gandauum.

CHRISTI AN. 1014. ANNO 1014. Quarto nonas Ianuarij, Inuentio Reliquiarum Ecclesiæ Atrebatensis; de qua Chronographus Cameracensis, atque Atrebatensis, qui hoc tempore Gerardi Episcopi rogatu scripsit: *Atrebati, iuxta Altare Dei Genitricis Mariæ, quod Sanctus Vedastus suis diebus consecrauerat, anno quidem * secundo Gerardi Episcopi, multæ & multùm preciosæ Sanctorum Reliquiæ inuentæ sunt: ad quarum illustrationem diuersa miracula per tres circiter annos diuina Clementia operata est. Leprosi enim mundati; contracti humanis vsibus solidati; multique aduersis languoribus curati, sospitate donantur.* Hæc ille. Addunt Ecclesiæ Atrebatensis monimenta MSS. *Inter cætera Brachium Sancti Vedasti cum Capite eius, & quibusdam membris ipsius.* &c. Vide Molani Natales, 6. Februarij, & hic suprà ad ann. 687. Iperius earumdem Reliquiarum meminit. BENED. 8. PAPÆ AN. 3. *Inuentio Reliquiarum Ecclesiæ Atrebat.*

* al. *tertio.*

Hemfridus defuncto Odberto, Bertinensis Asceterij tricesimus quintus Abbas efficitur.

Ogina Lucemburgica penè quinquagenaria, in matrimonio Balduini Pulchro-barbi, Flandriæ Comitis, fit grauida; & res ea suspecta multis, ne vanus aut fartus sit tumor, non à naturâ & puero. Igitur circa dies iam partioni solemnes, maritus in medio Atrebatium foro, tabernaculum tendi iubet, laxum & pretiosi operis; edicitque omnibus fœminis, famâ & loco honestis, fas esse adsistendi, & oculis arbitrandi, verus an suppositius ille sit partus. Fit ita, vident plures, obseruant, & omnes ita rumusculos dissipant, qui de sterilitate eius erant dispersi. Iustus Lipsius, iisdem verbis in monitis & exempl. polit. c. 4. Eiusdem meminit Marchantius in Pulchro-barbo. Simile referunt Historici in Constantiâ, Gulielmi Siciliæ Regis Sorore, & in solidum hærede: quæ quinquagenariâ maior, vterum gestare primùm cœpit, & septimo Calendas Ianuarias, anno 1193. Filium *Balduini Lilani Natalis.*

Henrico Coniugi, Friderici Imp. Filio genuit, ac Fridericum voluit appellari: idque factum etiam publicè, & in oculis omnium, ne quis suppositium fœtum suspicaretur.

Monasterium S. VVinoci per Pulchrobarbum construitur.

Pulchro-barbus Bergis Flandriæ opido, Monasterium Sancti VVinoci construit, illucque Sanctum ejus Corpus ab inferiori Ecclesia transfert, Monachis è Bertinico euocatis. *Molanus 6. Nouemb. Myraeus in Originibus Cœn. Belg. c. 21. & hîc ad ann. 665. 697. 717. & 902.*

Idem Episcopo Morinēsi iniurius.

Eâdem ferè tempestate, Dauid 23. Morinorum Episcopus, ab Pulchro-barbo Sede suâ exigitur. Quam iniuriam haud ferens Gerardus Episcopus, ad F. Ambianensium Episcopum subiectas litteras destinauit:

DOMINO AMBIANENSI EPISCOPO F. GERARDVS DEI GRATIA CAMERACENSIVM COEPISCOPVS, ET HVIVS VITÆ INNOCENTIAM, ET COELESTEM CVM ANGELIS GLORIAM.

Gerardi Episcopi querela.

Quod Confrater noster Teruannensium Episcopus D. à Comite B. tantis iniurijs impulsatur, plorandum est non solùm nobis Confratribus suis, verùm etiam cunctis fidelibus Christianis. Quod certè vt audiuimus, non aliter quàm ille qui patitur, fraternæ intuitu charitatis, ægrè portamus. Quis enim tam sauus aut duricors, qui Sedem Ecclesiasticam, viuo Pastore, non defleat viduatam? Ergo monemus vos, in Dei nomine, atque precamur, vt Fratri deiecto, quocunque modo potestis, succurrere satagatis. Nullus enim, Deo gratias, meliùs potest, & certè debetis, quia olim vester fuit Clericus, ac vestro suffragio ad tantæ dignitatis gratiam sublimatus. Decet enim vos meminisse quàm obnoxius sit & Canonicis & Apostolicis Sanctionibus quicunque Episcopum quemlibet naufragantem, distulerit adiuuare, si poßit. Vestram itaque charitatem imploramus humiliter, vt Domno Archiepiscopo, vnà cum Fratribus cæteris Coëpiscopis, conuocatis ad suffragium Fratris, Regem fortiter excitetis: quippè hoc ei intimantes, quia si Sanctam Ecclesiam mutilari permittat, cœlestis ira Regnum suum scindet. Chronic. Camerac. MSS.

CHRISTI AN. 1018. BENED. 7. PAPÆ AN. 7.

ANNO 1018. Matholdus, quem quidam prætereunt, Vedastinus Antistes initiatur: nec integro anno ea dignitate fruitur. Itaque Leduinus ei sufficitur, *vir locuples* (ait loci Chronicon) *& bellicâ virtute illustris; veteranus in sæculari, eius pertæsus, nouus in arenam descendit Monasticam: non*

tamen

tamen rudis in eâ palestrâ miles, sed is, vt veteranos omnes breui euicerit; quem proindè elegere in Ducem, anno Virginei partus 1018. & post pauca:

Bercloënsem Præposituram in proprio, sub D. Vedasti auspicijs, excitauit allodio; Templum hoc (Vedastinum) *temerariâ, ab vltimo incendio, refectum operâ, ex integro restituit.*

Hasprensem Præposituram permutatione accepit à Gemeticensibus; atque posteà permutatum ideò Anglicurium, precio recepit.&c. Vide infrà ad an. 1024.

Præpositura Bercloënsis & Hasprensis.

CHRISTI AN. 1020. ANNO 1020. Monasterium Sancti Bertini, Ascetarum moribus parum sanis obnubilatum, splendori suo redditur, per Balduinum Morinorum Episcopum, & Rodericum integræ Religionis Ascetam, ex Beati Vedasti Cœnobio, ab Pulchro-barbo accitum. *Meyerus.* Et Iperius hoc stylo: *Quoniam à tempore Hildebrandi, Religionis hic ordo tepuerat, est à Balduino Flandriæ Comite huc adductus ordinem reformare; & à Balduino Morinorum Episcopo, hic Abbas est consecratus anno Domini 1021. licet Fratribus contradicentibus, quibusdam etiam de Monasterio recedentibus. Susceptâ curâ, id pro quo venerat, exsequi parat. &c.*

BENED. 8. PAPÆ AN. 9. *Bertinēses Asceta reformantur.*

CHRISTI AN. 1021. ANNO 1021. Aprilis 21. Beatus VVolbodo, Balduini Iunioris, quarti Flandriæ Comitis, ex Ioannâ Filiâ, Godefridi Montani Coniuge, Nepos, atque Leodicensis Episcopus, mortalem hanc vitam cum immortali commutat. *Vide Molanum in Natt. 21. April.*

BENED. 8. PAPÆ AN. 10. *B. VVolbodo Balduini Iunioris Nepos, moritur.*

Addit porrò Ludouicus Bresinius in Chron. suo MSS. illum primò Stabulensem fuisse Monachum; indè Traiectensis Ecclesiæ ad Mosam fl. Decanum; posteà Henrici Imp. Eleemosynarium & Cancellarium, ac demùm Episcopum Leodicensium. Eius hic legitur Epitaphium, versibus, vt tempora ferebant, Leoninis.

Stirpe decens, virtute nitens, VValbodo notatur,
Præpositus pridem Traiecti Rector, & idem
Ob cælibem statum, post hæc recipit Monachatum,
Hoc Duce prostrauit Turcos, Cæsarque fugauit.
Leodij Præsul Domini pietate sacratur,
Pauperum ipse Pater, velut Laurentius alter:
In precibus totus, nec ab eis cessit ægrotus.
Pacis & ipse dator, sed & amissæ reparator.
Hâc in Vrbe pias primus statuit Litanias.

Ad Sanctum Iacobum Monachos coëgit in vnum.
Liquit in expensas nobis marchasque trecentas.
Sedit Episcopio ter denis mensibus, in quo
Febre lacessitus moritur, mirè redimitus:
Ac moriens ferri se iussit & hîc tumulari.
Post obitum varijs micuit virtutibus almis.
Quartanos, rabidos, claudos reparauit, & ægros;
Vnus in his tardus Abbas Trudonis Alardus,
A phrenesi tactus rediuiuos suscipit artus:
Durandum fregit, quem reddere rapta coëgit.

Vide etiam post Molanum, Democharem tom.2. de Missæ Sacrificio, cap. 36. & Sigebertum in Chronico, ad an. 1017. vbi eùm *Golbedim* vocat.

CHRISTI AN. 1023. *Sacellum DE FORLY, iuxta Arian instauratum.*

TENED. 8. PAPÆ AN. II.

ANNO 1023. Quarto Cal. Sept. Balduinus Morinorum Episcopus Sacellum Sancti Quintini in FORLY, suburbio Castri Ariensis, fortè exustum reparatumque dedicat. Vndè distichon olìm parieti appictum:

Milleno terno & viceno consecror anno:
Indè Quintini dicor honore teri.

CHRISTI AN 1024. *Hasprensis Præpositura Vedastinis attribuitur.*

IOANNIS VIGESIMI PAPÆ AN. I.

ANNO 1024. Hasprensis Præpositura, medio itinere inter Cameracum & Valencenas ad Scaldim fl. sita, Vedastino Cœnobio, permutationis viâ, attribuitur. Id quî factum Iacobus Guisius in MSS. Hannoniæ Chronicis, sic enarrat: *Pipinus Maior Domus Austrasiorum, victo Theoderico Galliæ Rege, Hasprensem Cellam fundauit, Cœnobitis Benedictinis Gemetico celebri Diœcesis Rotomagẽsis Monasterio euocatis. Porrò anno 1024. Gerardo, eo nomine primo Cameracensi Episcopo procurante, facta est permutatio inter Vedastinum & Gemeticense Cœnobium, Vedastinis Anglicuriam in Diœcesi Bellouacensi sitam, in vsum Gemeticensium, Gemeticensibus verò Haspram in vsum Vedastinorum cedentibus.* Sic ille. Vide infrà ad annum 1339. & 1392. & suprà ad annum 766.

Permutationis porrò hæc fuit caussa; *Quia* (scribit Chronographus Cameracensis) *Monachorum* (Hasprensium) *Abbas* (Gemeticensis) *longè aberat, eosque rarissimè pro difficultate longinquitatis visitare solebat; in libertate soluti sæculum sectabantur, irregulariterque viuentes, vsque ad tempus Gerardi Episcopi, vtpote absque Rectore periclitabantur. Quod videns Episcopus, Abbatem, vt hoc corrigeret, sæpè commonuit: sed quia, vt diximus, longè aberat, correctionem morabatur. Contigit autem*

Episcopum

Episcopum, pro Ecclesiasticâ sollicitudine, forte per hanc villam transitum facere, & Abbati Leduino (Comes enim erat itineris) obscænam Monachorum conuersationem indicare: salubri etiam immò competenti consilio hortatus, vt si quas res Sancti Vedasti, in Viciniâ prælibati Monasterij haberet, eas siquidem pro hoc Monasterio, quod sibi esset contiguum, commutaret: Huncque locum pro compendio æternæ remunerationis meliorare satageret, &c. Hactenùs ille. Vide plura in Miræi Originibus, capitulo sexto. Eiusdem meninit Bresinius tom. 1. Chron. ad annum 1023. & 1024.

Quod ad Bercloënsem Præposituram hoc etiam loco commemorandam attinet; sic idem Chronographus: *Est vicus, ex rebus Sancti Vedasti, nomine* BERCLAVS, *in paludibus quidem situs, pascuis tamen aptus, omninoque etiam Monachorum vsui opportunus. Illic ergo Liduinus, Abbas Sancti Vedasti, consideratâ rei opportunitate, Monasterium fundare disposuit, si quidem ei Episcopalis auctoritas adspiraret, Quippè duplici vsu satis competenter prouiso, quòd inibi videlicet partem Monachorum qui ad Cœnobium Sancti Vedasti frequentiores confluxerant, delegaret; & loca Ecclesiæ circumiacentia tutiùs possiderentur. Itaque Dominum Gerardum primum Episcopum, in Conuentu Synodali conueniendum existimauit, suæque deliberationis effectum coram omni Synodo postulauit. Cuius auctoritate nec impetratu difficile fuit. Monasterium ergo ædificare festinat; consummatumque à Dicto Domino Episcopo consecrari obtinuit. Loci autem vocabulum Episcopus immutauit, & Cellam Sancti Saluatoris statuit nominari.* Sic ille. *Bercloënsis fundatur.*

CHRISTI AN. 1026. ANNO 1026. Moritur Sanctus Burchardus, VVormatiensis Episcopus. Is priùs ac viuis abscederet; in ipso mortis limine omnibus ex conclaui amotis arbitris, purissimâ aquâ corpus lauit; & ne post obitum eius nuditas pateret, candidâ veste illam contexit, manusque applicuit. Eius hîc memoria ex nomine duplici: Primùm, quia eiusmodi nuditatis tuendæ, par, immò illustrius exemplum in Beato Lietberto Episcopo Atrebatensi, etiam post fatum habemus, vtì lectori meo patebit ad annum 1077. Deindè, quia is Burchardus egregia suæ pietatis & studij monimenta reliquit: Nempè libros viginti Decretorum, ex sacris Concilijs, Summis Pontificibus, Sanctisque Patribus collectorum; quorum nouissimo libros pœnitentiales, IOAN. 20 PAPÆ AN. 3. *Castitatis exemplum.* *Viginti libri Decretorum à quo cõpilati.*

nempè Romanum, Bedæ & Theodori simul iungens, in viridem obseruantiam reuocauit pristinam Ecclesiæ disciplinam. *Consule Baronium.*

CHRISTI AN. 1027. *Balduini Lilani Nuptiæ.*

ANNO 1027. Balduinus Insulanus, Pulchro-barbi, Filius, atque (in Flandriæ Comitatum anno 1036.) successor, in manus venit cum Adelâ, siue Athelâ aut Adelide, Roberti Francorum Regis Filiâ; atque hinc cum noui stemmatis Regibus noua coiuit necessitudo, interque Reges & Comites societas, commixtioque sanguinis iterata coaluit. *Meyerus.* IOAN 20 PAPÆ AN. 4.

Galliæ Regu Tutor nominatus.

Eius porrò connubij caussâ, Insulanus, Henrici primùm, indè Philippi F. Galliarum Regum Tutor, seu Procurator est dictus. Vnde in eius titulis hæc Phrasis.

BALDVINVS COMES, FLANDRIÆ MARCHIO, ET PHILIPPI FRANCORVM REGIS, EIVSQVE REGNI PROCVRATOR ET BAIVLVS.

Oudegherstius, Vide infrà ad annum 1060.

Mos vetus Sanctos canonizandi.

Hâc etiam tempestate viget antiquus ille ritus, quo quis in Sanctorum Catalogum referebatur, si petentibus concederet Apostolica Sedes, vt super corpus eius Altare construeretur, vt patet in vitâ Sancti Romualdi, qui hoc anno 1027, ad superos euolauit. *Vide Surium Tomo tertio, Iunij decimo nono, & Baronij Annales, Tom. XI. & hîc ad annum 797.*

CHRISTI AN. 1028. *Marchianẽse Cœnobiũ reformatur viris Benedictini Ordinis in illud accitis dimisso sequiore sexu.*

ANNO 1028. Marchianense Cœnobium quod hactenùs virginum fuerat sedes (de quibus ad annum 630. diximus) diffluentibus earum in pessum moribus, ac Monasterij rebus miserè attritis; Pulchro-barbo faciente sequior sexus dimittitur, atque Monachorum fit domicilium; quibus Leduinus perinsignis Vedastinorum Antistes, morum ad Monasticen formandorum ergò, datus est Præfectus, donec rem Monasterij ex integro restituisset. De his sic Marchianensis Chronographus: IOAN. 20. PAPÆ AN. 5.

Quùm Marchianense Monasterium, & alia multa, Normannica rabies destruxisset: & sanctimoniales penè ad nihilum possessiones redegissent; Balduino Comiti Flandriarum, Auo Balduini, qui apud Hasnonium est sepultus, Deus bonum pro restaurandis Ecclesijs Spiritum est largitus. Acciuit igitur Comes Lietuinum (seu Leduinum) *Sancti Vedasti Abbatem, Virum verè Sanctum, & tunc temporis singularis sapientiæ & virtutis.*

Nec mora, præcepto Comitis Moniales abscedunt, & de suis aliquot boni testimonij Monachos eligens Lietuinus, Marchianas transmittit. Tunc ibi cænobialis disciplinæ rigor renouatur; & de nouo istius Monasterij fabrica instauratur. Denique intra nouem annos, quibus Marchianensi Cænobio Pater iste venerabilis præfuit, res Monasterij in bonum statum reuocatæ sunt. Decursis igitur nouem annis, Lietuinus dimißionem petijt, & vni de Monachis suis, Alberico f. Monacho Sancti Vedasti, hoc onus suscipere iniunxit: qui annos quindecim temporibus Henrici Regis præfuit, & obijt IV. nonas Ianuarij. Hactenùs ille, cui adstipulantur Iperius in Chronico. Meyerus in Annalibus. Molanus in Natalibus 12. Maij; & Miræus in Originibus, capite tertio.

Claruit hoc tempore in Italiâ Guido Aretinus, (Ordinis Sancti Benedicti Monachus) *multi inter Musicos nominis, in hoc etiam Philosophis præferendus, quòd ignotos cantus etiam pueri faciliùs discunt, per eius Regulam, quàm per vocem magistri, aut per vsum alicuius instrumenti: dum sex litteris vel syllabis* (sc. VT. RE. MI. FA. SOL. LA.) *modulatim appositis, ad sex voces, quas solas regulariter Musica recipit; Hisque vocibus per flexuras digitorum læuæ manus distinctis, per integrum diapason, se oculis & auribus ingerunt intentæ & remissæ eleuationes, vel depositiones earundem sex vocum.* Sigebertus ijsdem penè verbis. Quem verò edidit Guido de Musicâ librum titulo MICROLOGVM, illum ipsum dedicauit Theodaldo Episcopo Aretino, præfixâ Epistolâ dedicatoriâ, cuius initium est. *Musica edisc. en da facilitatio.*

DIVTVRNITATE MORIS, TOTIVSQVE PRVDENTIÆ FVLGORE CLARISSIMO, DVLCISSIMO PATRI, ET REVERENDISSIMO DOMINO THEODALDO EPISCOPO ARETINO &c.

Et in fine Micrologi, sic perorat idem Auctor.

Explicit Micrologus Guidonis, suæ ætatis anno trigesimo quarto, Ioanne vigesimo Romanam gubernante Ecclesiam.

Vide Baronij Annal. ad annum 1022.

Cæterùm post Guidonem, Ioannes à Muris, in cæteris à se præclarè adinuentis, tonos octo ab inuicem distinctos, cantus alternandi gratiâ, ne semper auribus par sonus instreperet, primus excogitauit, vulgauitque; Thomâ Bozio assertore in Ecclesiæ signis, lib. 6 c. 7. *Octo eius Tonorũ inuentio.*

Beata

Collegiale apud Lensienses Templum funda-tur.

Beata Ida, Eustathij, Bononiensis Comitis Coniunx, & Godefridi Bullonij, Artesiensis, Hierosolymorum Regis mat[er], (cui superiorem locum dare debueram) Lensiense opidum magnifico Templo ad Deiparæ honorem exædificato, atque introducto Canonicorum Collegio condecorat. Illam Idæ, aliorúmque in Lensiensem Ecclesiam liberalitatem Lambertus Atrebatensis Episcopus anno 1106. confirmauit missis ad Eustathium Idæ Filium litteris, quarum exemplar hîc subijcio:

IN NOMINE PATRIS, ET FILII ET SPIRITVS SANCTI, VNIVS, VERI, ET SVMMI DEI. AMEN.

Ego Lambertus, Dei miseratione Episcopus Atrebatensis, iustis & honestis petitionibus honorabilis Comitis Eustathij, & nobilis eius uxoris Mariæ Comitissæ, nec non & matris prædicti Comitis, Idæ Religiosæ Comitissæ acquiescens, quod à ministerio nostro exigunt, scire volumus tam præsentibus quàm futuris filijs nostris, quod in libertate Spiritus, LENSIENSI ECCLESIÆ, *& Canonicis eiusdem Ecclesiæ, ex petitione prædictarum personarum, ratum & stabile perenni tempore, per nostræ auctoritatis priuilegium confirmasse. Vnde omnia illa, quæ in possessionem prædictæ Ecclesiæ, siue à Principibus, vt in eorum præceptis & scriptis continentur, siue à cæteris Dei Fidelibus, iam prædictæ Ecclesiæ, quæ cognoscitur ad titulum B. Mariæ semper Virginis Dominæ nostræ, & B. Vulganij Confessoris à principio fundata, iustè donata & Canonicè sunt possessa, siuè in posterum concedenda, pondere nostræ auctoritatis, à Canonicis & eorum Prælatis disponenda auctorisamus. Præterea* ECCLESIAS SANCTORVM LEODEGARII ATQVE LAVRENTII MARTYRVM, *& eorum Episcopales reditus sicut Prædecessor noster Venerabilis & Religiosus Episcopus Lietbertus* (obijt an. 1077.) *ad vsus Canonicorum donauit & concessit, nos quoque consequenter annuimus & concedimus, ita tamen vt Presbyteri qui in eis Ecclesijs in populo præficiendi sunt, per manum Canonicorum siue eorum Prælatorum, Atrebatensi Episcopo semper offerantur; & sicut Canonicum est, de honestate vitæ suæ Episcopo professionem faciant, & obedientiam promittant, & sic curam populi suscipiant & gerant.* DE DECANO *autem iuxta timorem Dei, & auctoritatem Sanctorum Canonum eligendo, liberam Canonicis concedimus facultatem.* DE ADVOCATO *autem in suis caussis, sicut ex rogatu & per-*

Ibidem Ecclesiæ SS. Leodegarij & Laurentij.

Collegialis Ecclesiæ Decanus.

Aduocatus.

missu Comitis cognouimus, quem voluerint, & quamdiù voluerint, & non vlteriùs Canonici hunc talem habeant Aduocatum. &c. Datum Atreb. An. Dei Christi 1106. Indictione 14. Septimo Id. Iunij; Anno autem Pontificatus Domini Lamberti Episcopi Atreb. 12. Regnante Philippo Rege in Franciâ, Roberto Iuniore Comite in Flandriâ, Eustachio Comite Bononiensium & Lensensium. Sic ibì.

Cæterùm in eâ Lensiensi Ecclesiâ leguntur hi versus:

Anno milleno, ter deno, bis minùs vno,
Hunc intrare Chorum cœpit Grex Canonicorum.

Et alibì isti de Templi Reliquijs sacris: Reliquiæ.

Continet Ecclesiæ Lensensis Cella Mariæ
Corpora sub feretris Sanctorum condita claris.
Vulganij, Celsi, qui quondam natus ab Anglis;
Ac VVillibrordi Traiecti Præsulis almi.
Corpus Chrysolij Martyris eximij;
Atque Caput proprium Lamberti lumine dignum,
Martyris insignis, quod lustrant Cælica signis.
Hi faciunt Clerum lumen comprêndere verum;
Atque suos famulos post mortem scandere cælos.

Ex eiusdem Ecclesiæ atque Opidi Archiuis.

Singulorum meminit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij: & quidem
Sancti Vulganij, *2. Nouemb.*
Sancti Celsi, *26. Iulij.*
Sancti VVillibrordi, *7. Nouemb.*
Sancti Chrysolij, *6. Febr.* &
Sancti Lamberti, *7. Septemb.*

Ex quibus locis facile cognitu est de Versuum istorum veritate; maximè an ita sit vt sonant de Sanctorum VVillibrordi & Chrysolij Corporibus, atque Sancti Lamberti Capite.

Lensiensis opidi Laconica descriptio.

Lensiense porrò opidum, in veterrimis Artesiæ numeratur, varijs Principum priuilegijs exornatum, sed afflictum sæpè & valdè bellorum cladibus. Alluitur Lauiettâ fl. Insulanis etiam vtili. Atrebatum ad Austrum habet, tertio lapide abiunctum; eiusque territorium turritis circiter centum pagis insidetur. *Vide infrà ad an. 1250.*

CHRISTI AN. 1029. IOAN. 20. PAPA AN. 6.

Dononiense Cœnobium reformatur.

ANNO circiter 1029. Dononiense* Gynæcæum Sancti Benedicti Regulâ per Gerardum Pontificem, & Leduinum Abbatem propositâ, strictiori vitæ genere imperato,

* Gal. *Denain.*

ad antiquum splendorem reuocatur. Eius sic meminit Chronographus Cameracensis: *In vico* DONENG; *Beata Ragefrendis, ex sui iuris rebus, Cellam fundauit, & Sanctimonialibus constitutis, ipsa etiam Abbatissa regimonium duxit. Hanc autem posteà, incumbente inopiâ, inclinantem, pauci Canonici incolebant. Sed postmodùm consilio Domini Gerardi Episcopi, & Leduini Abbatis, Balduinus Comes ad pristinum statum Monialium reduxit, ibique Moniales Sancti Benedicti quùm anteà fuissent Regulares, introduxit; quibus Abbatissam Ermentrudem præfecit.* Hæc ille. Vide suprà ad ann. 764. & 805.

CHRISTI AN. 1030. *Ogina Princeps moritur.*

IOAN 20. PAPÆ AN. 7.

ANNO 1030. Ogina, Pulchro-barbi Coniunx, migrat è viuis, atque Gandaui ad Sancti Petri sepelitur. Epitaphium eius est hoc:

Præteriens miserere mei, qui vis misereri,
Atque mihi requiem tuque deposce piam.*
Nona dies Martis me transtulit ante Kalendas,
Ogdona iuncta fui Balduino Domino.

* melius *reposce.*

Ecclesia Atreb. fulmine icitur.

Tonitruum deorsùm detonans, Basilicam N. D. Atrebatensis fulgure percellit, vastoque reddit horrentem incendio. *Lud. Bresinius Tom. 1. Chron.*

CHRISTI AN. 1031. *Vastum etiam Audomaropoli incendium.*

IOAN. 20. PAPÆ AN. 8.

ANNO 1031. Alterum sed longè vastius, apud Audomaropolitas incendium. *Ignis namque* (scribit Iperius) *de quadam* villâ, domunculâ surgens, & plusquam duo millia domatum transgressus, ventorum & peccatorum flabro in hoc Monasterium impulsus, primò ad Claustrum, indè ad Dormitorium, totum denique Monasterium, vnicâ die, vorax flamma consumpsit, nihil omninò relinquens inustum. Et hæc est quarta huius loci destructio, quæ accidit in anno decimo Domini Roderici Abbatis.* Hactenùs ille.

* al. *vili.*

Blangiacēse Monasteriū restituitur.

Per hæc tempora, nempè Henrico primo Gallis, & Pulchro-barbo Flandris imperantibus, Monasterio Blangiacensi, sumptibus Hersendis Nobilis Heroihæ, instaurato, adeóque à ruinâ, quam Normanni intulerant, vendicato; Corpus Beatæ Berthæ, vnà cum Gesæ & Gestæ Filiarum eius Corporibus, ex loco qui Alsicacus dicebatur, quo Normannorum metu, pridem translata fuerant, per Albinum & Ebroinum, Blangiacenses Clericos ad pristinas ædes referuntur: Simulque Monialibus quæ inibi ab ipsâ Berthâ an. sc. 682. ad hanc vsque ætatem perennarant, indè dimissis, Asceterium factum est iuris Benedictinorum

Monacho-

Monachorum, qui hactenùs sub Abbate (cui & Blangiacensis Comitis dignitas atque nomen cohærent; non obscurâ famâ perseuerant. *Ex vitâ MS. Sanctæ Berthæ. Vide ad ann. 682. 721. 1139. 1591. &c.*

CHRISTI AN. 1033

BENEDICTI OCTAVI PAPÆ AN. 2.

ANNO 1033. Beatus Iorius, Montis Sinaj Episcopus, quùm Religionis & voti gemino flabro impulsus, Bononiensis in Picardis Virginis Icunculam atque Aram præsens honorasset, Bethuniam diuertens ad quendam, cuius ministerio quondam fuerat vsus, nemine conscio nocteque intempestâ, Sept. Cal. Aug. subitaneâ morte corripitur. *Famulus* (scribit Molanus) *morte deprehēsâ, & sibi ex eâ metuens à Iudice molestiam; Corpus Sanctum intra domesticos parietes sepeliuit: sed res per crebras apparitiones detecta fuit. Vndè viro Sancto dignior data est sepultura, quæ adhuc cernitur intra Ecclesiam Sancti Bar-ptolomæi, in Sacello, quod posteà in honorem ipsius Iorij Deo dicatum est. Cum autem eo etiam in loco memoria eius miraculis crebesceret, Caput decenter exornatum repositum est in Sacrario; Reliqua sacra pignora in summum Altare. In huius autem rei memoriam vtriusque sepulturæ locus religiosè colitur. Nam & priuatæ illæ ædes annuè exornantur in die Natali; Caput sacrum eo defertur, & ad sepulchrum piè concurritur: circa quod multam lucem diuinitùs apparentem sese conspexisse testantur multi superstites. Conseruantur ibidem, inter Ecclesiæ sacra vasa, duæ eius cistulæ & duo fulcra pedum equestria.* Sic Molanus 26. Iulij, quo die, eodem in Templo, B. Iorij Festum, sub magno duplici celebratur & quanquam in Lectionibus nihil eius propriū canatur, sunt tamen Hymnus & Rithmus proprij; hi nempè:

B. Iorius Episcopus longum ex oriente ad nos institutū iter, Bethuniam diuertit ibique moritur. Corporis eius eleuatio.

Dignum est vt collaudetur
Dominus & honoretur
In suo Sancto Iorio
Quem decorauit gaudio.

Iorius hic Episcopus
De monte Sinai, opus
Dei lætus exercuit,
Fideliter & docuit.

Gaude Castrum Bethunia,
Quòd tu per Regem gloriæ,
Thesauros habes gratiæ,
Quibus resplendes hodie.

In eius Laudes Hymnus & Rithmus.

Hic Germanus fuit Macarij,
Viri Sancti coronæ conscij,
Qui sic certarunt contra vitia,
Quòd ambo sint in cæli gloriâ.

Prece reddit claudis gressum,
Sanans omni clade pressum,
Cuius prece nobis detur vita,
Per sæcla sæculorum infinita.

Eiusdem Patria & Parentes. Addit Molanus in exiguo lapide candido, qui cum sacris ossibus reconditus fuit, insculptum esse Beatum Episcopum venisse ex Armeniâ maiore; parentes habuisse Stephanum & Helenam; Fratres septem, inter quos dictum Macarium, atque isto, quem dixi, anno obijsse.

Floret Chronographus Cameracensis. Per hæc tempora floret Chronographus Cameracensis atque Atrebatensis, Auctor anonymus, & Gerardi Episcopi Sacellanus. Is in cæteris, quæ sæpè ab ipso hactenùs mutuati sumus, quorumdam Artesiæ locorum, initia quorum ignoramus, meminit; quæ hîc apposuisse, non frustratæ erit operæ, vel hoc solo nomine, vt eorum saltem intelligatur antiquitas. Sic itaque scribit: *Prætereà in viculis* *Prioratus de Luceu & de Pas in Artesijs.* LVCEV & * PAS, *duæ Basilicæ sunt Canonicorum, quæ postquàm militaribus viris in beneficijs traduntur, ad inopiam lapsæ sunt.* Et paucis interiectis: *Item verò in territorio Atrebatensi, in vico videlicet, qui Belgicus ab incolis nuncupatur, exstat Basilica Canonicorum Sancti Remigij, vbi diuina sæpius miracula cælitùs fieri dicunt.* *Belgium pagus. Vndè Belgicæ nomen.* *Notandum verò quod locus iste antiquitùs adeò præeminebat, vt ab eo omnis nostra Regio etiam vsque in præsens* BELGICA *nominetur.* Hæc ille, qui ingenti merito vel hinc honorandus, quòd Artesiæ nostræ eum gloriæ titulum, si modò verum, tribuat, scilicet toti inferiori Germaniæ BELGICÆ titulum generasse. Verùm Demochares post Berosum scribit, Belgium Lugdi, à quo Lugdunensis prouincia, Filium id nominis Belgicæ tribuisse. *Democh. Tom. 1. de Missæ Sacrific. c. 25.* Nec recedit Carolus Bouillus lib. de Hallucinatione Gall. nominum cap. XI. aitque dictum Belgium fuisse Brenni Capitolini Fratrum. Alij alias trahunt coniectationes, neque negligunt producere * Bellouacum opidum Aduaticorum. Abundet hic quisque in suo sensu, videatur etiam Ioan. Bussemecherij Europa, &

* Est Prioratus dependens que ab S. Martini le Campis in Franciâ.

* Gal. Banays.

Bartho-

Bartholomæi Anglici liber 15. de Rerum proprietatibus cap. 123.

Balduinus Morinorum Episcopus Terüannensis opidi mœnia reparat. *Belforestus in suâ Cosmographiâ.*

CHRISTI AN. 1034. ANNO 1034. Pax Ecclesijs Gallicanis redditur; eaque ex Concilijs per totam Galliam variè habitis: in quibus & sancitum illud, *quod omnibus in commune placuit* (verba sunt Glabri libro quarto capite quinto) *qualiter omnibus Hebdomadibus sanctione perpetuâ, sextâ die abstineretur à vino & carnibus, & septimâ, nisi fortè grauis infirmitas compelleret, aut celeberrima solemnitas interueniret.* Hæc ille. Vide Baronij Annales ad hunc annum. BENED. 8 PAPÆ AN. 4. *Abstinẽ feriæ sextæ & Sabbathi in Gallijs.*

CHRISTI AN. 1036. ANNO 1036. Balduinus Pulchro-barbus Comes, quùm annos 48. imperasset, supremum vitæ diem claudit, relicto hærede Balduino Lilano, (de cuius memorando Natali ad annum 1014. & nuptijs ad ann. 1027. anteà meminimus) atque Blandinij in Laurentiano Sacello iuxta Patrem sub humili lapide sepelitur. BENED. 8 PAPÆ AN. 6. *Obitus Balduini Barbati.*

Eius sepulcro Epitaphia accesserunt.

I.

Hoc tumulo tegitur Balduinus, maxima Regis
Arnulphi Proles hoc tumulo tegitur.
Quem Susanna sibi genuit Regina superbum;
Edidit & puberem quem Susanna sibi.
Maximus heroüm Regali schemate prodit,
Vir virtute potens, Maximus heroüm.
Defensor fuerat, vel amator hic Monachorum.
Ecclesiæque Dei defensor fuerat.
Decessit medius trinas Iunij ante Kalendas:
He! he! citò nimiùm decessit medius.
Dicito præteriens; Iesu miserere miselli;
Daque pius veniam dicito præteriens.

II.

Iunius ante suas triduo cecidisse Kalendas
Balduinum deflet, quo Patre Mundus eget.
Ipse fuit Princeps Flandrorum, siue Monarcha,
Inclytus & fortis Regibus ortus Auis.
Famâ præclarus, nulli pietate secundus;
Cuius opum nullus aut modus, aut numerus.
Nutriuit acies, inimicos terruit Orbis,

Præualuit gladio, nec minùs ingenio.
Cultor Iustitiæ, corrector legis iniquæ,
Defensor Patriæ, filius Ecclesiæ.
Sæuus & immanis raptoribus atque superbis,
Sed pius ac mitis mitibus atque pijs.
Pulchrè barbatus, oculis vagus, ore venustus,
Pollens ingenio, blandus & eloquio.
Plorantes igitur nos te bone Christe precamur
Defuncto famulo propitiare tuo.

BALDVINVS LILANVS SEPTIMVS FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1036. — BENED. 8. PAPÆ AN. 6.

ANNO 1036. BALDVINO LILANO Rerum Flandricarum potiente, Balduinus 25. Morinorum Episcopus, qui eodem anno Ecclesiasticam, quo Pulchro-barbus temporalem, ingressus erat dignitatem; eodem quoque anno, eandem mortis sortem experitur. Inde ad Pastorale hoc munus Drogo promouetur. *Demochares tom. 2.*

CHRISTI AN. 1039. — BENED. 8. PAPÆ AN. 9.

ANNO 1039. Conradus secundus anno Imperij sui 15. moritur Spiræ, atque ibidem in templo quod instaurare cœperat, traditur communi maiorum atque gnatorum & nepotum suorum sepulcro: vnde additum eiusmodi Epitaphium:

Filius hìc, Pater hìc, Auus hìc, proauus iacet istic:
Hic proaui coniunx; hìc Henrici senioris.

CHRISTI AN. 1040. *Ioannes Abbas Vedastinus.* — BENED. 8. PAPÆ AN. 10.

ANNO 1040. Leduino peroptimo Abbate è viuis erepto, Ioannes eius nominis primus Vedastinis præficitur, vir singularis prudentiæ & probitatis, duratque in annum 1049. *Chron. Vedast.*

Henniacēse Monasteriū fūdatur.

Henniacense Monasterium altero lapide à Lensiensi oppido ad orientem distinctum per venerabilem virum Robertum Atrebatium aduocatum à fundamentis excitatur, inque illud duodecim Canonici Sæculares inducuntur. Eius loci monumenta MSS. topographicam hanc descriptionem exhibent: *Henniacum Letardi vicum in finibus Artesiæ, ad Orientalem plagam situm, inter Duacum & Lendium, Diui Auberti Confessoris Episcopi Cameracensis atque Atrebatensis prædicationibus & sanctis exhortationibus ad fidem Christi con-*

Quando Henniacenses ad Fidem conuersi.

sti conuersum, ex antiquâ veterum traditione constat: cuius venerandis Reliquijs nempè osse inferioris mandibulæ Ecclesia illic in honore sancti Martini Episcopi Turonensis ab ipso Diuo Auberto primitùs consecrata; postmodùm à Nortmannis incensa, vnâque cum vico restaurata denuò à Gerardo primo, Episcopo Cameracensi & Atrebatensi sacrata, & dictis Reliquijs, alijsque pluribus donata decoratur. Hunc fluuiolus Eurinus alluit, qui per pontem à Salice & riuum iugiter bullientem in Scarpam fl. se immergit. Territorium habet satis pingue, frumentis & leguminibus ferax, & alendis pascualibus pecoribus, paludibus amplum & late patens. Anno Domini 1040. quidam Robertus Atrebatensis Aduocatus, consilio Gerardi 1. dicti Episcopi, proprijs impensis, de remedio animæ tractans, in eadem Sancti Martini Ecclesiâ, tunc temporis vnius presbyteri regimine acta, duodecim Canonicos deputauit. Qui posteà Canonicam vitam seu regularem (nam anteà sæculares, vt vocant, erant) iuxta Diui Augustini Episcopi Hipponensis, regulam amplexati, quam suis Clericis tradidit seruandam, ex vrbe Henniacenâ de vico factâ, anno 1074. aut circiter auctoritate Roberti Frisij Flandriæ Comitis, quietioris vitæ amore migrantes anno 1169. eum in locum, vbi nunc visitur Monasterium, in honore Sanctæ Mariæ Virginis consecratum & constructum ijs, liberalitate Balduini Brochet Domini Henninij ex part e Haimaidæ, filij Balduini Dapiferi Caroli Pij Flandriæ Comitis concessum habitauere. Hactenùs ibì, scriptore seu Auctore F. Ioanne Telodiensi eius loci Canonico Regulari; Qui plura volet de Henniaco, veterisque eius Reipublicæ statu, adeat Balduini de Glen Abbatis Historiam de Præsulibus eius Monasterij cap. 15. & hic infrà suis locis.

Eius loci Ecclesia Paræcialis construitur. Patron⁹. Ecclesia instauratur. Loci eiusdem descriptio. Initia Canonicorū Henniacensium. Henniacum in opidum erectum. Migratio Canonicorum in hodiernū Monasterium.

Eius Cœnobij Abbatem primus gessit Stephanus, ad quem Carolus Pius Comes anno 1123. litteras destinauit. *Idem Telodiensis, in serie Abbatum Henniacensium.*

Primus Abbas.

ORDO ET SERIES ABBATVM MONASTERII HENNIACENSIS.

1. Stephanus; an. 104.
2. Hugo; an. 1129.
3. Ioannes; ann. 1160. decessit.
4. Ingebrandus; ann. 1180. decessit.
5. Lanuinus; eod. an. 1180. factus est Abbas.
6. Simon; an. 1192. postea factus Abbas Araosiensis an. 1194.
7. Balduinus; an. 1194.

8. Ioan-

8. Ioannes 2. an. 1215.
9. VVicardus; an 1219.
10. Vulricus; an. 1228.
11. Ioannes 3. an. 1230.
12. Iacobus; an. 1262.
13. Gulielmus *de Dechy*; anno 1281.
14. Petrus; an. 1284.
15. Lambertus; an. 1302.
16. Richardus *des VVez*; an. 1326. dignitatem abdicauit.
17. Ioannes *de Fampoux*; rexit tribus circiter annis.
18. Bernardus *de Croisilles*; an. 1329.
19. Galterus *de Bouchain*; anno 1351.
20. Petrus de Marka; anno 1369.
21. Engelrānus *de Mastaing*; an. 1379.
22. Ioānes *Poulain*; an. 1389.
23. Ioānes *de Paris*; an. 1397.
24. Iacobus *Cheualier*; anno 1407.
25. Ioannes *Billet* an. 1419.
26. Ioannes *de la Tramerie*; an. 1434.
27. Melchior *Loucepois*; anno 1445.
28. Carolus *Voiturier*, anno 1453.
29. Abel *Canet*; an. 1455.
30. Ioannes *Breton*; an. 1456.
31. Iacobus *le Vasseur* anno 1474.
32. Ioannes *de Feucy*, an. 1515.
33. Petrus *Bouchier*, an. 1542.
34. Franciscus *de Glen*; anno 1546.
35. Balduinus *de Glen*; anno 1563. obijt anno 1594. mense Decembri.
36. Petrus *du Boisrond*; obijt anno 1610.
37. R. D. Simon *de Gouy*, hodie superstes.

De singulis suo tempore & loco dicemus.

CHRISTI AN. 1043. — BENED. 8. PAPÆ AN. 13.

ANNO 1043. Rodericus insignis Beati Bertini Antistes, vita defungitur, postquàm annis viginti sex excellenter Spartam sibi creditam adornasset. Quiescit in Claustro, & tale habet Epitaphium.

Vt Virgo plange Sithiensis grex miserande;
Plangens dic heu mei, heu Pater & Domine!
Heu Pastor celebris! heu consilium probitatis!
Vt Pater alte iaces, summa sophia lates.
Currus & auriga gregis huius, & Israëlita
Verus & absque dolo; heu Roderice Pater.
Qui modicus mundi modicos nos nobiliasti,
Ecce redimus ad id, te quia terra tegit.
O te plorandum magis ac nos funera tantum;
His te ploremus; det tibi læta Deus.

Bouo in Roderici locum succedit, vir litterarum peritiâ & pietate commendabilis: *Qui* (scribit Iperius) *sicut loco Prælaturæ, sic actibus almis Roderici successor & imitator exstitit. Basilicam tempore Roderici combustam à fundamentis reædificauit: sed morte præuentus non totam compleuit.* Hactenùs ex Iperio. Vide infrà an. 1052. & 1081. *Bouo Abbas S. Bertini.* *Ecclesiã suam instaurare cœpit.*

CHRISTI AN. 1047. ANNO 1047. Lambertus, cognomento Baldericus, Comes Bruxellensis, Augustissimam D. Gudulæ Basilicam, in ipsâ Bruxellensi vrbe condit, eóque Corpus D. Gudulæ, è Diui Gaugerici Æde trãsferri iubet, vbi & duodecim Canonicorum Collegium ab eodem institutum. *Diuæus.* BENED. 8. PAPÆ AN. 17.

CHRISTI AN. 1048. ANNO 1048. Quùm Ecclesia ab hæreticis infestationibus per annos ducentos & ampliùs, nempè ab Caroli verè Magni Imperio, hæc advsque tempora quieuisset; rursùs hæresis velut ab inferis excita caput attollere & virus suum in Christi Ecclesiam effundere, per Berengarium Andegauensem Diaconum occipit. *Prateolus.* DAMASI SECVNDI PAPÆ AN. I.

Lileriense Canonicorum Collegium initiatur, Templo per VVenemarum, eius loci Regulum, Ransuide Matre, & Ingelramno Fratre adiuuantibus, ad Beati Audomari honorem exædificato; cuius hoc Manuscriptum reperio diploma: *Templũ Canonicorum Lileriensium.*

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS, AMEN:

Cùm inter cætera charitatis opera, Eleemosyna teneat principatum, illa dignitate speciali præeminere dignoscitur, per quam nouæ fundantur Ecclesiæ, vel fundatæ reditibus amplientur. Ego siquidem VVenemarus, Dominus de Lileriis, cum Fratre meo Ingelramno, & Matre meâ Ransuide, concessu Balduini Flandriæ Comitis; ipso etiam Henrico, Rege Francorum, annuente, & Domino Drogone Terüannensi Episcopo ad mandatum Domini Papæ Gregerii, cuius præsentiam, pro voto meo adimplendo, adii, laudante & confirmante, nouam Matrem & Domini Sponsam, Sanctam sc. Ecclesiam in proprio fundo, apud Castrum de Lileriis, in honorem Domini nostri Iesu Christi, ac Beatæ Mariæ Virginis, nec non Sanctissimi Confessoris ac Episcopi Audomari, construimus; vt per hæc & alia bona Deus auctor pietatis, nostris iniquitatibus propitietur; & qui pondere peccatorum nostrorum prægrauati, in sepulcro nostri fœtoris iacentes, lumen veritatis amisimus, per compunctionem nostri cordis, & largitionem nostræ possessionis, ad Solem Iustitiæ caput erigamus. Actum ann. 1043. Communicauit *Castrum Lileriẽse.*

D. Andr. Herby Canonic. Attebat.

Albericus secundus, Marchianensis Antistes vitâ destituitur: Succedit S. Poppo, S. Remacli Stabulensis etiam Abbas, &c

CHRISTI AN. 1049. S. Poppo Abbas S. Vedasti.

LEONIS NONI PAPAE AN. I.

ANNO 1049. Ioanne Vedastinorum Præsule similiter de medio sublato, iisdem preficitur à Balduino Lilano ascitus. Qui cùm locum hunc vno anno, alterum duobus dumtaxat, interpellante morte, gubernasset, successores habuit in Marchenis VVidonem, in B. Vedasti Lilanū Comitem. Chron. Marchian. & Vedastinum; ex quo (posterius intelligo) hanc Popponis excerpsi Panegyrim: *Sanctus Poppo, adolescens, vt ferè fit, Patris consuetudinem institutumque secutus est, laudem & gloriam è bellicis rebus venatus; quam dum experitur fucatam & adumbratam, ad pietatem, vndè expressa & solida manat, totus conuertitur. Votis Deo nuncupatis, quùm Hierosolymam, tùm Romam adit. Regressus, parum abest, quin à seuero illo instituto relabatur, factumque esset, nisi Deus præsenti miraculo sponsalia contracta diremisset. Ita mutatus Monachismum apud Stabulenses complectitur. Vnde Richardus ille superiùs memoratus* (Vide suprà ad ann. 1009.) *Abbas Virdunensis, eum sibi ascissit, & in administrationis partem vocat: vbi Diuus Poppo virtute, & obitis ad summos Principes Legationibus, clarissimus euasit; vt tandem hinc ab Richardo ablegatus compluribus Monasterijs delectus sit Abbas, eundemque rursùs hùc accersitum Balduinus Pius Flandriæ Comes, ad Abbatialem dignitatem commendauit. Profectus hinc Marcenas, atque indè maturans ad Cœnobium Stabulense, morte interceptus est anno* * *1049. quùm per vnicum dumtaxat annum præfuisset; quem tamen alij tradunt multò diutiùs vitam protraxisse.* Sic ibi. Plura de S. Poppone habet Molanus in Natt. 25. Ianuarij. Vide Lector, & fruere.

* Molanus scribit ann. 1048.

Gerardus primus, Atrebatium Episcopus, Corporis ergastulo soluitur, atque in Ecclesiâ Dei Genitricis quiescit. *Charta Eccles. Atrebat. Sigebertus, Gazæus, &c.* Demochares tradit eum vitam martyrio terminasse; tom. 2. de Missæ Sacrificio, in Catal. Episc. Atreb. Verùm vndè id constet ignoro, quùm sileant Ecclesiæ monumenta.

Libertus, siue (secundùm Molanum) Beatus Lietbertus, *nutricius quondam* (aiunt Eccl. Atreb. tabulæ) *præfati Gerardi, Sanctæ Atrebatensis seu Cameracensis Ecclesiæ Episcopus solo nomine* * *& successor efficitur; qui anno Domini 1070. XII.. verò*

* Legendum ei.

anno

anno Regni Henrici Regis, & XXIII. anno Præsulatus eius contulit Ecclesiæ Atrebatensi Ecclesiam DE BELRAIN *ab omni redditu liberam, cum Altari eiusdem Ecclesiæ. Item Altare* DE MONTENOICOVRT, *Altare* DE TILLOY, *Altare* DE ROQVELAINCOVRT, *Altare* DE VVANCQVETINO, *Altare* DE BERLA. *Insuper confirmauit huic Ecclesiæ tria Altaria, quæ Gerardus, eius antecessor Episcopus confirmauerat; & hoc sub sigillis ipsius Episcopi, & sex Archidiaconorum. Hic siquidem apud Cameracum existens, quadam nocte, cum in Cœmiterio pro Defunctis oraret, expletis Vigilijs, & versiculo* REQVIESCANT IN PACE, *statim animæ Defunctorum responderunt* AMEN. *Indè vir Dei deuotione motus, ibidem Monasterium Sancti Sepulcri Cameraci fundauit.* Hactenùs ibi: eius vitam habe ex Molano 23. Iunij; vide etiam Origines Miræi cap. 37. atque de mirandis quibusdam quæ in eius morte contigerunt, vide hîc ad annum 1077. | *Possessiones Atrebatēsis Ecclesiæ ab Lietberto cōcessæ.* | *Vox Defunctorū Cameraci ab Lietberto audita.* | *Ibidem Monasteriam S. Sepulcri.*

CHRISTI AN. 1050. | ANNO 1050. Lilanus Princeps supremam Vedastini Cœnobij sibi vendicat administrationem, constitutis sub se Abbatibus, penes quos disciplinæ monasticæ cura staret, redditus interim faciens suos, idque annis septemdecim, donec eos & vitam mors illi subtraxit. *Chron. Vedast.* | LEON. 9. PAPÆ AN. 2. *Lilanus res Vedastini Cœnobij vsurpat.*

CHRISTI AN. 1052. | ANNO 1052. Sexto nonas Maij, in Sithiensi Cœnobio Corpus Sancti Bertini per Bouonem Abbatem solemniter eleuatur. *Molanus 7. Septembris, & Meyerus lib. 3. Annalium.* De ea eleuatione sic prolixiùs Iperius: *In* Ecclesiæ reparatione, Corpus Beati Patris nostri Bertini, dudum à Beato Folquino terrâ reconditum, nunc sub Altari Capitaneo, vbi plusquàm ducentis latuerat annis, Dominus Bouo noster Abbas inuenit, multis miraculis attestantibus solemniter eleuauit, & diem eleuationis solemniter celebrandum instituit annis singulis, VI. nonas Maij: quo scilicet tempore Nundinæ tunc in hac villâ tenebantur ex more. Facta fuit hæc eleuatio, anno Domini* CIↃ. LII. *Domini Bouonis Abbatis anno nono,* &c. Hactenùs ille. | * S. Bertini. | LEON. 9. PAPÆ AN. 4. *Eleuatio Corporis S. Bertini.*

CHRISTI AN. 1053. | ANNO 1053. *Lilanus contra Henricum* tertium Imp. Flandriæ Occiduæ imminentem, magnam longamque ad tria passuum millia fossam aggeremque, qui* NOVVS *adhuc vulgò appellatur, intra triduum perducit.* Sic Marchantius: At Ioannes Iperius fossam istam anno 1057. cogitatam & ad nouem Leucas productam fuisse scribit. Adsunt eius verba: *Imperator, terra (* Cameracensis *) partem vastans, per Torna-* | * Quartū secundū Meyerū. | LEON. 9 PAPÆ AN. 5. *Fossa noua.*

cum rediit anno Domini CIↃ. LIIII°. *anno post hoc tertio, defuncto Imperatore Henrico* * *secundo, successit Filius eius Henricus* * *tertius: qui iam cum Patre expertus Orientalem partem Flandriæ Fortalitijs, Gentibus & fluuijs sic munitas; & partes Occidentales minùs validas, exercitum per Tornacum ducens, huc accessit, vt per has partes Flandriam intraret. Balduinus Comes hoc præsentiens, populum suum vndique collegit; & fossato Flandriam claudi fecit ab illâ parte. Quod fossatum per nouem Leucas in longum ducens, id est,* * *à Castro de* RVHOVLT *vsque* BASSEIAM, *in solis tribus diebus & noctibus consummauit; & ibidem Imperatori restitit. Admirans Imperator nouum fortalitium & multitudinem armatorum, viâ quâ venerat, recessit.* &c. Hactenùs Iperius.

* *tertio*, secundũ Meyerũ.

* *quartus*, secundũ Meyerũ.

* *à Comitatu Lensi vsq; ad mare*, scribit Meyerus & Franc. Balduinus.

Audomaropolis & Aria fortificantur.

Idem Balduinus Comes Audomarense opidum, Ariam, aliaque opida in hostem firmiora tutioraque facit. *Bresinius, Meyerus, Franc. Balduinus*, &c.

CHRISTI AN. 1055. *Lila muris & fossis cingitur.*

VICTORIS SECVNDI PAPÆ AN. 1.

ANNO 1055. Balduinus Lilense opidum, muris, fossis, arce & aulâ (Salam vulgò vocant) exornatum, luculentissimo Sacerdotum Collegio, quadraginta Canonicos, decem Sacerdotes, Diaconos decem, totidem Hypodiaconos atque Acolytos complectente, mirificè illustrat. Fulcardus primus eius Ecclesiæ fuit Præpositus: vndè in eius Ecclesiæ tabulis: *Pridie nonas Aprilis, anno Domini millesimo octuagesimo obijt Fulcardus, primus huius Ecclesiæ Præpositus, constitutionis huius Ecclesiæ & suæ dispensationis anno 25. cui successit Galterus.* Sic ibì, vndè fundationis eius tempus liquidò constat. Addit Iac. Meyerus Morinorum & Tornacensium Episcopos in Canonicorum numerum fuisse cooptatos, & quidem de Tornacensi colligere est facile ex litteris Ratbodi Episcopi Tornacensis, an. 1090. conscriptis. Eas vide in descriptione Insulensis opidi, nuper ab Florentio Haræo euulgatâ, lib. 2. c. 1.

Ibi Sancti Petri Collegiũ erigitur.

CHRISTI AN. 1056. *B. Fredericus.*

STEPHANI NONI PAPÆ AN. 1.

ANNO 1056. Fredericus Belga, Gothelonis, Bullonensium in Lotharingiâ Ducis, Filius, Godefridi etiam, post Patrem, Ducis Frater, Leodicensis Ecclesiæ Archidiaconus, ad summum Ecclesiæ Episcopatum conscendit, Stephani IX. assumpto nomine, quam dignitatem tenuit menses non ampliùs decem, plurimis interim sanctitatis miraculis clarus. *Vide Molani Natt. 29. Martij.*

Sanctus Dominicus Loricatus, auctor est; vt Feria secunda animabus

mabus Defunctorum liberandis à pœnis, Sacrosancto Missarum Sacrificio, sit adscripta. Feria sexta, pro memoria Dominica Passionis eodem Sacrificio, insuper Ieiunio, & verberum afflictione colenda esset. Sabbatho verò in honorem Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ celebrandum idem incruentum Sacrificium Missa. Baronius iisdem verbis tom. XI. Annal. Cæterùm quod ad Sabbathum B. Virgini sacrum attinet, vide quæ scripsimus in nostro Mariali lib. 6. c. 23.

Quid pro Feriâ 2. 6. & Sabbatho statutū.

CHRISTI An. 1060.

NICOLAI SECVNDI PAPÆ AN. 2.

ANNO 1060. Bethunienses ius monetæ cudendæ habent, addo leges atque tractum ab Flandriâ diuersum, vt patet ex diplomate Gandaui hac tempestate concesso. *Grammayus.*

Moritur Adelelmus, quem sibi Balduinus Comes in B. Vedasti substituerat Abbatem (Vide annum 1050.) subsequitur, sed pari potestate, Herchemboldus; de quo Vedastinorum Chronicon: *Herchemboldus anno assumptæ à Deo carnis 1060. sub Balduino concisa auctoritate creatus Abbas, Præsulem egit septennio, inauguratus anno, quo Henricus, Francorum Rex, paucis ante obitum diebus, Philippum Filium, natu maiorem, etiamnum puerum, Regem coronari curauit, Balduinumque eius & reliquæ sobolis tutorem fecit indignantibus licet Vasconibus; quos sapienter, non ita pòst, Balduinus ad officium coegit; vir sapiens atque pius. Sapiens quidem, adductis ita, sine sanguine, ad officium rebellibus. Pius verò, quùm cæteris, tùm anno 1063. constructo Monasterio* Eynhamensi, vbi primus Abbas Valterus ex hoc Cœnobio ascitus.* Sic ibì; & conformiter Baronius in Annalibus ad annum 1059. addens Lilanum duxisse in vxorem Regis Amitam.

Herchēboldus Abbas Vedastinus.

Lilanus tutor Philippi Galliæ Regis.

Monasteriū Eynhamense.

* Vide Miræi Origines.

CHRISTI An. 1064.

ALEXANDRI SECVNDI PAPÆ AN. 4.

ANNO 1064. Robertus Frisius Balduini Lilani Filius, Gertrudem, Florentij VI. Hollandiæ atque Zelandiæ Comitis relictam, in vxorem ducit. Ei Frisij cognomentum attributum est, non quòd Frisia natale solum fuerit, verùm quia Frisones fortibus armis repulit & deuicit.

Vnde Roberto Frisij cognomētū.

Ariense Templum, quod Antonius secundus, Flandriæ Saltuarius ad Beati Iacobi honorem erexerat (vide suprà, ad ann. 676.) idipsum Lilanus Beato Petro Apostolorum Principi inscribit, adnexis quatuordecim Canonicorum Sacerdotijs. Vndè in vitreâ ad Principis Altaris dexterum cornu fenestrâ hoc Chronographicum appictum legimus.

Collegiū S. Petri Ariæ instauratū & auctū.

BIs *septe*M: *Præbendas* *t*V *Ba*L*d*VI*ne* *ded*I*st*I.

Idem eidem Sancti Petri Ecclesiæ Brachium Sancti Adriani à Gerardimontensibus impetratum, dentemque Sancti Petri sibi à matre testamento relictum dono impertiuit. *I. B. Grammayus.*

Ecclesiæ S Crucis, & S. Mauritij Atrebat.

Atrebati Ecclesiæ Sanctæ Crucis atque Sancti Mauritij parœciales instituuntur. *Vide infrà ad ann. 1090.*

CHRISTI AN. 1065. Messinēse Collegium & Cœnobiū.

ANNO 1065. Adela Lilani Coniunx, Messinis Collegium instituit duodecim Sacerdotum, ac Parthenonem triginta Benedictinarum * Virginum, quò ex vrbe Româ Corpus Beati Sidronij Martyris traditur attulisse. *Meyerus, & Marchantius. Vide prolixè in Miræi Originibus Cœnobiorum Belgicæ. Vide infrà ad an. 1199.* ALEX. 2. PAPÆ AN. 5. * Ijs Frisildis prima præfuit Antistita.

Excommunicat' alium excommunicare nō debet.

Alexander Pont. Max. in cæteris, quæ ad Ecclesiæ vtilitatem instituit, vnum id fuit, Ne quis excommunicatus alium excommunicare præsumat. *14. q. 1. c, Audiuimus.*

Officium Septuagesimæ quis ordinarit.

Idem Alexander constituit vt Responsoria de Genesis historiâ in Dominicâ Septuagesimæ incipiantur, quæ & in sequenti Dominicâ repetantur. ALLELVYA etiam in Sabbatho ad Vesperam iussit dimitti ante Septuagesimam. *Micrologus cap. 47. ijsdem ferè verbis. Vide Baronium ad ann. 1073.*

CHRISTI AN. 1067 Obitus Lilani Principis.

ANNO 1067. Balduinus Comes in vrbe Lilâ fato corripitur, atque ibi in Templo à se condito ditatoque, sepelitur, ad cuius sepulcrum, hæc hodieque legitur inscriptio. ALEX. 2. PAPÆ AN. 7.

CHI GIST TRES-HAVS, TRES-NOBLES ET TRES-POISSANT PRINCES BAVDEVVINS LI DEBONNAIRES, IADIS COMTES DE FLANDRES, LI ONZIMES, QVI FONDA CESTE EGLIZE, ET TRESPASSA EN L'AN DE GRASSES MIL LXVII.

Meyerus; Marchantius: &c. Etiam & prolixius istud Elogium.

Humano generi Parcæ non parcitis vnquam
Mortis ad interitum sed rapitis miserum.
Non vir, non mulier, non vllus denique sexus
Vestris è manibus liber abire potest.
Vos nostrum Comitem rapuistis nomine clarum,
Et genere, & vitâ, & moribus egregium.
Nostis quem querulâ, Parcæ, tam voce querelor,

Aut

Aut qualem plango vos rapuisse virum?
Nempe Pium Comitem Flandrensem Balduinum,
Insulanus & hic est vocitatus homo.
Dux fuit iste tuus, ô Flandria septimus olim,
Barbate ac natus, ô Balduine, tuus.
Vir fortis, prudens super omnes; atque modestus
Actibus in cunctis exstitit ille suis.
Insulense opidum cum Castro fundat ibidem,
Ecclesiam ædificans, ô Petre Sancte tuam.
Quam magnis etiam præbendis constabiliuit;
Hic ipsumque Deinsiain Cœnobium statuit.
Huius Adela fuit Coniunx, ea nobilis olim,
Roberti Regis filia Francigenûm.
Quæ Balduinum Montensem, Frisonemque Robertum,
Posteà Flandrenses huic peperit Comites.
Mathildem quoque, quam Dux Normannus Gulielmus
Rex & Anglus cœpit coniugio sociam.
Hic demùm noster Balduinus Francigenarum
Regis director tempora multa fuit
Philippi, sua quem vetuit regnare iuuentus;
Hic pater ergo tibi Francia fidus erat.
Postquàm ter denos & tres egressus hic annos
Extulerat Patriam qui probitate suam.
Circa annos Domini Mil, sexagintaque septem
Corpus deseruit spiritus egrediens.
Hunc Insulana Comitem gens consepeliuit
In Petri ipsa quam struxerat Ecclesia:

Vtebatur hoc titulo: BALDVINVS COMES FLANDRIÆ, MARCHIO, ET PHILIPPI FRANCORVM REGIS PROCVRATOR ET BAILVS. *Marchantius.* siue, vt habet Meyerus. BALDVINVS FLANDRIÆ COMES, MARCHIO, ET PHILIPPI FRANCORVM REGIS, EIVSQVE REGNI PROCVRATOR ET BAIVLVS. Eius tituli suprà, meminimus ad annum 1027. & caussam ex Petro Oudegherstio adduximus.

Lilani proles.

Tres proles vt habet Epitaphium, reliquit superstites; Balduinum Montanum; Robertum Frisonem, & Macchildem, quas ex Adelâ Coniuge suscepit.

Adela Lilani Coniunx fit Monialis.

Adela viro orbata, viduitatis seruandæ studiosa, sacrum flammeum, Romam profecta, de manu Pontificis Alex-

andri

andri accepit, & cum Virginibus Messinensibus, quarum Cœnobium fundauerat, viuere delegit. Vide infrà ad an. 1071. & suprà ad an. 1065.

BALDVINVS MONTANVS, OCTAVVS FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1067. *Balduin9 Mõtanus Princeps noster; fi Hãnoniæ Comes.*

ALEX. 2. PAPÆ AN. 7.

BALDVINVS, cognomento MONTANVS, Flandriæ Comitatum ab Patris obitu, hæreditario iure tenet; nec triennio diutiùs. Coniugem habuit Richildim, Reyneri tertij filiam, viduamque Hermanni Arduennatis, per quam Hannoniæ Comitatum obtinuit, vnde & Montani à Principe eius tractus vrbe, cognomen reportauit. *Sigebertus, Iperius, &c.*

Roberti Frisij Nuptiæ.

Robertus Montani frater, præstito Aldenardæ solemni iuramento, quod Flandriæ Comitatum Balduino fratri, eiusque legitimis successoribus pacatum sineret, neque affectaret, atque ideò grandi pecuniâ à Patre acceptâ; transiuit in Nuptias Gertrudis, Florentij Frisiæ atque Hollandiæ Comitis relictæ, & Hermanni Saxoniæ Ducis filiæ: quâ cum in Frisiâ aliquamdiù hærens, Frisij seu Frisonis induit cognomen. *Iperius. Vide aliud an. 1064.*

Etiam Macthildis vtriusque Sororis.

Macthildis vtriusque soror, iuit in thorum Gulielmi Nothi, Normanniæ Ducis, atque Anglorum Regis, ex quo insequentes Anglici Reges ortum & sanguinem deinceps traxerunt. *Bresinius.*

Bouo tricesimus septimus Bertinensium Antistes, vitæ Epilogum canit. Eius hoc est Epitaphium:

Bos Domini Bouo, Domino donatus ab ouo,
Fructu non paruo Domini profecit in aruo;
Cuius tollendo iuga, quadrigamque trahendo,
Hanc fabricam primò templi locauit ab imo.
Quam diuinarum portans virtute rotarum
Rexit & erexit contraque pericula traxit.
Huic eius membris decimâ sub luce Decembris
Terra mandatis, societur in æthre Beatis.

Heribertus Abbas S. Bertini.

Eum ad Præfecturæ dignitatem insecutus est Heribertus, vir genere & morum nobilitate clarus. *Iperius.*

Herchemboldus Vedastini Cœnobij Abbas eadem mor-

tis

tis sorte tollitur, successore Adalardo: de quo eius Domus Chronicon: *Adalardus Marchenensis Abbas, ambitiosè primariam Præfecturam hîc arripiens, non diù accessione eius honoris lætatus est. Dignus enim qui per posticum irrepserat, vt per ostium eijceretur, ab Alexandro secundo, Summo Pontifice, loco exigitur, atque in priorem Prouinciam remittitur, vix anno Vedastinâ potitus.* Sic ibi. *Adalardus Abbas Vedastinus.*

CHRISTI AN. 1068. ANNO 1068. (quibusdam 1066.) Beatus Lietbertus Episcopus, Canonicos Sæculares, qui in Beati Eligij Monte, diuini prorsùs officij negleges, sæculoque nimiùm addicti æuum transigebant, arctiori vitæ genere stringit, atque factos Regulares, ad Beati Augustini conuocat institutum, Ioanne primo Abbate sacrato; qui quadraginta per annos Prouinciæ sibi commissæ non defuit, verùm splendidè illam exornauit. *Mon. eius loci.* ALEX. 2. PAPÆ AN. 8. *Canonici Mõtis S. Eligij ex sæcularibus fiunt Regulares.*

SERIES ABBATVM SANCTI ELIGII IN MONTE.

1. Ioannes.
2. Runardus.
3. Hugo.
4. Radulphus.
5. VVicardus.
6. VVirinfridus: *Quidam hunc VVicardo præponunt.*
7. Eustathius.
8. Ioannes 2.
9. Gregorius.
10. Reynaldus.
11. Asso.
12. Desiderius.
13. Richardus de Salliaco.
14. Simon.
15. Ioannes de Barastrâ.
16. Stephanus de Phiromonte.
17. Seruatius.
18. Bernardus.
19. Nicolaus Duisantius.
20. Michaël Coulonius.
21. Iacobus de Salliaco.
22. Nicolaus 2.
23. Michaël Dallenius.
24. Ioannes Bullotius.
25. Ioannes *Pingrelem.*
26. Ioannes *de Coupigny.*
27. Ioannes *de Feuchy.*
28. Dauid *Hay.*
29. Gulielmus *de la Ruelle.*
30. Ioannes Malpautius.
31. Georgius Bellotius.
32. Ludouicus *Ripet.*
33. R P. Hadrianus *du Quesnoy*, hodieque superstes.

Montanus Comes albę virgæ seu vindictę, quam longam rectamque Flandriæ Balliui gerant, sit auctor; quæ & gestantem recti candoris, & prætereuntes reuerentiæ *Alba virga Balliui Flãdriæ.*

admoneret, & à flagitio cohiberet. *Meyerus, Marchantius, &c.*

Hesdinēse palatii & viuarium. Idem Hesdini sumptuosum palatium exstruxit; quod post multa tempora, anno videlicet 1553. simul cum ipsâ vrbe penitùs interijt. *Marchantius.* Sed & amplissimum Parcum (vt vocant) feris alendis & continendis, iuxta idipsum opidum posuisse, adnotat Oudegherstius, capite quadragesimo quinto.

Adloldus Abbas Vedastinus. Adloldus, exturbato, vt diximus Adalardo, legitimus Vedastinorum Antistes creatur. *Vir* (inquit Chronicon) *sanè sedulus & diligens in augendis rebus, & iure iam parta retinendo; percharus Gerardo secundo, postremo Ecclesiæ Atrebatensis & Cameracensis coniunctìm Episcopo, à quo non pauca, nomine Monasterij accepit dona & beneficia, sub id maximè tempus, quo se præside, Monasterium incendio perijt, anno ferè 1090. ad quam leuandam, leuiùsque ferendam calamitatem, liberalem se in hanc Domum exhibebat Gerardus &c.*

Domini de Couchy liberalitas in Eligianos Ascetas. Eâdem tempestate Eligiani Monasterij* fundus fit iuris eius loci Monachorum, donatione Nobilissimi Herois N. de Couchy: vndè sola maioribus eius loci foribus Couchianæ gentis supereminent insignia. *Mon. eius loci.*

* Gall. *Tresond.*

Vratislaus, Bohemiæ Dux, Mitræ vsum, Laicis hactenùs negatum, ab Alexandro Pont. Max. accipit. Id testatur Gregorius VII. Alexandri successor, in Epistolâ ad ipsum Ducem datâ, in quâ hæc de his habentur: *Longa iam temporis interualla transacta sunt, ex quo & Nobilitas tua, B. Petro Apostolorum Principi non modicæ deuotionis animum spopondit & studium; & tibi in Apostolicâ Sede inter cæteros Principes larga benignitas, permultis etiam singularis, & egregia fuit astricta charitas. Cuius rei fidem & indicium, ex beneuolentiâ Domini & antecessoris nostri Alexandri Papæ percepisse potes, qui petitionibus tuis non vnquam sine suâ & Filiorum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sollicitudine & labore condescendit; & ad signum intimæ dilectionis, quod laicæ personæ tribui non consueuit,* MITRAM; *quod postulasti, direxit.* Hæc Gregorius, Alexandri diploma confirmans. Porrò de Bohemiâ consule Ioannis Bussemecherij Europam tabulâ quartâ.

Idem Alexander Pontifex, quùm liberum olim Sacerdotibus siue præsbyteris esset, quot vellent, vnâ die Missas celebrare, (quod ex VValefrido colligas, Cap. 21. item ex

rebus

rebus gestis Vdalrici Augustani Episcopi, in quibus legitur, eum bis in quadam Dominicâ die, sacrum Missæ officium persoluisse, primò de Trinitate, indè de Dominicâ congruente, idque in Agaunensi Sancti Mauritij Cœnobio; itemque ex Sancti Leonis Epistolâ 79. ad Dioscorum cap. 2.) eamque libertatem postmodùm Concilium Salegustadiense ad trium Missarum numerum reuocasset: idem, inquam, Alexander vnam tantum Missam vnicâ die celebrari posse ordinauit. *Consule Baronium ad ann. 940.*

Florentius, Hollandiæ Comes inopinatè ab Hermano Cuickio Comite interficitur. Eius funus in Egmundanum Cœnobium est delatum, vbi cum Theodorico Fratre, commune habet Sepulchrum, & tale Epitaphium.

Ecce iacent Fratres, Regni spes, gloria, Patres,
Regum stirpe sati, vermibus esca dati.
Bello magnificus prior horum Theodoricus
Hostibus in Patriam iure negando viam.
Per Capræ sydus dum Ianus volueret Idus
Cæsar erat fomes, dum cadit ipse Comes.
Florens Flos Florum Florentius alter eorum
Splendidus eloquio, viribus, ingenio.
Cui Troiæ Rector bellanti cederet Hector,
Dùm nimis emicuit, hoste latente ruit.
Morte viri flendas quarto decimoque Calendas
Iunius Axe gerit, dum Comes ipse perit.
Destructa mortis, vitæ reparatio fortis
Raptos valle soli, collocet Arce poli.

Vide Petitæum.

CHRISTI AN. 1070. ALEX. 2. PAPÆ AN. 10.

ANNO 1070. Hasnoniense Cœnobium (de quo ad annum 670. diximus) pro Canonicis Sæcularibus, Monachos Regulares Ordinis Benedictini admittit, piam istam operam Montano Comite nauante; qui & eius loci Templum reparauit; quod deindè Lietbertus noster, Ratbodo Nouiomensis, & Raynerus Aurelianensis, Pontifices, tertio nonas Martias sacratum iuere. *Vide Iperium, Meyerum, & Miræum, in Originib. c. 17.*

Hasnonienses Canonici ex Sæcularibus fiunt Regulares. Eorũ Tẽplum reparatur. Eius Dedicatio.

Heribertus Abbas Bertinicus Antissiodorense Cœnobium à Philippo Galliarum Rege, regundum simul accipit; in quo vt moratur, Bertinense non leuia patitur incommoda; in ijs Bergensis Ecclesiæ alienationem. *Iperius.*

Bertinici iacturam Bergensis Ecclesiæ patiũtur ob Præsulis absentiam.

Circa hæc tempora, Hugo, Gualteri, Castellani Cameracensis Nepos, eiusdem Castellaniæ dignitate, abs Patrui fato, per Lietbertum Episcopum, Comitis Montani instantiâ, priuatus, nihil non ad vlciscendam iniuriam molitur. Itaque in pago Pronuillensi, quatuor circiter passuum millibus Cameracensi vrbe abiuncto, Arcem erigit, in vicinos tractus excursurus, ac rapinis omnia deuastaturus: quâ, milite per Episcopum coacto, paulò pòst euersâ, aliam in vicino Inceij pago collocat, firmiùsque tuetur, Roberto Peronensi, eius factioni clanculum adhærente. De his sic Chronographus Cameracensis. *Post paucos autem dies, in Cameracensi pago, non longiùs à Ciuitate quàm V. millibus, apud quendam pagum* PORRIVALLEM *dictum, municipium firmauit, in quod introiens cum Satellitibus suis res vicinas deuastabat Episcopij, transeuntes diripiens, circumquaque manentes afficiens rapinis. Hoc autem Episcopus diù ferre non potuit; sed collectos Equites, & pedites, ad municipium illud direxit. Municipium verò illud à saltu opprimitur, & coangustatum, atque igne succensum ad terram prosternitur. Sicque locus ille à Satellitibus, & à latrunculis emundatur. Hugo igitur ille destructo municipio, ad aliud diuertit, cui* INCEIVM *antiquitas nomen imposuit, prædasque & mala plurima in Episcopum repetiuit. Quod etiam Episcopus molestè accepit, copiosamque armatorum multitudinem ad locum illum deduxit, fuissetque continuò municipium illud solo tenus subuersum, nisi Robertus de Peronâ, cum suis, dolo obstitisset, qui venerat in Pontificis auxilium, &c.* Hæc ille.

Obitus Balduini Montani. Balduinus Montanus, Comes Aldenardæ, facili exitu, nulloque cruciatu, vitæ muneribus defungitur. Hic Paci & tranquillitati omninò addictus, bello abstinuit, quamuis neque in rebus arduis suscipiendis animus, neque in gerundis consilium illi deessent. Erat audiendi largus; vini Sermonisque parcus; & nunquam in Flandriâ minùs furtorum & flagitiorum in itineribus, quàm sub eo Principe fuit. *Titulus.* Hoc titulo vsus est; BALDVINVS PER DEI CLEMENTIAM, FLANDRIÆ PRINCEPS. *Sepultura.* Iacet in Hasnoniensis Cœnobij Templo, à se constructo: relictis ex Richilde duobus Filijs, *Liberi.* Arnulpho natu maiore, cui Flandriam, eiusque curatelam Roberto Fratri; & Balduino, cui Hannoniam testamento & vxoris assensu in possessio-

nem

nem tradidit. *Iperius, Meyerus, Sigebertus, Brasinius. Marchantius, Balduinus.*

Montani Principis appendo hîc Epitaphium:

Omne genus hominum Mors pessima cogit obire,
Euadit nullus, siue vir aut mulier.
Cepit & ipsum Mors, cuius hoc membra sepulcro
Sunt sita: ceu poteris hoc titulo legere.
Montensis Balduinus hic est, homo pacis amicus,
Octauum Comitem Flandria quem tenuit.
Obque suam dictus Bonus est magnam Bonitatem,
Quâ rexisse suam dicitur hic Patriam.
Arma suo siquidem non tempore bellica quisquam
Aut gladium aut fustem ferre necesse habuit.
Ostia non fures ausique ferire domorum;
Raptores nullos tunc populus timuit.
Rusticus arua colens linquebat aratra, ligones,
Et capulos campis; perdidit as nihilum.
Richildem duxitque hic, Hannonia Comitissam;
Hinc etiamque Comes Hannoniensis erat.
Hâc vxore duos natos sibi progenerauit,
Qui pòst Flandrenses ambo fuere Duces.
Baltinos statuit virgas quoque ferre nitentes,
Longas & rectas, Iustitiæ titulo.
Hic nisi tres annos regnans, est mortuus anno
Millesimo Domini, septuageque gesimo.
Atque apud Hannoniam tumulatus Cœnobio isto,
Quod priùs infandos, nunc Monachos retinet.

Oudegherstius c. 46.

ARNVLPHVS INFOELIX, NONVS FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1070. — ALEX. 2. PAPÆ AN. 10.

ANNO 1070. ARNVLPHVS titulum Flandriæ Comitis, à Patre acceptum, non biennio tenuit, quùm Matris atrocitate, arrogantiâ, atque auaritiâ, tum Roberti Frisij Patrui violentiâ & victoriâ: egregius alioquin, atque generosus Princeps: etiamsi adolescentiæ annos nondum explesset: neque enim annum decimum septimum legitur transijsse. *Marchantius, Balduinus.*

Robertus, Toparcha Bethuneæ Ditionis Chocquensem villam, seu municipium, mœnibus & fossis circumductis, datisque ab Frisio priuilegijs, in opidi formam, vt alia alibì loca, adornat; quæ eius liberalitas indè fertur fluxisse, quò, dum ei negotium contra Arnulphum Nepotem, (quem anno tandem 1071. iniusto commisso prælio interfecit) Nobilium Atrebatium, Flandrensiumque gratiam, adeoque auxilium, sibi conciliaret, atque audito classico commoda receptui loca pluria numeraret. Cæterùm modico admodùm tempore, vixque quadraginta ampliùs annis Chocquenses eâ vrbis suæ dignitate lætati sunt, Roberto Normannorum Duce, anno ferè 1128. illum tractum funditùs euastante. *Ex Archiuis opidi Bethuniensis.*

CHRISTI AN. 1071. *Arnulphi cædes.*

ALEX. 2. PAPÆ AN. 11.

ANNO 1071. Arnulphus Comes fortiter ad Baninchouam Casletanam contra Robertum Patruum dimicans interimitur.

Notant non pauci, in quibus post Meyerum Franciscus Balduinus, bis fuisse pugnatum, atque priore prælio Arnulphum, cooperante Gallorum Rege, victorem exijsse, Roberto Frisio captiuo, atque Gulielmi Rabellij Audomarensium Præfecti custodiæ tradito: quem vt Rabellius inconsultè libertati restituit, adeò commotus fuit Gallus; vt in ipsum Beati Audomari opidum, sparsis ignibus, facinus vindicandum existimauerit. Indè instauratis copijs, adeò pertinacibus vtrimque animis congressum est, vt ampliùs duo supra viginti pugnatorum millia desiderata fuerint, in quibus ipse Princeps Arnulphus, cæsus vel à proprio milite. Etenim *tradit Gilbertus* (verba sunt Meyeri) *in rebus Hannoniæ, Arnulphum Comitem, dum ab equo deturbaretur, ab Gerbodone quodam suo ipsius milite fuisse iugulatum, Gerbodonem posteà graui ductum pœnitentiâ, Romanum consuluisse Pontificem, ab illo missum ad Monasterium Cluniacense, ibique, dum viueret, magnam egisse pœnitentiam.* &c.

Sepultus est Arnulphus ad Sancti Bertini, statuâque strenui pugnatoris, gladio comminantis à Patruo exornatus. *Marchantius: Confule Meyeri Annales.*

Obitus Adelæ Lilani Comitis viduæ.

Eodem anno, contrà acsentiat Meyerus, qui ad annum 1079. refert, Adela, Frisij Comitis Mater, atque Balduini Lilani vidua Messinis moritur, atque ibidem sepelitur. Eius est Epitaphium:

Hic iacet in Tumbâ Francorum Regis Adela
Filia Roberti, Nobilitatis honos.
Ista pij Comitis Balduini erat inclyta Coniunx;
Septima Flandrensis quæ Comitissa fuit:
Hæc quoque norma fuit virtutum, Regula vitæ;
Iustitiam docuit moribus ista suis.
Omnibus exhibuit se mitem; pacis amica,
Candida vita eius omnibus est specular.
Porrò suis Musis nec posset doctus Homerus
Dicere quam fuerit relligiosa Deo.
Multùm ieiunans, Christum frequenter adorans
Institit & precibus, hæc tua serua Deus.
Cænobium Mesinæ construxit Virginis Almæ,
Sacris Virginibus, Canonicisque viris.
Hæc viduata viro sacra limina visitat Vrbis,
Vestit vbi Summus vestibus hanc viduæ
Præsul Romanus, à quo benedicta recedens,
Ad Mesinas redijt dicta Dei famula.
Egit vbi reliquæ præsentis tempora vitæ,
Operiens Christum, qui visitaret eam.
Si septuagesimo primo anno, millia iunges,* *1071.
Inuenies tempus, quo redit ad Dominum.
Hæc vestes, Mesinas sed Corpus ditat humanum,
Quod iacet in Templo Virgo Maria tuo.

Oudegherstius cap. 43.

ANNO 1071. Moritur Elbantus Ruber, atque Cameraci in Sanctæ Crucis Collegialis Ecclesiæ, quam viuens construxit, odeio sepelitur, apposito tali Epitaphio:

CY GIST ELBANT LE ROVGE FONDEVR DE CESTE EGLISE, QVY TRESPASSA L'AN 1071.

ROBERTVS FRISIVS, DECIMVS FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1072. ANNO 1072. Arnulpho, nullâ relictâ sui prole, vtpote cœlibe, taliter cæso humatoque, ROBERTVS FRISIVS Patruus, Flandriæ principatum arripit; quùm aliàs Balduino Hannoniæ Comiti, atque interempti Arnulphi Fratri, omnia legitimæ successionis iura dari oportere ALEX. 2. PAPÆ AN. 11.

concla-

conclamarent. Legitimæ successionis interruptæ occasionem, sic delineat Marchantius: *Poscenti* (Roberto) *tutelam Nepotis Arnulphi, Flandriæque administrationem ex Fratris testamento, Richildis ambitiosa pupilli Principis Mater, cui forsitan à Roberto timebat etiam, cauebatque, obluctabatur: aucto que odio, illius, bellum comminantis, bona fisco addixit, in nobilitatem urbesque Flandriæ Teutonicæ, à cuius linguâ, consilijs, institutis abhorrebat, vbi etiam à singulis lectis, quatuor Gallicos denarios exegit, crudelitate peracerbâ. Vndè Roberti caussam populo gratiorem reddidit, illum allicienti, opemque pollicenti. Quâ Beneuolentiâ auxilijsque Robertus aduersum Richildim armatus, altero Nepote in pugnâ cæso, altero excluso, Flandriam vsurpauit, Teutonicam quidem lubentem, Gallicam verò conciliatam: Regique Philippo priùs hosti, fidem, nomine Flandriæ, præstitit, & cum Balduino altero Nepote, Hannoniæ materna Comite transegit; atque ad suum ex Filio Nepotem, Filiarumque posteros huc vsque transmisit Flandriæ Principatum.* Sic ille. Vide ista latiùs & explicatiùs diducta in Meyeri Annalibus.

Quâ viâ Frisius Flandriã vsurparit. Muliebre Regnum vt ambitiosum ita perniciosum

Suelgerus Bertinici Cœnobij Monachus, primus in Alciacensis Monasterij Abbatem consecratur. Vndè Iperius: *Anno 1072. Abbas noster* Heribertus, Suelgerum huius loci Monachum, misit ad Alciacum locum nostrum, & eum ibidem primum Abbatem instituit: sed vix duobus annis Abbatizauit. Quo defuncto Heribertus successorem ibi statuit Germanum, huius loci Monachum. Quo deposito Heribertus instituit ibi Norbertum Monachum nostrum anno 1077.* Hactenùs ille. Vide quæ suprà attulimus ad annum 715. & 716. & infrà ad an. 1198.

Primus Alciacẽsis Monasterij Abbas ex Bertinico assumptus:

*Altissiodoro recens redierat. Vide sup. ad an. 1070.

Castrum Duacense, quod hactenùs Ditionis Hannonicæ fuerat, Flandriæ Comitatui copulatur: quod quî factum sit, ex vetere Codice MS. sic colligo: *Balduinus Hannoniæ Comes, Arnulphi defuncti Frater, pace cum Flandrensibus initâ; Filiam (alijs Neptem) Roberti Frisij, quam necdùm viderat, nec de eius deformitate aliquid audierat, in eo Pacis conuentu vxorem ducturum se promisit. Vndè Robertus vir astutus, ne Balduinus hinc posset resilire, Duacensi Castrum, quod Hannoniæ Comitis proprium erat, atque de eius Comitatu ab antiquo, sibi obligari fecit acceptis obsidibus; qui Castrum illud custodirent. Etsi Comes Hannoniæ à nuptijs iuratis retrocederet, ipsum Castrum eidem Roberto pro magnâ pecuniæ summâ traderet. Contigit autem Balduinum, Filiam vel Neptem Roberti vidisse; quam visam nimiâ*

Duacẽse Castrum quod enim erat Hannoniæ Flãdriæ copulatur.

turpitu-

turpitudine laborantem, spreuit & despexit: & à pacto recedens nuptiali, duxit Idam in vxorem, Lamberti, Comitis Louaniensis Sororem; quâ de re Duacum Castrum in manibus Roberti Frisonis, & suorum successorum, Comitum Flandriæ deuenit; nec Comitibus Hannoniæ per pecuniæ solutionem, vel iustitiam retrahi potuit. Anno autem Domini 1159. Balduinus, qui Animosus vocabatur, Filius Balduini Aedificatoris, de consensu Patris, atque Prouinciarum Flandriæ & Hannoniæ, accepit in vxorem Margaretam, Sororem Philippi, Comitis Flandriæ, Filij Theodorici Elsatij; & dedit Balduino cum Sorore suâ quingentas libras Artesienses, perpetuò capiendas supra Vinagium Bapalmis, quarum duæ fuerunt taxatæ, in satisfactionem Villæ Duacensis. Et sic postmodùm semper Castrum & Villa Duacensis, quæ priùs erat de Comitatu Hannoniæ, fuit & adhuc est de Comitatu Flandriæ. Hactenùs ibi. Vide infrà ad an. 1335. Consule itidem Hannoniæ Annales.

Eodem anno secundùm Sigebertum (& ita habent loci Monu. alijs 1074.) Prioratus Sancti Georgij in vetere opido Hesdinensi fundatur, atque Benedictinis Ascetis incolendum traditur. Eius talia fuere initia: Abs olim exiguum ibì stabat Sacellum, Beato Georgio sacrum, omni ferè curâ & cultu destitutum. Talium haud capax & ferens, Engeramnus eiusdem opidi Comes, Gerardo Morinensi Episcopo animum detegit, & prodit votum optare se magnoperè sacro isto in Loco Ædibus monasticó vsui adparatis Prioratum stabiliri permitteret, quem censu & necessarijs cæteris, annuente vxore suâ (Macthildis nomen erat) abundè instrueret. Audiuit, laudauitque Episcopus, & desiderij compotem dimisit. Quò te vertis Engeramne? Opificia en statim, en Ædificia, en cēsus. Hinc ad Aquicinctinum Abbatem itio; & Monachorum impetratio. Ibì tum sedebat Americus, tertius ordine Antistes; qui & Loci patrocinium, Engeramno postulante, lubens acceptauit. Atque hæc de eius initijs. *Vide ad annum 1112. Summi Pontificis Diploma, id pietatis totum adprobantis.*

CHRISTI AN. 1076. ANNO 1076. Floret Arnulphus, primus (vt creditur) Audomarensis Ecclesiæ Præpositus: à quo proindè lubet hìc successorum seriem contexere. GREGORII SEPTIMI PAPÆ AN. 4.

SERIES ALIQVOT PRÆPOSITORVM AVDOMARENSIS ECCLESIÆ, *hodiè Cathedralis.*

ARNVLPHVS, obijt anno 1083.
Gerardus, anno 1084.
Otgerus, anno 1123.
Gerardus 2. Subdiaconus. Creditur hic Theodorici Alsatij Comitis, tertius fuisse Filius; cuius Fratres, Balduinus Morinensem, & Petrus Cameracensem Cathedras fuerint consecuti.
Robertus, floruit anno 1170. Indè ad Cameracensem Sedem euocatus est.
Galterus, anno 1218.
Petrus de Colemedio, natione Italus; qui cùm in Legatione contra Albigenses ei commissâ, egregiam operam nauasset, Summum promeruit Pontificatum. Floruit anno 1230. *Vide infrà suo loco.*
Petrus, postmodùm Cardinalis, tit. de Sanctâ Susannâ, floruit anno 1240. obijt 1256. iacet in Sanctæ Susannæ, Audomarensis Claustri, Sacello. *Nota.*
Ioannes de Blesis, floruit anno 1258.
Adenulphus, floruit anno 1269.
Matthæus de Columnâ, anno 1290.
Nicolaus Cappadox, floruit anno 1338. obijt 1350.
Stephanus de Columnâ, floruit anno 1352. obijt 1363.
N. a. S. Eustathio, Cardinalis, Stephani successor.
Carolus* Pictauiensis, indè Cabilonensis Ecclesiæ dictus Pontifex. Floruit anno 1387.

* Gal. *Poictiers.*

Ioannes Pictauiensis, Caroli Frater, hinc Valentiæ Episcopus nominatus.
Petrus *de Matreloy*, postmodùm Aruernensis Ecclesiæ Antistes, immò & Pictauiensis. Carolus Francorum Rex, eum magno in loco habuit, Regnique creauit Cancellarium. Obijt anno 1403. *Vide Aquitaniæ Annales.*
Petrus Troussellus, floruit anno 1406. Factus est posteà Episcopus Pictauiensis.
Hugo Cayetanus, seu *de Cayeu*. Atrebatenses hunc deindè habuerunt Episcopum. *Vide infrà suo loco.*
Quintinus *Menart*. Floruit anno 1426. obijt 1436.

Simon à Luccemburgo, anno 1439.
Ioannes de Burgundiâ, anno 1480.
Franciscus Melodunæus, posteà Episcopus Atrebatensis.
Eustathius *de Croy*, etiam Episcopus Atrebatensis.
Robertus *de Croy*, florebat anno 1538.
Odardus Bersacius, & hic terminum fixit, Audomarensi Ecclesiâ ad Episcopalem dignitatem sublimatâ, cuius Præpositurae prouentus, sustinendo Episcopo, fuerunt adnexi. *Vide infrà, ex litteris R. D. Hieronymi de France, in Sancti Petri apud Arienses Præpositi.*

Robertus Frisius Comes, Regulares Augustiniani Ordinis Canonicos apud VVatanas instituit; quibus Odfridus Sacerdos religiosissimus, datur Antistes; qui Ædiculam ibì quandam Diuo sacram Richario, ab Alfunino Presbytero acceptam, auxit, vertitque in Monasterium. Id monti est impositum ad Enulam fl. in extremis Casletensium, quà Corum spectant, finibus; duobus distans milliaribus ab Fano Audomari. Cui Cœnobio attribuit Adela, Frisij Mater, Balimbergam ad Occidentalem plagam Montis Casletani, ad Penam fl. Ioannes Atrebatium Aduocatus, & Hermentrudis vxor, ducenta viginti agri iugera in pagis STENIS, PETINGHEM, & Sacello *Ermboldi*; & Gilboldus Fleternensis Eques, Flander, in *Thiggabusco*, agri iugera viginti. *Meyerus ijsdem ferè verbis.* Eiusdem Monasterij meminit Iperius hoc stylo: *Anno 1072. Robertus Friso fundauit Monasterium VVastinense Canonicorum Regularium, in honore Beatæ Mariæ Virginis, vbi priùs Ecclesiola fuerat Beati Richarij Confessoris.* Sic ille. *VVatenses Canonici ex secularibus fiunt Regulares. Primus eorum Abbas. Eius Monasterij descriptio. Opes. Fũdator.*

Porrò id loci quamquam Artesiæ non sit, hùc tamen eo nomine refero, quòd paucis ab hinc annis, sepultâ Monasterij voce, Præpositurae acceptâ, Audomarensi Episcopo accesserit.

Per hæc tempora idem Frisius Piscinas seu Ichthyotrophia, vulgò viuaria, quæ Anzainæ villæ adiacent, Beati Eligij Cœnobio contulit. *Piscinæ Eligianis collatæ.*

CHRISTI AN. 1077. ANNO 1077. Beatus Lietbertus, Atrebatensis Pontifex, mortali carcere exutus, cœlum gloriosus ingreditur. GREG. 7. PAPÆ AN. 5.
Porrò neutiquàm hic prætereundum, quod in eius defuncti corpore contigisse memorant hoc stylo Cathedralis

Beati Lietberti Episcopi Atreb. obitus.

Ecclesiæ tabulæ: *Vbi ipse migrauit ad Christum, ministri cùm ex more Corpusculum viri Dei lauare proponerent, manus vtrasque supra pectus eius plicatas inuenerunt. At illi Corpus huiusmodi à vertice vsque ad crura lauantes, quùm circa verenda attigissent, subitò illud Corpus exanime,* manibus proprijs, ac si adhuc viueret, membra obtexit virilia, quæ anteà per septennium viuendo minimè attigerat. Ministri ergo admiratione simul & pauore perculsi, tunc animaduerterunt, quòd hoc absque virtute diuinâ nullatenùs accidisset. Nam per hoc talitùs innuebatur, quòd ad Castitatem conseruandam semper illa caro viuens verecundabatur. Lotione igitur inferiùs peractâ, mox ambæ manus supra pectus eius denuò reflexæ sunt. Huius ergo viri Sancti venerabile Corpus honorificè sepultum est, & in Monasterio Sancti Sepulcri Cameraci requiescit.* Hactenùs ibì. Addit Molanus illi morięti albedinem capillorum in pristinum iuuentutis redijsse colorem. *Molan. 23. Iunij.*

Castitatis & pudicitiæ singulare prodigiũ

* Ad vitã dam eius modi nuditatem, legitur in vitâ S. Burchardi Episcopi VVormatięsis, quòd morti proxim*, omnibus ex cõclaui amotis arbitris, id officij sibi ipsi præstiterit, corpusq; pu-rissim-â aquâ lauauerit, & cãdidam vestẽ induerit. *Vide supra ad an. 1026.*

Aliud circa eiusdem Põtificis capillos.

Beato Lietberto Gerardus, secundus, vtriusque, Cameracensis sc. & Atrebatensis, Ecclesiæ vltimus Episcopus successit. *Hic* (aiunt huius Ecclesiæ tabulæ) *vtramque rexit Ecclesiam per XVI. annos, & menses sex. Post eius decessum, Christus Dominus Atrebatensem visitauit plebem; & consilio Domini VValteri Præpositi, labore etiam Clericorum quorundam Atrebatensium, Ciuitas illa Nobilis proprium Pastorem habere promeruit, & Episcopum. Beatæ namque memoriæ Vrbanus Papa secundus, tantæ dolens Ciuitatis desolationem; eandem à iurisdictione Cameracensis Episcopi emancipauit, & libertatem eligendi proprium Episcopum in perpetuum ipse concessit.* Vide infrà ad an. 1095.

CHRISTI AN. 1079. Aquicinctense Monasteriũ fundatur.

GREG. 7. PAPÆ AN. 7.

ANNO 1079.* Aquicinctense Monasterium abs Galtero & Sohiro Nobilibus Duacensis opidi ciuibus fundatur, ac Monachis assignatur Benedictinis; quorum primus Abbas dictus est Adalardus, siue Alardus. De quo, quia varia in Mariali nostro ad cap. 85. lib. 3. produximus, suffecerit illud Molani, de quo ibì siluimus, hic notasse: *Gordanius, vt ex antiquis constat monumentis, multò antè quàm Aquicinctensis Monasterij fundamęta iacerentur in eâ Insulâ, constructâ Ecclesiolâ vel AEdiculâ (quæ adhuc ex veterum Monachorũ relatione monstratur) sanctissimè vitam peregit Eremiticam. Quùmque locus interior, quasi Insula vndique paludibus & aquis occluderetur; per sinuosos tamen amfractus, exeundi quandoque aditum reperiebat. Vndè in pago Muntiniaco, qui Gallicè dicitur* MONTIGNY, *quà Aquicincto Duacum iter est, fons visitur, negligentiâ tamen rustico-*

* Gal. Ancin.

Eremus olim ibidem fuit B. Gordanio Anachoretæ.

rum

rum corruptus, qui puteus Sancti Gordanij dicitur. Est etiam in Monasterij penuaria puteus, qui aquam habet praestantissimam, quod ad Sancti huius benedictionem referunt. Praetereà constanter refertur, & vetustis picturis exprimitur, Monasterium in Aquicinctensi Insulâ, ex huius Eremitae consilio constructum esse à generosis viris, Gualtero, Domino DE MONTIGNY, *&* PISCVARIA; *& Sigero, Domino* DE LOS, *&* CRVRCELLA. *Vbi etiam cum aliquot alijs vitam secuti meliorem, se suaque omnia Deo consecrarunt. Oportet tamen hoc consilium referre ad apparitionem post mortem. Gerardus enim secundus Episcopus Cameracensis, in litteris fundationis, quas dedit anno supra millesimum septuagesimo nono, scribit paraecianos suos genere & diuitijs praeclaros, VValterum & Sigerum, Spiritu diuino afflatos, elegisse locum, qui Aquicinctus dicebatur, Ecclesiam volentes inibì restaurare, quam à Sancto Gordanio, in eodem loco, Eremiticam vitam ducente, audierant quondam aedificatam fuisse. Est autem Aquicinctum S. Saluatoris Monasterium praestantissimum Ordinis Sancti Benedicti, Dioecesis Atrebatensis, duobus milliaribus à Duaco dissitum.* Hactenùs Molanus in Natal. 16. Octob. nec absimiliter in multis Iperius.

Fons, Puteus Sancti Gordanij.

Notandum etiam id Monasterium non solummodò Dioeceseos, verùm etiam Comitatus Atrebatensis, siue Artesiae partem esse: Vndè in Comitijs Ditionis huius, Abbates illius comparentes, ordinem & suffragia habent, cum caeteris huius Prouinciae Praesulibus. Quamobrem errant qui Hannoniae Monasterijs illud adnectunt. *Vide infrà ad ann. 1100. 1180. & 1181.*

Aquicinctense Monasterium est Comitatus Artesiensis.

SERIES ABBATVM MONASTERII AQVICINCTINI.

1. ALARDVS.
2. B. ALELMVS.
3. Haimericus.
4. Gelduinus.
5. Rotbertus.
6. Aluisus, posteà Episcopus Atrebatensis.
7. S. GOSVINVS.
8. Alexander.
9. Simon.
10. Adam.
11. VVillelmus, posteà S. Amandi Antistes.
12. Simon 2. Decimas & redditus plurimos acquisiuit; Claustrum aedificauit, ab Honorio tertio circa an. 1219. vsum Pontificalium obtinuit.
13. VVillermus *le Parent.*
14. Iacobus.

15. VVillermus *Brunel.*
16. Anselmus.
17. Euerardus.
18. Ioannes.
19. Hugo.
20. Petrus.
21. Eustachius, S.T.D.
22. Ioannes *le Bæuf.*
23. Ioannes *Descrechin.*
24. Amedeus de Lamecho.
25. Rodolphus de Longâ-villâ.
26. Petrus de Nouâ-villâ.
27. Ioannes *le Bostot.*
28. Henricus *de Constant.*
29. Ioannes de Batheriâ.
30. Petrus *Toullet.*
31. Hugo.
32. Guillelmus *Dostrel.*
33. Carolus.
34. Ioannes *Asset.*
35. Ioannes *Lentailleur.*
36. VVarnecus *de Daure.*
37. R. D. Ioannes *Faueau*, anteà in S.Georgij iuxta Hesdinum Prior; hodiè superstes.

Geldria, nobilis hodiè Belgicæ Prouincia, quùm anno 878. primùm cultu Dynastiæ nomen abs Carolo Caluo Galliarum Rege accepisset; hoc demùm anno, Comitatus apice siue stemmate, augustiori titulo per Henricum tertium Imp. exornatur. Ottone Nassouio, primo Comite renunciato. *Petitaus. Vide infrà ad an. 1339.*

CHRISTI AN. 1080. ANNO 1080. *Conradus Episcopus Traiectensis ad Rhenum fl. ad memoriam nominis sui* (ita loquitur Chronicon Traiectense) *voluit ædificare nouam Ecclesiam, vbi Canonicos institueret, sed fundum adeò lutosum fuit, quòd bases paloriorum stabilire non potuerit. Fuit in latomorum consortio quidam Friso, (nomine Ploberna) qui eandem Ecclesiam, qui sub pœnâ mortis suæ voluit & promisit fundare: verùm . . . . immoderatum, salarium indè petijt. Sed Episcopus largis encenijs à Filio dicti Frisonis arcanum illud didicit, & inchoatam Ecclesiam ad honorem Dei Genitricis magno opere condidit. Vndè Friso ille magnum odium contra Episcopum concepit. Vndè anno Domini 1099. dùm Episcopus post Missarum solemnia solus in Oratorio oraret & priuatas orationes cum deuotione legeret, Friso ille cultrum eduxit, & reuerendum Episcopum instante diabolo trucidauit.* Sic ibì. Nec absimiliter Hadrianus Barlandus in Catalogo Episcoporum Traiectensium. Habuit Conradus suo in Templo Sepulcrum & eiusmodi Epitaphium: GREG. 7. PAPÆ AN. 8.

Tempora cum caussis Templi venerabilis huius
Quisquis nosce cupis, metra te subscripta docebunt.

Hen-

Henrico Quarto Romani sceptra regente
Imperij, quùm iam totam victricibus armis
Subderet Italiam, soli præcludere sola
Vrbs Mediolanum portas est ausa rebelles.
Quam tandem captam, spolijs priùs auctus opimis,
Euertit victor, nec Templo flamma, Mariæ
Virginis abstinuit, candenti marmore structo.
Vndè dolens, mentemque pio succensus amore,
Instaurare nouam venerandi nominis AEdem
Proposuit, quacumque solo, solisue sub axe
Tunc Traiectensis Præsul, nutricius olim
Principis, atque Ducis semper Comes, acer in armis,
Nomine Conradus, tulit hoc à Cæsare munus,
Vt Templum sublime, loco fundaret in isto;
Turribus excelsis, constructuraque perenni,
Adiutus donis, & multo Cæsaris auro.
Vndè vices firmis subnixum stare columnis,
Fornice perpetuo fastigia summa tegente.
Hoc Fanum Præsul venerabilis ipse dicauit
Primus, & instituit præbendas, Canonicosque,
Dicturos laudes, tibi, Virgo Maria, perennes.
Post vbi sacrati ter sex ab Origine Templi
Fluxissent anni; fatalis venerat hora
Pontificis sacri miseranda cæde perempti.
Caussa necis fuit hæc: nam dùm fundamina muro
Ipsius Ecclesiæ, Latomi perquirere tentant;
Inuenere lutum fluidum, fixo sine fundo.
Hoc vitium tardabat opus: nemo sapientum
Huic morbo valuit quantalibet arte mederi.
Ars mendicat opem; miratur nescius artis
Artificum cœtus, non artem posse iuuare.
Dum sic ergo rei spes esset nulla superstes;
En rudis hanc Friso solidare spopondit Abyssum.
Pro quo dùm pretium sibi posceret immoderatum;
Huic dilectus erat adolescens filius: illum
Accersit Præsul; secretè suadet vt artem
Eliciat Patri; promittit munera; Patrem
Filius, auxilio genitricis inebriat; artem
Elicit, elicitam Pastori, clam Patre pandit.
Continuò surgebat opus, iam tempore longo

Postpo-

Postpositum: gaudent omnes super arte reperta.
Ille sed irarum stimulis agitatus acerbis;
Deceptumque dolo tantus dolor vrget, vt ipsum
Iam descendentem gradibus, Missa celebrata,
Pontificem ferro trux Friso necaret acuto.
Eius in Aprili mortem dant festa Tyburti,
Anno millesimo, nonagesimo quoque nono.

Ex Franc. Petitæi Chron. Holl. & Zeland.

CHRISTI AN. 1081. GREG. 7 PAPÆ AN. 9.

ANNO 1081. Heribertus Bertinensium Antistes disenteriâ aliquamdiù laborans tandem moritur expletis in eâ dignitate annis quatuordecim, atque in medio Basilicæ,* quam consummauerat, magnifico donatur sepulcro. Eius etenim *tumba* (scribit Iperius) *diademate auro & argento fabrefacto fuit honestissimè decorata.*

*Vide supra ad an. 1043.

Ioannes Abbas S. Bertini.

Ioannes post Heribertum tricesimus nonus Bertinensium Abbas est creatus, vir eo ordine, quà modestiâ, quà pietate atque prudentiâ haudquaquàm indignus. Eius inaugurationi Gerardus secundus Pontifex noster operatus est, qui tunc Morinorum etiam moderabatur Ecclesiam: ex caussa quam imus subiectum. Hac tempestate, Drogone Morinorum Pontifice extincto, Hubertus, vir honestè litteratus communi Teruannensium suffragio in Episcopum eligitur, sed nescio, quam ob caussam, vulneratus, atque à Teruannensibus ex vrbe pulsus, reliquam ætatem patienter & religiosè cum Bertinicis peregit. Hic *quadam die* (scribit Iperius) *dùm post matutinas Deo, sicut solebat, oraret, quatenùs, si ipsi Deo displiceret, quod Episcopus esset, illi dignaretur ostendere, vocem audiuit de supernis dicentem:* LIBRVM VITÆ LEGI ET RELEGI; ET HVCBERTVM EPISCOPVM NON INVENI &c. Ergo illo à Regimine amoto, Lantbertum * Balliolanum, virum nobilem Frisius Comes ad Episcopatum promouere cònatur contra leges, libertatem atque consuetudinem Teruannorum; quibus mos erat liberis suffragijs sibi Episcopum eligere; adeoque motum ingentem cònciuere Teruannici; eoque res processit insaniæ, vt cum Eustathio suo Aduocato, impetu in Lantbertum facto, linguam illi, extremitatesque digitorum præciderent, vrbeque sic affectum eijcerent, Gerardum in eius sufficientes locum: qui non diù pòst & ipsè quoque pulsus, vitam sanctam vixisse traditur

*de Beli. Iperio.

Motus Teruannensium, & in Episcopos suos facinus.

ditur in Monte Diui Eligij Atrebatensis, Gerardo Cameracensium atque Atrebatium Episcopo, viro clarissimo, huius etiam Ecclesiæ Regimen* sustinente. Hinc exstant Gregorij Pont. Max. Epistolæ ad Robertum Frisium. *Meyerus ijsdem quasi verbis; qui ex Iperio. Vide annos proximè sequentes.*

Eligiani Monasterium Gerardi Episcopi Teruanensis Asylum.

* Anno 1084. scribit Demochares tom. 2.

Eodem anno, ipso Exaltationis Sanctæ Crucis Festo, Corpus Sanctæ Bertiliæ, Mareolensis Cœnobij fundatricis eleuatur, inque Arcâ argenteâ inducto auro ditatâ & variegatâ recluditur: præsentibus Vultero Cameracensi, Adloldo Atrebatensi, Alardo Aquicinctensi, Alardo Marcenensi, Abbatibus. Gerardus verò Episcopus Eleuationi huic non interfuit, infirmâ prohibitus valetudine: veluti hoc suo rescripto testatum reliquit.

Mareoli Eleuatio Corporis Sanctæ Bertiliæ.

IN HONORE TRINÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS, DEITATIS.

Secundus Gerardus, Dei gratiâ Præsul Cameracensium, successoribus suis, posterisque Fidelibus æternum gaudium. Notum sit omnibus quòd in quinto Pontificatus mei anno, Atrebatensium Clerus & populus, & commanentium pia deuotio, de Eleuatione Sanctæ Virginis Bertiliæ, ut fieret mihi suggesserunt, ut quam meritorum prærogatiua, & miraculorum publicauerat ostensio, celebriorem faceret de terrâ in feretro Eleuatio. Considerans itaque magnam ab antecessoribus meis, præfatæ Virginis claram reuerentiam & cultu frequentatam, ego quoque, ne minùs deuotus inuenirer, omnium precibus consensi, & Virginis Eleuationem in Exaltatione Sanctæ Crucis celebrandam indixi. Ante quam diem, nutu Dei, magnæ infirmitatis prauentus molestiâ: ne tamen defraudarem populi expectationem, bonæ opinionis, & Religiosos Abbates, Dominum VValterum, Cameracensem Abbatem: Dominum Aloydum, Atrebatensem Abbatem; Dominum Alardum, Aquicinensem Abbatem; Dominumque Alardum, Marcenensem Abbatem eò direxi, & executionis agendæ vicem eis credidi.

In dictâ Arcâ reclusi fuerunt hi versus:

Hîc ut iuncta lebes, Sanctis Bertilia Sedes:
Sic datur in Cœlis prudens virgoque fidelis.
Semper peccantum votis assiste precantum.
Proque tuis ora, cùm Mortis venerit hora.
Hic est laudandus meritò, cui nomen Amandus;
Nam dat laudari bene viuere nomen amari.
Hunc qui Patronum celebrant, habeant sibi pronum. &c.

Nomen Papæ solis Romanis Pōtificib⁹ tribuendū.

His ferè temporibus Gregorius Pont.Max.Papę nomen, cùm anteà omnibus Episcopis esset commune, solis Romanis Pontificibus attribui voluit. *Baronius in notis ad Martyrol.*

In Flandria Sacerdotes animadvertitur

Idem Gregorius, cùm audisset in Flandriâ Fornicarios Clericos sacræ mensæ ministrare, & Simoniacos existere impunitos; grauissimas litteras aduersus eos scripsit ad Robertum Flandriæ Comitem, præcipiens vt eos omninò amoueat & persequatur vt Ecclesiæ aduersarios. Scripsit etiam ad eius Coniugem, non Adelam siue Adelaidem, vt vult Baronius in Annal. ad annum 1076. (nam Adela Frisij Filia erat, Canuti Danorum Regis Coniunx) sed Gertrudem Adelæ ex eodem Frisio Matrem.

Edicta alia Gregorij Papæ.

Idem Clericis initiatis interdixit vxores habere, aut cum mulieribus simul habitare; nisi quas Nicœna Synodus, aut cæteri Canones permiserint. *Bergomas.*

Idem mandauit omnibus fidelibus Christianis, Diebus Sabbathinis carnes non manducare. *Idem.*

Idē vetuit omnibus Monachis esum carnis. *De Cons. Dist. 5.*

Audomaropolis & S. Bertini incendiū.

Opidum B. Audomari vnà cum S. Bertini, fortuito flagrat incendio. *Nec mirum* (ait Iperius) *adhuc enim erant arundinea tecta, & noua Basilicæ lignea ignibusque subiecta materies.* Ea fuit quinta eius loci vastatio; quam Ioannes Abbas restituere, splendidiori etiam operâ, primis habuit in votis *Iperius.*

CHRISTI AN. 1082. *Lamberti Morinorum Pseudoepiscopi gesta.*

GREG. 7. PAPÆ AN. 10.

ANNO 1082. *Ad Sedem Apostolicam, ad quam, ex more, casus atrociores deferri solerent, Terüannensis Ecclesiæ duplex est perlata Tragœdia: tam de his, quæ egerit intrusus Episcopus; quàm quæ idem posteà passus fuerit. Lambertus** *hic fuit, qui primùm conuictus atque damnatus Hæreticus, indè Simoniacè ordinatus Episcopus, ad Synodum Romam vocatus, venire contempsisset. Insuper qui in Concilio Meldensi auctoritate Apostolicâ congregato, fuerit excommunicatus ab eiusdem Apostolicæ Sedis Legatis, tum ob nefaria crimina, tum etiam quòd quinque Clericos Romam ire paratos, detrusit in carcerem: idem ita excommunicatus, se fecerit à suspensis ministerio Episcopis cōsecrari. Deindè etiam hostiliter & armata manu, Comite Flandriæ Roberto, cum exercitu secum eunte, ad ipsam ciuitatem pergens, portas Ecclesiæ, quas ei Clerus & populus occluserat, in securi & asciâ & aliis violentijs inciderit, atque confregerit. Crucem quoque, & Imaginem Saluatoris, libellum contradictorium ante ipsius portas clausas, manu dexterâ quasi porrigentis, & velut ore proprio, ingressum Ecclesiæ ipsi contradicentis, ita diabolicè à portis abstraxerit,*

** Eius superiore anno meminimus*

xerit, vt dexteram manum (quod nunquam anteà legimus, aut audiuimus factum) illi auulserit; sicque cum lanceis & gladijs euaginatis, fur & latro irrumpens, alios Clericorum vulnerauerit, alios semiuiuos fugauerit, omniumque sibi communicare nolentium domos diripuerit, atque destruxerit: ipsumque Comitem in tantum seduxerit, vt omnes Clericos sibi obedire nolentes, omnibus bonis priuatos, de tota terra sua eiecerit; & duas Epistolas, à Papâ missas, adeò despexerit, vt portitoribus earum contumeliosa verba, & tanto Principe multùm indigna protulerit. Hæc Baronius tom. 11. Annal. ijsdem verbis.

Quid ab Morinis passus.

Quæ verò Pseudoepiscopũ Lambertum pœna, Teruannensibus auctoribus, sit secuta, aliquid anno superiore tetigimus; cætera ampliore & certiore stylo, ab ipso Gregorio Romano Pontifice intellecturi; qui sic in litteris ad Teruannenses milites, absque Apostolicâ benedictione transmissis (posteaquam Lambertus apud Apostolicam Sedem fuisset conquestus) rescripsit.

In Morinenses ab Sũmo Pont. animaduersio.

Intolerabilis audacia, horribilisque facinoris super vos, ad nos relatio venit; quòd quantò nostris seculis inusitatum, nec à tempore Paganorum persecutorum præsumptum esse, vel legitur, vel auditur, tantò ad iustitiam de se exequendam Apostolicæ mansuetudinis zelum mouet & incitat. Denique conquestus est nobis Lambertus, dictus Teruannensis Episcopus, quòd post tot, tantaque sacrilegia, quibus eandem Ecclesiam deprædati fuistis, ianuas eius infringentes, serica, argentea, aureaque diuersi generis, & innumera ornamenta diripientes, ac sacris Crucibus comminutis, tam ipsas, quam & duas Capellas, & Reliquias auferentes & abstrahentes eundem Episcopum ab Altari, vbi prostratus orabat, linguam ei dexteræque articulos, ad aceruum tantorum scelerum detruncastis. Quâ in re nullam excusationem tentetis obtendere, quasi de ipsius vitâ reprobâ, vel ordinatione iniustâ, seu depositione irrogatâ. Sicut enim suprà notauimus, nemo adhuc tale aliquid præsumpsisse dignoscitur; nisi fortè qui Deum non timens, & Christianam reuerentiam abijciens, pro nihilo duxit manum in sacros Ordines mittere. Quapropter monemus, & ex parte Beati Petri præcipimus, vt tantam nequitiam vestram recognoscentes, aut ante Legatos nostros Lugdonensem Archiepiscopum, & Abbatem Cluniacensem satisfacturi veniatis. Hactenùs ibi. Ex his, agnosce Lector, Lambertum Pseudoepiscopum, vbi floreret, Romanam Sedem contempsisse; vbi verò miser fuit, & e-

Vexatio dat intellectũ.

linguis, & digitis truncatus; eandem tanquam Asylum adijsse, & auxilium ab eâ petijsse, atque impetrasse.

CHRISTI AN. 1083. *S. Maximi Corp⁹ Bononiã ab Morinis trãsfertur.* GREG. 7. PAPÆ AN. 11.

ANNO 1083. Teruannenses, metu Frisij, quem se commouisse superioribus Tragœdijs non nesciebant, ne in ipsum Templum fortè inuolaret, diriperetque, Corpus Beati Maximi Episcopi, quod summi pignoris habebant loco, Bononiam deferunt. At Bononienses sacrilegâ pietate victi, nescientibus Morinis, Sancti Caput à Corporis reliquo secreuerunt, sibique ad quinquaginta annos furtìm vendicarunt. *Meyerus. Vide infrà ad an. 1134.*

Bononiẽsium sacrilegiũ.

Frisij Comitis insolentia.

Arnulphus Morinorum Archidiaconus, atque in Beati Audomari Abbas, bonis omnibus à Frisio spoliatur; atque Patriâ expellitur. Vndè iter Romam instituit, apud Gregorium 7. Pont. Max. querelas suas depositurus. Pontifex turbis auditis non mediocriter affectus, Arnulphum Suessionensem Episcopum, virum sanctissimum, natione Flandrum, Fulberto ac Manisuuendâ parentibus ortùm, componendis inter Comitem & Clerum litibus delegat; auctoritate prohibens Apostolicâ, ne de cætero, vllâ ex caussâ Comes Ecclesiæ bona inuaderet *Vide Baronij Annales ad ann. 1084.* vbi fusiùs ex Lisuardo; *item Surium 15. Augusti.*

Inhibetur.

CHRISTI AN. 1084. *Hammẽse Monasterium exædificatur.* GREG. 7. PAPÆ AN. 12. * Gal. Ham.

ANNO 1084. * Hammense Monasterium loco, æquabili ferè spatio, Ariâ & Lilerio Artesiæ opidis, distante, Ingelramus, Lileriensis Dynasta, ad Sancti Saluatoris honorem exædificat. De illo Iperius; *Balduinus* (scribit) *Ghisnarum Comes, & Ingelramus Lilariensis Dominus, à peregrinatione Sancti Iacobi redeuntes per Pictauiam, hospitati sunt in Monasterio Carosænum. Et videntes ibi Religionem vigere, de Monachis Carosensibus secum ad has partes adduxerunt: & quidem Balduinus* Andrense, Ingelramus verò Hammense Monasteria in honorem Sancti Saluatoris fundauerunt, anno 1084.* Sic Iperius, & eodem ferè tenore Meyerus; addens illa loca Diœceseos Morinensis esse; & vt struerentur, Gerardi Episcopi nostri, auctoritatem interuenisse.

Vndè assumpti Monachi. *Sedet illud in comitatu Ghisnẽsi. *Iperius.*

Hammensis porrò Cœnobij primus Abbas Godscalcus vocabatur; eiusque successor, Radulphus. Ex litteris R. D. Maximiliani Dostreleolani, ibi hodiè Abbatis. *Vide infrà ad an. 1100.*

Primus eius Abbas.

Eodem anno (secundùm Sigebertum scribendum foret anno 1086.) Richildis, Balduini Montani Flandriarum

Comi-

Comitis Coniunx, atque Arnulphi Infœlicis Mater, diem obit extremum. In Hasnoniensi Cœnobio, vbì mori contigit, Sepulchrum habet, atque eiusmodi Epitaphium: *Moritur Richildis Montani relicta.*

Continet ingenua breuis vrna hac ossa Richildis,
Flandrina octaua qua Comitissa fuit.
Coniunx Balduini Montensis Nobilis olim,
Flandria & Hannonia magnifici Comitis.
Post mortemque viri licet ipsa tyranna fuisset,
Post tamen effecta est mitis & innocua.
Posteà nam sese solita est affligere durè,
Ieiunans, orans, sancta patrans opera.
Ista ministrauit mendicis, ista leprosis
Sæpè suis proprijs seruijt & manibus.
Hunc sibi postremò totum Mundum crucifixit;
Et Mundo pariter hac crucifixa fuit.
Hasnoniense solum sepeliuit Corporis artus,
Condens hocce loco, cernis vbi hunc titulum.
Anno millesimo, centeno, bis minùs octo,* *1084.
Sustulit hanc Idus martis, & eripuit.

Oudegherstius cap. 46.

CHRISTI AN. 1085. *Gal. *Estrun.* ANNO 1085.* Strumense Monasterium, Gerardi Pontificis curâ construitur, multisque donatur prouentibus, liberalitate, quùm ipsius Gerardi, tum etiam Fulgendis seu Fulgentiæ, quæ ibi prima præfuit Antistita coactis sub Beati Benedicti Regulâ Virginibus, rerum copiâ affluentibus; quarum accessione, Monasterij bona incrementum non mediocre perceperunt. Harum possessionum, atque Cœnobij statutorum confirmationem, Lambertus, primus restitutæ sibi Diœcesis nostræ Pontifex, à Paschale Papâ postmodùm impetrauit. Præfuit Fulgendis annos quadraginta, in annum videlicet 1125. quo vitam cum dignitate deponere contigit. Inter MSS. eius loci instrumenta, hunc Catalogum reperio, seriei continuæ in hanc vsque diem Antistitarum certum indicem: GREG. 7. PAPÆ AN. 13. *Strumēse Monasterium construitur.*

SERIES ANTISTITARVM STRVMENSIS MONASTERII.

PRIMA prefuit Fulgendis, anno 1085.
2. Beatrix, 1125.
3. Maria, 1154.
4. Machtildis, 1174.
5. Adela, 1204.

6. Agnes, 1224.
7. Maria, eius nominis 2.
8. Maria, eius nominis 3.
9. Ida Clariacensis.
10. Amissa, anno 1281.
11. Maria 4. anno 1288.
12. Margareta *de Fosseux*, 1316.
13. Benedicta.
14. Adela Donayensis.
15. Eustatia Busquetia, 1359.
16. Margareta Dainuillana, 1364.
17. Maria 5. 1371.
18. Maria 6.
19. Roberta.
20. Ioanna *de Sapigny*, obijt anno 1397.
21. Iacoba * Monteligiana, viuebat anno 1400.
22. Ioanna * Riueria, anno 1410.
23. Thomassa *de Calonne*, anno 1443.
24. Margareta *de Noyelle*.
25. Iacoba *de Bretencourt*, 1446.
26. Margareta *de Ranchicourt*, 1471.
27. Iacoba Buzeria, anno 1493. obijt anno 1524.
28. Ioanna Ranchicurtia, anno 1523. obijt anno 1550.
29. Ioanna *du Pré*, anno 1550. obijt anno 1569.
30. Magdalena *de VVarluzel*, anno 1569. obijt anno 1584.
31. Isabella *de Vaux*, anno 1585. obijt anno 1589.
32. Margareta *de la Capelle*, an. 1590. obijt an. 1602.
33. Ioanna *de Gantau*, anno 1602.
34. R.D. Claudia *de Belualet*, Atrebato, vt superiorum aliquę oriunda, hodieque superest.

* *Du mōt Sainct Eloy.*
* *De la Riuiere.*
* 1084.

Porrò Strumense Monasterium Atrebatum ad Ortum, D. Eligij Montem quasi ad Aquilonem habet, mille passibus ab vtroque seiunctum. Lætatur ebullientibus adeoque emanantibus aquis, quæ in fœcundas piscinas collabentes mox in Scarpam fl. quem in conspectu Cœnobium habet, sese immergunt.

CHRISTI AN. 1086. *Dedicatio Ecclesiæ Aquicinctinæ.* | VICTORIS TERTII PAPÆ AN. 1.

ANNO 1086. *Aquicinctensis Cænobij Ecclesia* (scribit Sigebertus) *consecratur in honore Domini nostri Iesu Christi, eiusdemque Genitricis Sanctæ Mariæ à Domno Gerardo Cameracensi Episcopo; decretumque ab eo Præsule, vt festiuitas illorum Sanctorum, quorum pignora huc allata fuerant, omni anno legatur in hoc loco.* Hactenùs ille.

CHRISTI AN. 1087. | VICTO. 3. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1087. Adalardus, siue Alardus, Aquicinctinorum primus Antistes, isto munere vitaque priuatur. *Idem Sigeb.*

AN-

CHRISTI AN. 1088. — VRBANI SECVNDI PAPÆ AN. 1.

ANNO 1088. Gulielmus, Balduini Lilani gener, Normanniæ Dux, & Rex Anglorum, arcessente morte de medio tollitur. *Balduinus de Glen in serie Principum Belgicæ.*

B. Alelmus 2. Abbas Aquicinctinus.

Alelmus, ex Normanniâ, Monasterio Becci, ad Sedis Aquicinctinæ honores allectus, vix anno ijs delectatur. Claruit à morte miraculis, maximè in febri adfectos; qui ad eius tumulum sanitatem sæpiculè repererunt. Hamericus Vedastinus Asceta, litteris exornatus eidem successit. *Sigebertus.*

CHRISTI AN. 1090. — VRBAN. 2. PAPÆ AN. 3.

* Gall. *Erouaige.*

Aroasiense Monasterium construitur ad Trũcum Berengarij.

Vndè Truncus Berengarij dict⁹.

ANNO 1090. Conon, gente Teutonicus, Apostolicus Legatus, & Cardinalis Prænestinus, adhærente Heldemaro Tornacensi, Eremitâ presbytero, * Aroasiense Monasterium, à quo Ordo Aroasiensis nomen quondam retulit, in finibus Artesiæ *ad truncum Berengarij*, vt vocant, exædificat, inque illo Canonicos Regulares, sub Sanctissimæ Trinitatis titulo collocat. Hæc in Monumentis MS. eius Cænobij taliter enarrantur: *Is locus super stratam publicam constitutus, in Siluaque Aridagamantiâ situs, quæ quidem silua, à Castro quod Encra dicitur; vsque ad fluuium Sombræ, tunc temporis continua protendebatur; olim spelunca latronum fuerat, vndè & hunc quidem Truncum Berengarij, ab eiusdem nominis Latronum Principe vulgò denominant; pro eo quòd post mortem eius, solitos esse ferunt Satellites eius trunco quem cauauerant, captos à se quoslibet præsentare, infra quod quidam ex ipsis, quasi idem Berengarius loquens, captiuis summam redemptionis imponebat, quam nulli minuere vel mutare liceret. Sed in Historiâ Passionis Sanctorum Luglij & Lugliani Hibernensium, perspicuè scriptum legitur, quòd ijdem sancti per has Regiones transeuntes, per manus impiorũ, prædicti videlicet Berengarij, & Fratrum suorum Bouonis & Hescelini, & eorũ complicum Martyrio fuerunt coronati. Sed quia hoc scelus in pago Teruanensi fuisse asseritur perpetratum, luce clarius apparet eosdem impios non in hoc tantùm loco, sed in finitimis etiam circumquaque locis, & maximè per stratas publicas, longè latéque discurrentes, quamdiù licuit suam exercuisse, & protelasse malitiam. Post multos itaque decursi temporis annos, in hoc adhuc loco latrocinijs & insidijs pleno, in Comitatu Cameracensi, & confinio Flandrensis Comitatus, circa annum Dominicæ Incarnationis 1090. vt certiùs comperire potuimus, in Trinitatis nomine congregati, Eremitæ tres, vt vbi abundauit delictum superabundaret gratia, Cellam sibi ad seruiendum Domino statuunt, Oratoriumque in honore SSS. Trinitatis, &*

S. Nicolai Pontificis, cuius ex recenti Translatione, crebra tunc per orbem diuulgabantur miracula, construunt, tectumque eius & parietes myricis, & folijs siue, claudant & contegunt. Horum primus Heldemarus nomine, Tornacensis genere, alius verò Cono, gente Teutonicus, ambo sanctitate præstantes, officio presbyteri, professione Canonici, cum fratre Rogero Laico de proximâ villulâ TRANSLOY *nato, Religionis hîc Canonicæ fundamenta iaciunt &c.* Hactenùs ibi. Fuit autem Aroasia viginti sex Monasteriorum, * quorum Abbates illùc quotannis conueniebant, caput. Verùm id honoris, temporis lapsu corruit; atque ipse loci splendor bellorum tempestate non modicè imminutus. Sanè inter Hybernos Sanctus * Laurentius Dublinensis Archiepiscopus, Ecclesiæ suæ Sæculares Canonicos in Regulares Aroasiensis Ordinis transformauit. *Molanus 4. Maij Gazæus in Catalogo Episcoporum Atrebatium; Robertus Sigeberti continuator; Massæus lib. 16. Chron. & Iacobus à Victriaco.* Hic in Historiâ suâ Occidentali, cap. 23. sic de illo loquitur: *Sunt alij Regulares Canonici, qui de Arroasia nuncupantur; eò quòd prima huius Institutionis Abbatia, quæ caput est omnium aliarum, sic vocetur, in Diœcesi Atrebatensi sita. Hi siquidem fundamentum Regulæ B. Augustini retinentes, vt carnem suam cum vitijs & concupiscentijs arctiùs crucifigerēt, carnes à refectorio suo subtraxerunt. Camisijs insuper non vtuntur; sed cum tunicis laneis nocte in dormitorio suo quiescunt. Quasdam etiam alias Institutiones necessarias & honestas, supra prædictum fundamentum prudenter ædificantes, contra imminentia pericula sibi præcauentes, addiderunt. Et quoniam nihil magis virtutem Religionis conseruat, vbi plures sunt Congregationes & Conuentus, quàm respectus ad vnum Superiorem, qui diuersa sub se membra regit, & continet quasi summum & supremum caput; semel in anno sub primo & principali Abbate generale Concilium celebraturi conueniunt, vt omnes vnanimiter huius Ordinis Abbates, secundùm quod Religioni viderint expedire, corrigant corrigenda, resecent superflua, instituant & addant, quæ fuerint superaddenda* * *&c.* Sic ille. Porrò de Antiquitate Ordinis Aroasiensis, versus hi reperiuntur:

Anno Milleno Domini, deciesque noueno,
Norma Berengarij trunco noua cœpit haberi.

Meyerus in Collectaneis MSS. Franciscus Pietin Falempinensis Monachus, lib. de Insulensibus Castellanis;

Aroasiensis Monasterij dignitas.

Ascetarum vitæ austeritas.

* De ijs vide infrà ad annū 1121.

* Vide eius vitā apud Surium.

Mon.

Mon. MSS. Cœnob. Aroaſ. &c. *Vide ad annum 1162.*

Nunc ſubijciendus ordo ſiue Series Præſulum Aroaſienſium, quorum duo priores, non tam Abbatum, quàm Præpoſitorum muneribus functi ſunt. Geruaſius enim, quem tertio loco ponimus, acceptâ ab Epiſcopo benedictione, primus Abbatialem dignitatem Ædibus ſuis introduxit, anno ferè 1121. vt ſuo loco dicemus.

SERIES PRÆPOSITORVM ET ABBATVM MONASTERII *Aroaſienſis.*

1. HELDEMARVS; à Conone Præpoſitus conſtitutus.
2. Richerus; obijt anno 1121.
3. Geruaſius primus Abbas; rexit annis 25. ceſſit anno 1147. obijt anno 1171.
4. Gerardus; obijt anno 1150.
5. Fulbertus; obijt anno 1166.
6. Lambertus; ceſſit anno 1172.
7. Euerardus; ceſſit anno 1177.
8. Iacobus; obijt anno 1179.
9. Galterus; obijt anno 1192.
10. Simon; obijt anno 1193.
11. Ioannes Belinnes; ceſſit anno 1196.
12. Robertus; ceſſit anno 1200.
13. Radulphus; præfuit anno 1.
14. Ioannes ſecundus; præfuit annis 8.
15. Bar-ptolomeus; præfuit annis 3.
16. Petrus; præfuit annis 18.
17. Laurentius; præfuit annis 19.
18. Robertus ſecundus; præfuit menſ. 8.
19. Balduinus; præfuit annis 24.
20. Andreas; præfuit annis 8.
21. Ægidius; præfuit annis 17.
22. Ioannes *de Seruin*; præfuit annis 4.
23. Ioannes *de Manicourt*; præfuit annis 16.
24. Ægidius *de Gruyeres*; præfuit annis 27.
25. Petrus ſecundus; præfuit annis 4.
26. Philippus; præfuit annis 37.
27. Theodoricus; præfuit annis 34.
28. Ægidius tertius; præfuit annis 24.

29. Paschalis: * præfuit annis 18.
30. Ioannes *Fabri*; præfuit annis 18.
31. Ioannes *François*; præfuit annis 2.
32. Ioannes *Parent*; præfuit annis 6.
33. Augustinus *Seneschal*; præfuit anno vno.
34. Augustinus *Gabel*; præfuit annis 22.
35. Ioannes *de Betencourt*; præfuit annis 23.
36. Nicolaus *Imbert*; præfuit annis 10.
37. Iacobus *Canæl*; obijt anno 1592.
38. R. D. Michaël *Thery*: Hodiè superstes, Abbas 36.

* Sub eo facta est vltima Congregatio Aroasiana, ann. 1470

Controuersia pro Ecclesijs S. Crucis & S. Mauritij Atreb. sedatur.

Grauis Controuersia inter Atrebatensis Ecclesiæ Canonicos, & Vedastinos Ascetas, ob SANCTÆ CRVCIS, ET B. MAVRITII, Atrebatensis opidi Parœcias exorta, ab Gerardo Pontifice, Synodo coactâ, sedatur. Pactionis forma ita habet: Vide suprà ad an. 1060.

IN NOMINE SVMMÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. AMEN.

Ego secundus Gerardus, Sanctæ Cameracensis & Atrebatensis Sedis Episcopus, quæ pacis sunt inter filios Sanctæ Matris Ecclesiæ, quam regendam suscepi, conseruare solicitus; si qua verò contra iustitiam oriantur, corrigere paratus; querelam Canonicorum Sanctæ Mariæ Atrebatensis, aduersus Abbatem tum temporis Aloldum & Monachos Sancti Vedasti, de duabus Capellis, diebus nostris motam, & paci fideliter redditam, scriptis mandare dignum duxi, vt quæque Ecclesia, quæ sui iuris sunt, inconuulsè retineat; & vlteriùs inter filios pacis nihil contrarium exindè resurgat. Sub ipso Monasterio Sancti Vedasti hortus antiquus fuerat, in quo Capella in honorem S. Mauritij, à nostris Prædecessoribus est consecrata; oblationes circummanentium ab Domo Hatonis, vsque ad Domum Bonardi, vel conuenientium recipere constituta. Iuxta forum verò altera in honore Sanctæ Crucis, dicta Capella Sancti Vedasti, decimis circummanentium, cum reliquis Ecclesiasticis officijs vtens; nisi quòd Presbyter ibidem à Monachis deputatus, defunctos & fœminas post desponsationem & partum, ad Sanctam Mariam in Ciuitatem comitans, Missâ vel debito obsequio prosequitur; suscipiens omnem oblationem præter candelas. Nostro ergo tempore Canonici Sanctæ Mariæ, quia mortuos exindè habebant, etiam quæ viuorum sunt, Nota. Nota.

Ecclesia S. Mauritij Atreb.

Ecclesia S. Crucis Atreb.

iustè

iustè se habituros clamauerunt. Ventum est ad Synodum; vbi audito clamore & responso, iudicio Venerabilium Abbatum, Archidiaconorum, & Clericorum, qui infrà subscripti sunt, ita determinatum est in plenâ Synodo, vt iuxta decreta Canonum Sanctorum, eo modo, quo Abbas & Fratres, per triginta & ampliùs annos ex quo fundata sunt, se defendebant tenuisse, eo deinceps liberè & quietè retineant. &c. Subsignauerunt Gerardus Episcopus; Aloldus Attrebatensis, Alardus Laubiensis, Alardus Marcenensis, Americus Aquicinctensis, Albertus Hasnoniensis, Albertus Mareolensis, Guffridus Noui Castelli, Abbates, Diderus Matselinus &c. Archidiaconi; Hugo, Raynerus &c. Decani, alijque. Anno 1090, Indict. 13. Epactâ 17. Idipsum ratum habuit Paschalis Papa, vt ex eius litteris constat ad Lambertum Episcopum missis, quarum initium: *Querimonias Clericorum vestrorum* &c.

Hinc collige vtrãque Ecclesiam fundatã fuisse circa 1060.

Eustathius Bononiæ Comes, & Ida eius vxor, Illustrissimi Godefridi Bullonij Parentes, Monasterium Beatæ Mariæ de Capellâ, non procul Calesio exstruunt; quod posteà adiunctum est Cœnobio Beati Ioannis in Monte, iuxta Terüannam. De quo sic Iperius: *Anno Domini* CIↃ. XC. *Eustathius* ALOELG, *Bononiæ Comes, & vxor eius Ida, parentes ac genitores illius clarissimi ac Illustrissimi Godefridi de Billione, ac Balduini, posteà Regum Hierusalem, fundauerunt Monasterium Beatæ Mariæ de Capellâ, in terrâ* DE MERK, *iuxta Calesium, in loco qui priùs dicebatur* BROVCHAM, *& Monachis Hamensibus instituerunt, vbi etiam ipsa Ida Comitissa XI. de Capillis B. Mariæ Virginis, quos ab Hastulpho Hyberno Rege, magnis precibus impetrauerat, cum alijs Sanctorum Reliquijs, ibidem obtulit.* Sic ille. Vide Miræi Origines cap. 45. & hîc ad ann. 686. & 1553. Item Meyerum lib. 3. Annal. Sub finem.

Monasterium S. Mariæ de Capellâ fundatur.

Concilium Melfitanum celebratur, inter cuius Canones legitur iste, ordine decimus quartus. *Presbyterorum Filios à sacris Altaris ministerijs remouendos decernimus, nisi aut in Cœnobijs, aut in Canonicis religiosè probati fuerint conuersati.*

VRBAN. 2. PAPÆ AN. 4.

CHRISTI AN. 1091.

ANNO. 1091. Robertus Comes ex Syriâ reuersus, quandam Flandrensium Sacerdotum consuetudinem antiquatam, postliminiò in lucem reuocat; quâ Presbyteris non licebat testamentum vllum condere; sed quùm mori contingeret, omnium bonorum ipsorum, Flandriæ Comites ex asse essent hæredes. Grandis ob hæc inter sacrum

Flandriæ Sacerdotes an possint condere testamẽtum.

cœtum & Comitem coorta turbatio; rogatus Summus Pontifex, vt eius auctoritate, eiusmodi seruitus cessaret. Datæ ab Vrbano Pont. Max. ad Robertum litteræ Apostolicæ, quibus coactus est tandem Comes, cœptis in perpetuum desistere. *Meyerus.*

Litterarum Apostolicarum est hic tenor:

VRBANVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, DILECTO FILIO ROBERTO, TOTIVS FLANDRIÆ STRENVO MILITI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Memento, Charissimè Fili, quantum Omnipotenti Deo debeas, qui te contra voluntatem parentum tuorum, de paruo magnum, de paupere diuitem, de humili gloriosum Principem fecit; & (quod maximum est, & inter sæculi Principes rarum) dote litterarum, scientiæ atque Religionis donauit. Eius igitur memor esto, qui te talem fecit; & omnibus modis elabora, vt tantis beneficijs non inueniaris ingratus. Honora igitur eum in Ecclesijs suis; & vlteriùs Presbyteros aut Clericos, qualescunque sint, sub aliquâ occasione vexare minimè præsumas, nec eorum prædia in tuos vsus, post eorum exitum redigas, nec pecuniam, seu quodcunque de patrimonio suo illi dimittunt, violenter auferas; sed libera sit eis facultas & Deo seruiendi, & res sui patrimonij, cuicunque voluerint, impendendi. Quod si prætendis hoc ex antiquo vsu, in terrâ tuâ processisse, scire debes Creatorem tuum dixisse. Ego sum veritas, non autem vsus, vel consuetudo. Quæ igitur diximus Charissime fili, volumus, & per Beati Petri Apostolorum Principis Claues præcipimus, vt obserues, & super libertate Clericorum, te Christum honorantem honorifices: ipse verò attestatione sui ipsius, honorificantem se honorificabit. Vale. Datum apud Sanctum Petrum, Anno Millesimo, nonagesimo primo.

CHRISTI AN. 1092. — VRBAN. 2. PAPÆ AN. 5.

Sacer ignis.

ANNO 1092. Frisio adhuc rerum potiente, affligatur Flandria longissimo gelu, ventorum tempestate, morboque crudelissimo, qui *Ignaria*, siue *Ignis ardens* vocabatur, per quem alij instar carbonum nigrescentes, alij exustis visceribus tabescentes, quidam membris mutilati, cruciabantur & interibant. Quam ob cladem Radbodo Tornacensium Episcopus religiosam instituit supplicationem, quæ ipso Exaltationis Crucis Dominicæ festo, solemni pompâ celebraretur. *Iperius, Meyerus, Marchantius, Anselmus Gemblacensis, Molanus, &c. Vide suprà ad an. 945. & infrà ad an. 1095.*

Eadem

Eâdem lue ijsdem temporibus in Gallijs grassante, cultus Sancti Antonij in Prouinciâ Viennensi cœpit haberi maior, populo ad eius Corpus, illuc Constantinopoli ab Iocellino Pictauiensi translatum, certatim concursante; & sopito, Sancti Antonij meritis, igni, sanitatem recipiente. Aucta est eò ampliùs erga Sanctum reuerentia, quòd sicut eo morbo ęgrotantes sanari consueuerint; ita sani in eundē Sanctum peccantes, siue periurio, aliâue irrogatâ in eum blasphemiâ, vel contumeliâ, eundem mox experiri solerent vltorem, eodemque confestim morbo ignis sacri percuti: quod pauendum cunctis prodigium hactenùs perseuerat; adeò vt in prouerbium versum sit: *In Sanctum Antonium neminem impunè peccare*. Hinc anno 1095. * Gastono Franco, viro Nobili Prouinciæ Viennensis, cum Gerino Filio eius, iunctis sibi octo alijs, institutus asseritur Ordo ministrantium infirmis, qui sacro igne consumpti, perpetuâ viuerent, truncatis membris, calamitate: qui cùm Laici essent, pro insignibus, signum Tau sibi sumpserunt. Baronius eodem ferè stylo, ex Historiâ Antonianâ, cuius Auctor exstitit Himarus Fulco, eiusdem Ordinis Præceptor seu Prior. Cæterùm indè natum arbitror, vt eiusdem Antonij cultus in Belgicâ admodum celebris perseueret. Certè Atrebati, eius honori iam olìm sacra Sodalitas adeò hodieque efflorescit, vt non nemo ferè ciuium in illam nomen suum detulerit, &, si cæteras adeas Ciuitates, vt reliqua omittam, huius ignis sacri, cum Beati Antonij Imagine, Historiam varijs locis appictam videris; certum indicium, eiusdem Diui Beneficia, tali inualescente per has regiones morbo, huc vsque etiam penetrasse. *Vide Baronij Annales tom. 11. ad annum 1089. & 1095. Et Ioannem Molanum libro 3. de Imaginibus & Picturis, cap. 5.*

S. Antonij cultus quâ occasione celebrior.

* al. 1091.

Ordo Ministrorum hospitalis S. Antonij.

S. Antonij cultus in Belgicâ. Eius Sodalitas Atrebati.

XV. Cal. Iulij Moritur Theodoricus, Hollandiæ Comes, atque in Egmundano Monasterio commune cum Atauis init sepulcrum: vbì eiusmodi legitur Epitaphium:

Viribus haud modicus, situs est hîc Theodoricus,
Qui pulsus patriâ, vi redit in propriâ.
Nam Dux Gibbosus puero fuit insidiosus,
Sed Ducis interitus fit iuueni reditus.
Vrbs Traiectensis fulmen tremit ipsius ensis,
Mortes multorum dum gemit ante forum.

Capto Pontifice Comes inclytus egit amicè,
Non quod vi poterat, sed quod honoris erat.
Hostibus iste grauis; patriæ tutissima clauis,
Quem decuere benè, verba, statura, gena.
Iuli quindenas te producente Calendas
Quæ Comitem rapuit, mors lachrymosa fuit.

Eodem anno, tertio Idus Augusti, Gerardus, vltimus vnitarum Atrebatensis & Cameracensis Diœceseon Episcopus, vitam cum morte commutat. *Sigebertus.*

CHRISTI AN. 1093. *Roberti Frisij obitus. Calesij Templũ & Collegiũ Canonicorũ instituit. Eius proles.*

VRBAN. 2. PAPÆ AN. 6.

ANNO 1093. Robertus Frisius Flandriæ Comes, etiam corporeis vinculis exsoluitur, morte (vt habent Bertinici Annales) citâ & inopinatâ: atque Calesij, vbi Templum & Collegium Diuo Petro collocarat, ibidem in cryptâ chori sepelitur, postquàm annos XXI. præfuisset. Coniugem habuit Gertrudem, Hermanni Saxoniæ Ducis Filiam, Florentij, Hollandiæ Comitis relictam, atque ex hoc Theodorici, Hollandiæ etiam post Florentium Comitis, Matrem. Roberto autem tres filios, totidemque filias procreauit; ROBERTVM, PHILIPPVM, GVLIELMVM, ADELAM Canuti Danorum Regis vxorem, GERTRVDEM Comitissam Louaniensem, & OGINAM.

ROBERTVS HIEROSOLYMITANVS XI. FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1093.

VRBAN. 2 PAPÆ AN. 6.



ROBERTVS Patri in Flandriæ Comitatum succedit, ab eo ante obitum, in Regni societatem cooptatus; cui ob ereptam Turcis ingenti virtute constantiâque Hierosolymam, HIEROSOLYMITANI agnomen est datum.

PHILIPPVS Iprensem Burgrauiatum est assecutus. Indè anno 1104. VVinocibergæ extinctus & sepultus, quùm ex domus* tabulato decidisset.

GVLIELMVS Ariæ in Adolescentiâ est defunctus. *Vide infrà ad an. 1109.*

ADELA Canuto Daniæ Regi; deindè * Rogerio Calabriæ Apuliæque Duci (cui Hierosolymitanus ex Syriâ rediens imprimis acceptus fuit, ac familiaris) in thori consortium est data.

* Vide Meyeri Annales ad annũ 1104.

* Vide infrà ad an. 1107.

GERTRVDIS Henrico Louanij Comiti; pòst, Theoderico Alsatiæ Lansgrauio nupsit.

OGINA virginitatem professa, Messinensis Cœnobij vixit Antistita. *Marchantus, Bresinius, &c. Vide infrà ad annum 1141.*

Hugo, quondam Cameracensis Ecclesiæ Decanus, atque eidem Aquicinctinorum Monasterio multifariàm adfectus, diem claudit extremum, & in eius loci vetere Templo (instauratum est anno 1181.) terræ mandatur, adiuncto lapide, in quo tale sculptum est Elogium: *Aquicinctini Monasterij Claustrũ, Porticus, &c. à quo constructa.*

Hîc est sepultum Corpus Hugonis, Decani Sanctæ Mariæ Cameracensis; qui construxit Claustrum cum Porticu eiusdem Ecclesiæ, Capellamque Sancti Gingulphi: insuper, vt cætera taceamus, multis annis à carne abstinuit, super plumam non iacuit, nisi fortè in hoc Monasterio iussu Abbatis. Hic construxit Claustrum, Porticum, Eleemosynarium, Capellamque Beatæ Mariæ, & multa alia beneficia Fratribus contulit. Hic in Festiuitate omnium Sanctorum, postquàm Missam celebrasset, graui infirmitate percussus, Monachus effectus obijt in bonâ confessione & verâ Fide, anno Domini 1093. VI. Id. Nouemb. Chronicon Aquicinctinum ad an. 1181.

CHRISTI AN. 1094 ANNO 1094. Cameracenatibus de Episcopo post Gerardi 2. obitum assumendo variè disceptantibus, Vrbanus secundus Pont. Max. ijsdem infensus, quòd Henrico 4. Imperatori, Ecclesiæ Romanæ proscripto hosti fauerent, Atrebatibus peculiarem annuit Episcopum, misso isto diplomate. VRBAN. 2. PAPÆ AN. 7.

VRBANVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, CLERO ET POPVLO ECCLESIÆ ATREBATENSIS, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Atrebatensis Ecclesia vna ex Nobilioribus Ecclesijs comprouincialibus Remensis Metropolis, solennibus Canonum Monumentis freta, olìm principalis Sedes Episcopatus fuit, proprium Pontificem habuit, suam Diœcesim & cætera Pontificalia iura, firmis antiquitate rationum instrumentis obtinuit. Volumus itaque, & Apostolicâ auctoritate præcipimus, vt iugo Cameracensis subiectionis ab Ecclesiâ vestrâ excusso, & receptâ dignitate primis temporibus rationabili firmitate possessâ, Cardinalem Episcopum vobis & Ecclesiæ vestræ incardinare studeatis. Ei verò qui Canonico consensu Cleri & populi electus fuerit, Apostolicâ aucto- *Atrebatibus peculiarem Episcopũ eligendi, Sede Cameracẽsi neglectâ, potestas datur.*

ritate interdicimus, ne impositam ipsi electionem dissimulatione aliquâ huius nouæ ordinationis subterfugiat. Solet enim fieri, vt Ecclesiæ persecutionis tempore, suis Ordinibus, suis populis, subsidijs etiam temporalibus destitutæ, alijs temporaliter committantur Ecclesijs. Postquàm verò his quibus imminutæ fuerant, Domino donante abundare cœperunt, pristinam recipiant dignitatem. Data Romæ. Molanus in Natt. 5. Feb. Sigebertus, Iperius, tabulæ Eccl. Atreb. &c.

Christi An. 1095. Lambertus Atrebatium peculiaris Episcopus Romæ sacratur.

Vrban. 2. Papæ An. 8.

ANNO 1095. LAMBERTVS patriâ Gisnensis, Lilæ in Diui Petri cantor, & Teruannensis Archidiaconus; vir spectatæ eruditionis & virtutis primus Atrebatensis Ecclesiæ, ab illo cum Cameracensi diuortio, Episcopus, inuitus licet, assumitur; Romamque à Summo Pontifice aduocatus, solenni admodum pompâ consecratur, fitque totius Remensis Prouinciæ Legatus. Indè acceptis ab eodem Pontifice varijs priuilegijs, ad Ouilis sibi commissi Regimen concedit, atque diuisis Vrbis suæ parœcijs, omnium cumulatissimè satisfacit votis. Videamus Monumenta MSS. Ecclesiæ Atrebatensis: *Lambertus, genere Gisnensis, Cantor Insulanus, à Capitulo huius Ecclesiæ Atrebatensis est electus, & à Sanctissimo Domino Vrbano Papa II. Romæ in Episcopum Cardinalem huius Atrebatensis Sedis, in Ecclesia Sanctæ Mariæ nouæ est consecratus: à quo multa priuilegia Ecclesiæ impetrauit: nec non ab eodem Papâ totius Prouinciæ Remensis Legatus effectus, cum honore ad propria remeauit.* Sic ibì, & conformiter auctores, quos iam antè produxi.

Progressus ad hanc seiunctionem, & consecrationem.

Porrò quis progressus isto in negotio fuerit, faue Lector, si tibi stylo prolixiore demonstrauero.

Itaque populus Atrebatensis, talibus, vt paulò antè notaui, ab Summo Pontifice Vrbano litteris acceptis, statim Dominum Raynoldum Remorum Archiepiscopum, vt seriò tanti rebus momenti animum intenderet, scriptis pulsandum esse putauerunt. Vndè talibus eum sunt allocuti.

Atrebatium ad Raynoldum Archiepiscopum Remorũ littera.

REVERENDISSIMO PATRI RAYNOLDO, REMORVM ARCHIEPISCOPO, ATREBATENSIS ECCLESIÆ CLERVS ET POPVLVS, ORATIONIS ASSIDVITATEM ET FIDELEM PER OMNIA OBEDIENTIAM.

Dominus noster Iesus Christus videns vidit afflictionem Ecclesiæ nostræ, tyrannico Cameracensium iugo, olim per multa in-

decenter

decenter oppressæ; eiusque Filiorum, pro doctrinæ Pastoralis penuriâ, per diuersa vitia labentium, periculo condoluit, dum his diebus, per Domini Apostolici Vrbani Imperium, per nostri quoque Principis Roberti, totiusque Cleri & populi congratulantis assensum, eidem Ecclesiæ Rectorem proprium restituere disposuerit. Dei igitur clementiam, ne nos in hoc incœpto negotio deserat, imploramus, vestræ quoque Paternitatis consolationem exposcimus; quatenus ad ipsam electionem, Oratione & ieiunio, à Spiritu Sancto quæsitam, Clericum districtum & Nobilem, seu Abbatem, qui in hoc sacro Ministerio vestri intersit vicarius, à vestro latere transmittere non differatis. Nos enim non dilationis alicuius occasionem inuestigare, sed parati sumus rationabili iussioni Domini Apostolici ad præsens obedire.

Raynoldus perlectis hisce Atrebatium litteris, eosdem ad Remense Concilium, ad quod conuenirent & Cameracenses, talibus conuocat:

RAYNOLDVS REMORVM ARCHIEPISCOPVS, ATREBATENSI ECCLESIÆ SALVTEM ET BENEDICTIONEM IN DOMINO IESV.

Nouerit Fraternitas vestra quoniam Cameracenses Clericos, vt Remos ad Concilium, quod in Dominicâ, quâ canitur, OCVLI MEI, *semper celebraturi sumus, veniant, & secum priuilegia sua afferant, quorum auctoritate Ecclesiam vestram Episcopi sui Dominio velint subiugare, monuimus. Mandamus itaque vobis, quatenus ad idem Concilium auctoritatibus, sententijsque Patrum fulti, quas insuper à Beato Remigio Institutore vestro habetis, veniatis, & eas in conspectu Concilij non timidè proferatis. Quod si rationes vestræ victoriæ locum obtinuerint, ex Domini Papæ præcepto, & totius Concilij consilio, à vestro desiderio non vos fraudari patiemur.* *Respondet Raynoldus, & ad Concilium Atrebates vocat.*

Atrebatensis Ecclesia ad Remense Concilium talibus inuitata, in medio Patrum consessu, hanc diutinæ calamitatis querimoniam effudit: *Parent Atrebateses, & coram tota & iura sua exponũt.*

Audiat Domini Archiepiscopi prouidentia, audiat & huius Sanctæ Synodi congregatio deuota, querimonias, quas in necessitate suâ, facit Soror Atrebatensis Ecclesia. Hæc Ciuitas olim suo proprio Pastori dicata, & subnixa sub solâ Sanctâ Remensi Ecclesiâ, vna ex antiquis & nobilioribus ciuitatibus totius Remensis Metropolis, valuit in omni Ecclesiasticâ disciplinâ. Quod ve- *Atrebatum est Ciuitas.*

rò Ciuitatis & nomen & dignitatem obtinuerit, testatur Orosius Presbyter, in libro contra paganos, sæpius in suo Tractatu de ipsâ faciens mentionem. Sed & Chronicales libri de Conditoribus Vrbium certissimè tractantes, Romam & Remis à Romulo & Remo; Suessiones verò & Atrebatum à Cneo Pompeio; reliquas circa Ciuitates, à quibusdam Gallis fuisse referunt institutas. Quod autem & Ciuitas sit, & Episcopum proprium habuerit, in Ecclesiâ Arelatensi, Viennensi, Lugdunensi, immò in hâc Sanctâ Remensi, ex Sanctorum Canonum epilogio colligitur, vbi Gallicana Metropoles, & earum suffragaria enumerantur, inter quas & Ciuitas hæc Atrebatum à Remensi quarta, & ante Cameracum posita inuenitur. Hinc legitur in vitâ Sancti Remigij: Per idem tempus, ab Anastasio Imperatore Codicillos HLudouicus-Rex pro Consulatu accepit: sed & Hormisda Romanæ Sedis Pontifex, Sancto Remigio antiquæ Metropolis Episcopo, quæ tunc temporis habebat sub se duodecim Ciuitates, & totidem Episcopos eisdem præsidentes, vices suas in Regno HLudouici commisit. Item in vitâ Sancti Vedasti: Sanctus igitur Remigius, diuinâ dispensatione & salubri Sacerdotum Consilio Beatum Vedastum ordinauit Episcopum, & ad prædicandum Verbum vitæ, Atrebatæ vrbi eum direxit &c. Item testamentum Beati Remigij, ab ipso editum, Atrebata vrbi Episcopum principaliter fuisse confirmat hoc modo: Ego Remigius Ecclesiæ Atrebatensi, cui Domino annuente, Vedastum Fratrem meum charissimum, Episcopum consecraui, ex dono HLudouici Regis, duas villas in alimonijs Clericorum, Orcos* videlicet & Sabucetum, deputaui, quibus etiam pro memoriâ nominis mei, viginti solidos dari iubeo. Ego Remigius testamentum meum relegi, signaui, subscripsi, & in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Deo adiuuante compleui. Prosecutâ autem excommunicatione in huius testamenti violatorem primus respondit Sanctus Vedastus: Cui maledixit Pater meus Remigius, maledixi: & cui benedixit, benedixi. Interfui quoque & subscripsi Geneboldus Episcopus. Lupus Episcopus, Medardus Episcopus,* Benedictus Episcopus, Eulogius Episcopus, idem dixerunt. Quoniam igitur Atrebatensem Ecclesiam, tot & tantis auctoritatibus fretam, principalem Episcopum patens est habuisse; ciuitas eadem vltrà priorem modum populosa, Clerus & populus proprij Pastoris absentiam diutius sustinere

In aniles fabulas hæc refer.

Dignitas & Ordo, inter 12 Remensis Ecclesiæ suffraganeas.

Testamentum Beati Remigij.

*al. Orros.

Nota Ordinē subsignātium Episcoporum.

* sc. Tornacensis & Nouiomensis.

nere non valens, quem olim amisit, sibi proprium efflagitat restitui. Anno siquidem Dei Christi Millesimo Nonagesimo Secundo, tertio Idus Augusti, defuncto Domino Gerardo Iuniore, Cameracensi Episcopo, qui & Atrebatensi Sedi, sic vtinam studuisset prodesse, quomodo contigit & praesse, praedicta Ecclesia interius & exterius miserabiliter afflicta, in aures Domini Romani Pontificis Vrbani, diutinum laborem & dolorem effudit. Ipse igitur Pater prudentissimus intelligens aduenisse tempus miserendi eius, habens verò potestatem, malè ordinata in pristinam reuocare dignitatem; Atrebatensi Ecclesiae liberam contulit potestatem; quatenus, secundùm Instituta Sanctorum Canonum, sibi proprium eligerent Episcopum. Tibi etiam venerande Pater Raynolde, vt electum consecrare non differas delegauit. Quòd autem eidem Ecclesiae Pastorem habere desideranti, eò quòd & Ciuitas sit, & valdè populosa, & aliquandò habuerit; Pastor restitui debeat, ex Sanctorum Patrum sententijs subsequentibus colligi potest. Indè enim in vna Epistolarum B. Clementis Papae sic legitur: Episcopos autem per singulas Ciuitates, quibus Petrus Magister meus nos miserat, prudentes & simplices nobis mittere praecepit. Vos autem per vestras Dioeceses Episcopos consecrate & mittite. In singulis verò Ciuitatibus, singulos & non binos vel ternos, nec in villis vel Castellis, nec modicis Ciuitatibus, ne vile nomen eorum fiat. *Hinc pulchrè prosecutum est in Sardicensi Concilio*; Episcopum esse ordinandum in his Ciuitatibus, quae Episcopos habuerunt, aut si qua talis, aut tam populosa Ciuitas est, quae mereatur habere Episcopum. *Indè etiam Felix, Episcopus Selemselitanus, in secunda Concilio Africano ita dixit:* Etiam, si hoc placet Sanctitati vestrae, insinuo, vt Dioeceses, quae nunquam acceperunt, non habeant, & ea Dioecesis, quae aliquandò habuit, habeat proprium. Et si accedente tempore, crescente Fide, Dei populus multiplicatus desiderauit proprium Rectorem habere, eius videlicet voluntate, in cuius potestate Dioecesis est constituta, habeat proprium Episcopum. *Ab vniuersis dictum est,* Placet. *Quòd autem praedictus Papa hanc rem laudabiliter definiuit, & in eius sit arbitrio coniunctos disiungere, & plures Episcopatus vnire, ex Beati Gregorij vitâ vel Registro colligitur, qui tres vel quatuor saepè vniuit, & saepè vnitos disiunxit. Indè etiam Felici, Episcopo Acropolitano ita scribit:* Quoniam Velma, Vnxentia, & Blandina, quae tibi in vicino sunt constitutae, Sa-

Atrebatum habuit olim proprium Episcopum.

Ex auctoritate Canonū debet reddi.

Iubet Pontif. Max. Atrebatẽsis Episcopi Ordinationem.

*tur. Ideoque omninò præcipimus, in Atrebatensi Ecclesiâ Episcopum ordinandum, nisi fortè eiusdem vrbis possessionem, Cameracensis Ecclesia valeat, Romanæ auctoritatis priuilegio, vendicare: Hoc enim iustitiæ ratio exigit, animarum dignitas postulat, Ecclesiæ honor implorat. Quòd si fortè * æmulorum vereris inuidiam, & obloquentium latratus, pro grauitate tua Religionis, horrescis; quemcunque in præfatâ Ecclesiâ, te annuente Clerus & populus secundùm Deum elegerit, ad nos cum communi decreto & solicitudinis tuæ litteris transmittatur: * nos cum diuinæ gratiæ adiutorio, saluo Ecclesiæ tuæ iure, eum tanquam Beati Petri manibus consecrabimus.*

* Nota.

* Nota.

Ad populum verò Atrebatensem, hoc modulo:

Alia Põtificis littera ad Atrebatenses.

VRBANVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, DILECTIS FILIIS CLERO ET POPVLO ATREBATENSI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Duo Ecclesiæ vestræ Clerici, Confratris nostri Reuerendissimi Remorum Archiepiscopi Raynoldi litteras afferentes, ante nostram præsentiam redierunt, pro restitutione Ecclesiæ vestræ suppliciter implorantes. Sustinuerunt autem Cameracensium aduentum, vsque ad tempus &c. Vt suprà.

Ad Episcopi Atrebatensis electionem venitur.

Hinc vtrisque Summi Pontificis litteris vtrimque communicatis, tandem seriò ad electionem venitur. Atrebatenses, Lilanos Beati Petri Canonicos, vt consilio opitulentur, conuocant, litteris hisce transmissis.

GVALBERTVS ATREBATENSIS ECCLESIÆ PRÆPOSITVS, CVM DECANO, * ET VNIVERSIS ECCLESIÆ FILIIS, DOMINO GVALTERO INSVLENSI PRÆPOSITO, DECANO,* ET COETERIS FRATRIBVS, SALVTEM ET DILECTIONEM IN NOMINE IESV.

* Guibertus vocabatur.

* Engelramnus ei erat nomen.

Tres Canonici Insulẽses ex D. Petri Collegio, ad eã exsequẽdam ab Atrebatibus vocantur.

Sicut Fratres dilectissimi, vobis non est incognitum, Ecclesia nostra, olim Cameracensium oppressione, prædijs suis & ornamentis, & omni terreno decore priuata, his diebus, quùm Domino Gerardo defuncto, Pastore careret, Apostolici Vrbani misericordiã adijt, suamque illi calamitatem anxia patefecit. Ipse igitur Pater prudentissimus, intelligens aduenisse tempus miserendi eius, vt sibi proprium Episcopum deligerent, denuntiauit. Quocirca, Fratres charissimi per Charitatem Dei & dilectionem proximi, & per amorem Sanctæ Matris Ecclesiæ, obtestamur & obsecramus, quatenùs ad hanc

electionem,

electionem, quam proximâ die Dominicâ statuimus finiendam, tres vel quatuor ex Fratribus vestris, qui nobis tanto operi, cooperante Spiritu Sancto, consilium & auxilium subministrent, dignemini transmittere, inter quos, præpulsâ omni occasione, Dominum Clarembolduм, Dominum Cantorem Lambertum, alium quoque Lambertum DE COMINES, *mittere elaborate. Valete.*

Nomina vocatorum.

Hinc sexto Idus Iulij, quæ tunc dies Dominica erat, Concione maximâ, in B. Virginis Atrebatensis Templo adgregatâ, communi omnium suffragio, Lambertus Patriâ Gisnensis, Morinorum Archidiaconus, atque Lilensis Ecclesiæ Cantor, Atrebatium Pontifex, inuitus licet, renunciatur: cuius consecrationem, quùm prolixiùs, quàm pro Atrebatium voto produceret Metropolitanus, Clerus P. Q. A. ad Romanum Pontificem hasce litteras, per Odonem Cantorem, & Ioannem Diaconum direxerunt.

Lambertus communibus Suffragijs Episcopus renuntiatur.

VENERABILI MAGNIFICOQVE TOTIVS SANCTÆ ECCLESIÆ PAPÆ VRBANO, DEVOTVS CLERVS ET POPVLVS ATREBATENSIS, ORATIONEM CONTINVAM ATQVE SVBIECTIONEM PRONA MENTE OMNIMODAM.

Gratias immensas Conditori ac Reparatori nostro, pleno corde agimus, omnium qui inspirando mouendoque cor tuum, hactenùs per multa annorum volumina, depressos gementesque visitare ac liberare dignatus es à iugo Nouercæ nostræ sc. Cameracensis Ecclesiæ vt ad pristinam libertatem Canonico rediremus scripto, & Apostolicâ auctoritate roborasti, testando Atrebatensem Ecclesiam vnam ex Nobilibus Ciuitatibus Remensis Metropolis, & principalem Sedem Episcopatus fuisse, suam Diæcesim & cætera Pontificalia iura habuisse; at vt secundùm sacros Canones nobis dignum Deo & hominibus, Pastorem eligeremus, præcepisti: quod & fecimus imitatione Sanctorum Patrum, ieiunio triduano, precibus lachrymabilibus, & eleemosynis nonnullis. LAMBERTVM *videlicet* GISNENSEM, *virum Religiosum, omnique honestate probum, corda fidelium lato fonte prædicationis irrigantem, ita vt à multis millibus piæ plebis clametur: Quia* Propheta magnus surrexit in nobis *& quia* Deus visitauit plebem suam. *Hunc itaque cathenâ obedientiæ tuæ vinculatum tenemus, præstolantes misericordiam Dei, à quo omnes procedunt benedictiones, per te nobis adimpleri. Nos etenim, Rector Sancte, vt iussit Clementia tua, obediendo tibi per omnia, bis misimus iam pro consecratione*

Atrebatium littera ad Summũ Pontificem.

Archiepiscopo Remensi Legationem, vt eum aut consecraret, aut cum litteris suis consecrandum tibi dirigeret. Ipse verò tuo Sancto Canonicoque præcepto differens obedire, dilationem innectit, animabus fidelium periculosam, ac nullâ ratione subnixam: vt dignitas tua præsentium Fratrum perpendere poterit relatione. Nunc igitur, Pie Pater, hac tam graui necessitate compulsi, ad te nostrum solum sub Deo refugium cogimur redire, vt quod Sanctè, Deoque dignè cœpisti, amore ipsius, cuius Sanguine sumus abluti, ne differas adimplere; idque humiliter petimus, vt summa obedientia infra terminum tuæ dispositioni placitum Archiepiscopo eum iubeas consecrare, aut adduci iubeas consecrandum dignitati tuæ, ne diuerticulando, iussio tua, iam tertiò Archiepiscopo iniuncta, ac in omnibus penè Galliæ partibus diuulgata, videatur annullari.

Raynoldus Archiepiscopus, Lamberti consecrationem differt, & conqueruntur hinc Atrebates

Ijs Atrebatium precibus Pontifex commotus, hasce, quùm ad Raynoldum, tum ad Lambertum Ecclesiæ Atrebatensis Electum transmisit. Priori quidem.

Litteræ Pontificiæ ad Raynoldum.

VRBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, REVERENDISSIMO CONFRATRI ET COEPISCOPO RAYNOLDO REMENSI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Raynoldus iubetur à Pontif. Maxi. Lambertum consecrare.

Quod de Atrebatensi Ecclesiâ constituimus, quò pro animarum salute multiplici, tum pro vestræ Metropolis redintegratione, tum etiam pro iustitiæ exhibitione perfecimus. Etsi enim Frater Fratri, Soror Sorori, vel annis minor, vel infirmitate defectior comittatur, non tamen idcircò, cùm ad emancipationem venerit vel tutelæ, eius curæ legationibus legalibus subiacebit. Grauamur itaque quòd huic nostræ constitutioni, & tuæ Metropolis restitutioni, tam diù tam obstinaciter restitisti, & Electum Atrebatensis Ecclesiæ consecrare vsque hodiè distulisti. Tuæ igitur Reuerentiæ præsentium litterarum auctoritate præcipimus, vt eundem Electum, postquàm has litteras videris, infra triginta dierum spatium consecrare procures, omni formidine semotâ, omni simulatione sepositâ. Quod si fortassis occcultiori aliquo consilio adimplere nolueris, eum ad nos cum litterarum tuarum astipulatione transmitte. Si verò & hoc contempseris, nos eum ad nos venire præcipimus, consecrationis gratiam recepturum.

Posteriori verò.

VRBANVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, DILECTO CONFRATRI ET CONSACERDOTI LAMBERTO, ECCLESIÆ ATREB. ELECTO, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Lætamur propter te in Domino Frater charissime, quia ipso disponente, in Atrebatensi Ecclesiâ, quæ tam diu, proprij Pastoris solatio caruit, nunc tandem secundùm nostrum præceptum, nouus Pastor electus es. Speramus etenim per diuinitùs tibi datam scientiam & Religionem, quorumdam vestratium relatione, nobis insinuatam, maximum eidem Ecclesiæ, & corporalium & spiritualium rerum commodum affuturum. Scire autem te volumus, de consecratione tuâ Archiepiscopo nos scripsisse. Tu igitur eius conspectui te præsentare procura. Quòd si ille infra triginta dies, postquàm nostras litteras acceperit, te consecrare noluerit, nos te quantociùs ad nos venire præcipimus. Interìm commissæ tibi Ecclesiæ bona interiùs, exteriùsque custodi. Data V. Id. Oct.

Huic Pontificis iussioni quùm acquieuisset Lambertus, atque Archiepiscopo sese stitisset, nec tamen imperatam consecrationem fuisset assecutus: tandem litteris ab Raynoldo, quibus à consecrationis dilatione se purgat, impetratis, quarum initium est; *Post directas primùm nobis à Paternitate vestrâ litteras &c.* itemq; ab Atrebatibus, quibus Pontificem, in cæteris deprecantur; *Simulque præcipiat Auctoritas vestra, vt diuisio duorum Regnorum, Francorum sc. & Teutonicorum sit Episcopatus nostri meta, sicut antiquis temporibus fuisse per successum, relationem, & alia indicia cognitum est*, Romam, Odone Cantore, Achardo Scholarum Magistro, & Drogone Albiniacensi Præposito, Comitibus, concedit, subitque feriâ 6. ante Dominicam, *Esto mihi in Deum protectorem*: vbì ab Vrbano humanissimè acceptus, atque Atrebatensis Ecclesiæ, Episcopus Cardinalis consecratus iniectum humeris onus præclarè gesturus, ad Ouile conuertitur, atque Atrebatensem Ciuitatem, varijs Summi Pontificis ad varios vtriusque Ordinis Principes & Præfectos litteris onustus, die Sanctæ Pentecostes, ingreditur. Litterarum has solas impræsentiarum delibabo.

Littera Pontificia ad Lambertum electum.

Iubetur Lambertus ad Raynoldum proficisci.

Obedit Lambertus.

Excusationis litteras ab Raynoldo, ad Pont. Max. accipit.

Etiam ab Atrebatibus.

Romam proficiscitur.

Episcopus Cardinalis ab Summo Pontif. consecratur.

Ad Atrebates reuertitur.

Pontificis Max littera ad Raynoldum.

VRBANVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, DILECTIS FRATRIBVS ET COEPISCOPIS, RAYNOLDO REMENSI ET SVFFRAGANEIS EIVS, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Cùm Atrebatenses Clerici Electum suum, cum decreto communi præsentiæ nostræ exhibuissent, nos eos apud nos integro mensis spatio retinuimus, Cameracensium præstolantes aduentum; si fortè aliquod munimentum afferrent, per quod Cameracensi Ecclesiæ Atrebatensis videretur esse subiecta. Ipsi autem sicut in præteritis terminis; ita & nunc, nec venerunt; nec caussas, cur non venerant, direxerunt. Nos igitur iustam omninò caussam Atrebatium perpendentes, & labores pro restitutione suæ Ecclesiæ iam diutinos Apostolicâ mansuetudine respicientes; Sanctorum Canonum Decretis, & Apostolicæ Sedis auctoritate muniti, Religiosum & sapientem virum Lambertum, quem ad nos deduxerunt, Beato Vedasto, & Sanctis alijs Pontificibus, qui in Ecclesiâ Atrebatensi quondam præsederunt, tandem largiente Dominò instituimus successorem, saluâ in omnibus Remensis Metropolis reuerentiâ, quam videlicet multis retrò temporibus imminutam, nunc tandem per humilitatem nostram, Omnipotens Dominus, in parte hac redintegrare dignatus est. Eum itaque ad vos, cum præsentibus litteris remittentes, Charitati vestræ attentiùs commendamus, rogantes ac præcipientes, vt ei ad redintegrandum commissæ Ecclesiæ statum, tanquam Confratri & Coëpiscopo sollicitè assistatis. Nos siquidem auctore Deo, legitimum, sempiternum statuimus, vt Atrebatensis Ecclesia Cardinali deinceps potiatur Episcopo. Quod annuente Deo & Religionis augmento, & animarum saluti, & temporali ipsius Ecclesiæ releuationi plurimùm credimus profuturum. Nunc tuæ sollicitudinis interest, Frater charissime Raynolde, qui tam Atrebatensi Ecclesiæ, quàm Cameracensi, Metropolitani auctoritate præsidere cognosceris, eos omnes qui secundùm priuilegij nostri tenorem, ad Atrebatensem videntur pertinere Paræciam, ad Atrebatensis obedientiam tuis litteris inuitare, & sententiam nostram tuis suffragijs prosequi, vt quicunque in duabus Archidiaconijs videlicet Atrebatensi & Obstreuadensi Clerici sunt, à professione Cameracensis Ecclesiæ absoluantur. Si qui verò obedire contempserint, quamcunque in eos sententiam ipse Episcopali moderatione dictauerit, firma permaneat. Data Romæ 8. Cal. April.

VR-

VRBANVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, DILECTO FILIO ROBERTO, FLANDRENSIVM COMITI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Eiusdem littera ad Robertum Flandriæ Comitẽ.

Magnâ tibi exultatione gratulandum est, quòd Ecclesiæ, quæ in tuâ ditione sunt, tuis temporibus, amissam recipiant dignitatem. Ecce enim Atrebatensis Ciuitas, quæ in Comitatu tuo principalis est, ex Apostolicæ Sedis auctoritate, Cardinalem recepit Episcopum. *Nota.* *Eum ergo, & ei commissam Ecclesiam, Nobilitati tuæ, litteris præsentibus commendamus, rogantes, & in peccatorum tuorum remissionem præcipientes, vt eum debitâ reuerentiâ venereris, tuearis, atque ad restituenda Ecclesiæ tuæ bona, auxilij tui Brachium modis omnibus porrigas. Data Romæ 2. Cal. April.*

Atque de his hactenùs.

Cæterùm non absonum spero futurum, si Remensium Archi-Præsulum ab BEATO REMIGIO qui Sanctum Vedastum nobis Episcopum dedit, ad-vsque dictum Raynoldum, qui proprium Episcopum nobis reddidit, Catalogum hîc subiunxero.

CATALOGVS ARCHIEPISCOPORVM REMENSIVM, AB S. REMIGIO *ad Raynoldum.*

SANCTVS REMIGIVS Galliarum Apostolus, obijt anno 541.

Romanus.

Flauius, Concilijs Aruernensi & Aurelianensi interfuit anno 559.

Malphinius.

Ægidius, consecrauit D. Gregorium Turonensem Episcopum; pòst deponitur, quòd conspirasset in Chilpericum Regem anno 597.

Ranulphus.

Sonantius, Remis Concilium habuit, cui interfuit Bertoaldus Atrebatensis Episcopus.

Leugillus, aliàs Gillo, quem aliqui volunt Ægidium superiorem esse, qui cum Rege Chilperico redierit in gratiã.

Engilbertus.

Lando.

B. NIVARDVS, aliàs VINARDVS. Huic dormienti

in B. Bercharij Abbatis gremio, columba cœlitùs delapsa aduolauit. Obijt anno 661.

B. REOLVS.

S. RIGOBERTVS Martyr anno 723. Hic à Carolo Martello, Sede pulsus S. Hilarij, Cœmiterium extra vrbem Remensem Sepulturæ Ecclesiasticorum deputauit. *Demochares*; Vide Baronij Nott. ad Martyrol. Rom. 4. Ian. Vbi non Martyr, sed Episcopus & Cõfessor nominatur.

Turpinus, vixit temporibus Pipini & Caroli Magni.

Vulfarius, Remis Synodum habuit ad petitionem Caroli Magni anno 813.

Ebo, Concilium celebrauit apud Theodonis Villam cum Suffraganeis anno 846. posteà Sede suâ pulsus est, quòd in Ludouicum Pium conspirasset. Indè factus est Episcopus Hildersemensis.

Hincmarus, vir doctissimus: Coronauit Ludouicum Balbum Regem anno 878. Ad hunc litteras dedit Nicolaus primus Pont. Max.

S. FVLCO Monachus Cœnobij Bertinensis, indè Abbas, quùm huius tùm etiam Beati Vedasti Atrebatensis. Nos de illo fusiùs hoc in opere, suis locis.

Heriuæus, al. Heruæus, anno 896. Rudolphum Regem Remis iunxit.

Sensus, al. Seulfus; obijt veneno propinato an. 925. *Vide Baronij Annales Ecclesiasticos.*

Artoaldus assumptus est in Remorum Archiepiscopum eiecto Hugone puero, Heriberti Comitis Filio, qui quinquennis anno Domini 925. eâ dignitate improbissimè fuerat donatus. Eiectus est autem Hugo anno Domini 933. Vide de his fusè in Baronij Annal. Mortuus est Artoaldus anno 961.

Odalricus; Hugonis cuiusdam Comitis Filius. Electus est fauente Lothario Rege cum Reginâ Matre, *Vide Baronium ad ann. 962.*

Adalbero; consecrauit Rotardum Episcopum Atrebatensem; obijt anno 975.

Arnulphus, Filius illegitimus Lotharij Carolensium Regis; hic ob fidem non seruatam suo prædecessori, Sede amotus est anno 990. *Vide de Arnulpho isto multa in Baronij Annal. tom. 10. ad an. 990.*

Ger-

Gerbertus; factus est posteà Rauennensis Archiepiscopus, indè Pontifex Maximus, dictus, immutato nomine, Syluester secundus, anno 992. obijt anno 998.

Eubaldus; habuit Concilium Remis, in quo pręsens fuit Gerardus primus, Atrebatensis Episcopus.

Guido; sacrauit Sanctum Lietbertum Atrebatensem Episcopum.

Geruasius.

RAYNOLDVS; de quo iam antè egimus, & in quo seriem istam abrumpimus.

Hoc ipso anno scilicet 1095. in Gallijs Concilium Claramontense celebratur; cui Lambertus Episcopus noster interfuit, & eius triginta duos Canones exscriptos Codice complexus est; ex quo totidem lineis Antonius Augustinus sic descripsit:

Anno Domini Christi millesimo nonagesimo quarto; * *mense Decembro, Decreta Domini Vrbani Papæ secundi, in Claramontensi Concilio data.*

Concilium Claromontanum, cui interest Lambertus. Codex Lamberti Episcopi Atrebatensis.

* quinto secundum Baronium.

1. *Statutum est vt omni die, & Monachi, & Clerici, & fœminæ, & quæ cum eis fuerint, in pace permaneant; tribus autem diebus, scilicet secundâ, tertiâ & quartâ, ab aliquo alicui illata non reputabitur pacis fractio; quatuor autem reliquis diebus, si quis alicui iniuriam intulerit, fractionis sanctæ pacis reus habeatur, & prout iudicatum fuerit, puniatur.*

Dist. 6. cap. nullus.

2. *Quicunque pro solâ deuotione, non pro honoris aut pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei, Hierusalem propensius fuerit, iter illud pro omni pœnitentiâ reputetur.*

Dist. 6. cap. 1.

3. *Vt nullus fiat Decanus in Ecclesiâ, nisi presbyter; nullus Archidiaconus, nisi Leuita.*

4. *Ne aliquis Clericus arma deferat.*

* Saltem.

5. *Vt nullus Laicus, Clericus, vel tantùm* * *Subdiaconus in Episcopum eligatur.*

6. *Vt nullus sibi præbendam emat: quòd si quis emerit, vel parentes eius illi emerint; in manum & dispositionem Episcopi se reddat. Hoc idem de Altari, & de omni Ecclesiastico beneficio fiat.*

7. *Vt Altaria congregationibus Canonicorum vel Monachorum, per personas data, mortuis personis libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta, vel priuilegia confirmata.*

8. *Vt nullus deinceps sepulturam exigat.*
9. *Vt nullus Sacerdos, aut Diaconus, aut Subdiaconus, sed & nullus qui Canonicam habet, fornicationis sibi copulam adiungat. Quòd si fecerit, à Canonicâ omninò arceatur.*
10. *Vt in domibus Clericorum nullas liceat habitare mulieres, nisi quas Sancti Canones permittunt.*
11. *Vt nulli filij concubinarum ad ordines, vel aliquos honores Ecclesiasticos promoueantur, nisi Monachaliter, vel Canonicè vixerint in Ecclesiâ.*
12. *Vt nulli Clericorum liceat deinceps in duabus Ciuitatibus duas prabendas obtinere, tùm duos titulos non possit habere.*
13. *Vt omnis Clericus ad eum titulum, ad quem primùm ordinatus est, semper ordinetur.*
14. *Vt nullus deinceps in vnâ Ecclesiâ geminos honores habeat.*
15. *Vt nullus Ecclesiasticorum, aliquem honorem è manu laicorum accipiat.*
16. *Interdictum est ne Reges vel alij Principes aliquam inuestituram de Ecclesiasticis honoribus faciant.*
17. *Ne Episcopus vel Sacerdos Regi, vel alicui laico, in manibus ligium fidelitatem faciat.*
18. *Vt nullus Presbyter Capellanus alicuius laici esse possit in confessione* sui Episcopi.* *sine concessione.
19. *Ne laici decimam partem de laboribus suis retineant, & sicut nec debent retinere, ita nec accipere.*
20. *Vndè & interdictum est omnibus laicis ne ampliùs Altaria, vel Ecclesias sibi retineant.*
21. *Ne aliquis laicus alterius sibi hæreditates vsurpet; quòd si quis fecerit, nec reus satisfecerit, nullus Sacerdos eum interim ad pœnitentiam admittat.*
22. *Similiter nec alium quemlibet, nisi perfectam confessionem fecerit, verbi gratia, vt si* perpetrato homicidio, manserit in adulterio, vel huiusmodi; ad perfectam pœnitentiam minimè recipi debere decretum est. Attamen consilium damus, vt ieiunet, & eleemosynas det, vt ad veritatis viam possit reuerti.* *al. de perpetrato homicidio confessus fuerit manserit in adulterio.
23. *Vt nullus Christianus à capite Ieiunij, vsque ad Pascha carnem comedat.*
24. *Ne fiant Ordines,* nisi quatuor certis temporibus, & Sabbatho mediante Quadragesimâ: & tunc protrahatur ieiunium vsque ad vesperas, & si fieri potest, vsque ad crastinum, vt magis* *ordinationes.

apparеat in die Dominico Ordines fieri.

25. *Ne filij Presbyterorum, Diaconorum, vel Subdiaconorum, Canonicorum, ad ordines, vel alios honores Ecclesiasticos promoueantur, nisi Monachus vel Canonicus fuerit.*

26. *Vt in Sabbatho Sancto protrahatur ieiunium circa noctem.*

27. *Vt semper fiat ieiunium Veris in primâ Hebdomadâ Quadragesimæ. Ieiunium verò AEstatis, infra Hebdomadam Pentecostes.*

28. *Ne quis communicet de Altari nisi* CORPVS *separatim &* SANGVINEM *similiter sumat, nisi per necessitatem & per cautelam.*

29. *Si quis ad aliquam Crucem in viâ persequentibus inimicis, confugerit; liber, ac si in ipsa Ecclesia permaneat.*

30. *Quòd si quis pro securitate Ecclesiæ, vel prædictæ Crucis aliquod crimen peregerit; & ad Ecclesiam, vel Crucem confugerit, accepta securitate vitæ & membrorum, reddatur iustitiæ.*

31. *Ne aliquis Clericus res Episcoporum, vel Clericorum in vita, vel post mortem eorum diripiat, vel in vsus proprios conferat. Quòd si quis fecerit, Anathema sit; & dictum est ab omnibus.* FIAT.

32. *Si quis Episcopum ceperit & incarcerauerit, perpetuæ infamiæ subiaceat, vlteriùs arma non exerceat. Et clamatum est ab omnibus.* FIAT. Hactenùs Canones, & eorum exscriptor, adeoque adsertor Lambertus noster: Antonius verò Augustinus, qui ex Lamberto hausit, ista adiecit: *Hæc sunt inuenta in libro Lamberti Episcopi Atrebatensis, ante quadringentos annos scripto: quæ quia in promptu erant, mittenda putaui.*

Ioannes 39. Bertinensium Antistes è viuis recedit; eiusque corpus in Claustro ad Capituli ingressum telluri mandatur, anno Regiminis decimo quarto eiusmodi inscriptione coniuncta:

Quarta dies Martis, mortis singultibus artis
Clara suis annis clausit pia gesta Ioannis:
Cuius peccatis parcendo tuæ pietatis
Munere sidereis hunc iungas Christe choreis:
Et sis ei merces qui iusto cuncta coerces
Vt cui congaudet, gaudens per sæcula laudet.

Illi in eandem Præfecturam successor iuit Lambertus, multis partibus commendabilis vt singillatim recenset Iperius. *Lambertus Abbas S. Bertini.*

CHRISTI AN. 1096. *Profectio ad sacrũ bellum contra Turcas.*

ANNO 1096. Turcis bellum sacrum indicitur. Expeditioni ex nostris interfuere Godefridus Bullonius, Bononiensis Comitis Filius atque idem Lotharingiæ Dux, cum Fratribus Eustathio & Balduino, Robertus Flandriæ Comes, Hugo Sancti Pauli etiam Comes cum Engerranno Filio; Gulielmus Audomarensis cum Galtero & Hugone Fratribus, Vago Atrebas, Ioannes Atrebatium Aduocatus; Robertus * Aduocatus Bethuniensis &c. pars Principes, pars Optimates; vt cæteros sileam, ab Iperio & Meyero in Chronicis allatos, Exercitus ad sexcentum millia Peditum, Equitum centena millia constabat. *Vide Lipsij Monita Polit. l. 1. c. 2. monit. 2. num. 4.*

VRBAN. 2. PAPÆ AN. 9.

* Vide Bethuniam Andreæ Hoij, Duaci, Typis Bogardianis an. 1598. excusam; vbi quid eius aduocatia. & aduocati; item hîc, ad an. 1070.

CHRISTI AN. 1097 *Synodus Atrebatensis Eligianis Monachis vtilis.*

ANNO 1097. 21. Octob. Synodus Atrebati in Beatæ Virginis Basilica cogitur, cui intererant Lambertus Episcopus & præses, Clarebaldus Ostreuandensis Archidiaconus, Aloldus Sancti Vedasti, Hamericus Aquicinij, Albertus Hasnonij, Ioannes Montis Eligiani, Richardus Marcenarum Abbates; Odo Præpositus, VVibertus Decanus, Robertus Magister Scholarum, Anastasius Cantor Ecclesiæ Atrebatensis, alijque. In ea Lambertus Episcopus celebre Priuilegium Eligiani Montis Cœnobio impertijt. Id, vt cognoscas Lector, subiungo:

VRBAN. 2. PAPÆ AN. 10.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, VNIVS, VERI ET SVMMI DEI. AMEN.

Lantbertus Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, suis successoribus præsentis vitæ lætitiam, & futuræ gloriam. Legimus in gestis Atrebatensis, Cameracensisque Ecclesiæ, Dominum Fulbertum earundemque Vrbium Episcopum, Corpus Beati Vindiciani de terra eleuasse, eoque in loco, qui Mons videlicet Sancti Eligij dicitur, Ecclesiam, priore destructâ, reædificasse, de titulo Apostolorum Petri & Pauli, vbi Clericos & stipendia, vnde viuerent, constituit, & eos hac libertate donauit, vt nullius potestati subiacerent, nisi solius Episcopi. Post mortem verò eius, cœperunt diatim à seruitute Dei tepere, Ecclesiaque vsque ad tempus Domini Lietberti Episcopi, declinare. Quam destructionem ipse vir misericordiæ ægreferens, vt ita dicam, alter Samaritanus eius miseriæ condoluit, ac secum tractare, quomodo id in melius repararetur, cœpit: cui consilium tali negotio congruum ille ministrauit, qui hoc velle cordi eius infudit; nam ibi Clericos Regulares de communi viuentes, suorum consi-

lia fidelium ordinauit, eisque Abbatem suæ professionis præfecit, vndè facto priuilegio suos precatus est Successores, vt eos promouerent, & fierent adiutores. Libertatem quoque Ecclesiæ, ac possessionum suarum denuò confirmauit, & Altare DE HVCHIN eâ conditione ibì dedit, vt singulis annis in Festiuitate Sancti Remigij 12. denarios soluat, & deinceps ab omni redemptione liberum faciat. Altare quoque DE RODRICOVRT ita dedit, vt sine personâ permaneat. Dominus quoque Gerardus Prædecessor meus, Successor suus in NOVILLA* & MEDIANA-VILLA*, sine personis dedit Altaria, saluo iure Episcopi, & redditus eius, & consuetudinibus Archidiaconi eius. Hæc omnia ego Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, tibi Reuerendissime Frater & Fili Ioannes Abba, omnibusque in eo, quo es, loco & Ordine, propter Religionem tuam Successoribus tuis, religiosè & communiter victuris, sicut superiùs determinatum est, firma & inconuulsa permanere concedo. Concedimus etiam suo in tempore, cùm opus fuerit inibì Canonicis religiosè, & absque proprietate viuentibus, cum consilio & Auctoritate Atrebatensis Episcopi, licentiam eligendi, iuxta timorem Dei, & sacros Canones, Magistrum & Abbatem. Quòd si huiusmodi officij idonea persona ibì inuenta non fuerit, assensu Episcopi sui & consensu, eligant de alio Monasterio, virum Religiosum, Ordinis & professionis suæ, in Magistrum & Abbatem sibi præficiendum. Post hæc verò deducatur ad Episcopum: & suscipiat de manu eius temporale beneficium loci, & curam animarum, & Abbatis benedictionem. Hisque beneficijs ALTARE DE REBROVIIS*, precatu Domini Clareboldi militis adiungo, ita vt duas tantummodò solidos, in Cœnâ Domini, ad seruitium Episcopi persoluat, de cætero totum redigatur sub Abbatis Dominio. Huius rei testes, Dominus Ioannes Archidiaconus, Dominus Clareboldus Archidiaconus, Odo Præpositus, VVibertus Decanus, Fratresque cæteri totius congregationis Sanctæ Mariæ semper Virginis. Dominus igitur Clareboldus, huius rei hortator, nullum alium penitùs hæredem facere volens, quàm ECCLESIAM REBROVIENSEM, totam quam in vicinio habet hæreditatem, ibi dedit, ita vt ipse supradictus Abbas, ad honorem Dei & Sanctæ Mariæ semper Virginis, ipsum locum per Clericos suos detineret, & prout res exterior augeretur, seruitium Dei intùs cresceret. Dedit videlicet in BARAFLO integrum molendinum & vnius Carrucæ terram, & quinque hospites, & in DAHELLICVRT quartam partem & siluam ibi attinentem.

Eligiano rum Ascetarum priuilegia & possessiones confirmantur.

* Gal. Noeuuille.

* Gal. Moyenuille.

* Gal. Rebreuue. Est hodiè Prioratus.

Huius rei testes iterum duo Archidiaconi, Ioannes videlicet & Clareboldus, & totus Ecclesiæ Atrebatensis Conuentus, Dominusque Aloldus Abbas Sancti Vedasti; Philippus Frater Comitis Roberti, Clementia Comitissa Flandrensis, Robertus Aduocatus; Baldricus in COLHEM, *Frumoldus de Insulâ, hoc igitur datum, & si quis aliud legitimè dederit, qui vsurpare præsumpserit, & in prauos vsus redigere tentauerit, canonicæ excommunicationi subiaceat. &c. Ego Lambertus Dei miseratione Episcopus Atrebatensis hoc libertatis donatiuum relegi, subscripsi, & in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, propriâ manu confirmaui. Actum Atrebati in Synodo, in Basilicâ Beatæ Mariæ semper Virginis Dominæ nostræ, anno videlicet Dei Christi 1097. Indictione 5. 12. Cal. Nouemb. &c.*

Non absimiliori Priuilegio Lambertus, iisdem die & anno, Aroasianos Religiosos prosequitur. Est eiusmodi:

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI, VNIVS, VERI, ET SVMMI DEI. AMEN.

Priuilegium Aroasianis Monachis ab Lamberto etiam concessũ.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, gaudens de Religiosâ Conuersatione tuâ, Reuerendissime Frater & Compresbyter Cono, desiderio desideramus paci & quieti tuæ, tam præsentibus temporibus quàm futuris prouidere. In aduentu enim tuo, & bonæ memoriæ Domini Heldemari Magistri & Consacerdotis tui in Aridagamantia, in Parœcia nostra, quæ dicitur ROCHENNIES, *locum vobis ad seruiendum Deo elegistis; qui sicut aliquando fugiendus, velut spelunca latronum fuit, nunc per Dei visitationem & tuam, & Fratrum tecum habitantium, factus est refugium & solatium ibi transeuntium. Vndè & te in eo, quo es, loco & Ordine, & Successores tuos religiosè & canonicè inibi victuros, hac donamus libertate, vt tantùm Episcopo respondeatis, & in manu eius, in libertate spiritus permaneatis. Contradimus etiam tibi & per te legitimis Successoribus tuis, cum Fratribus inibi religiosè & absque proprietate viuentibus atque victuris, in augmentum pacis & quietis loci tui prædictam Parochiam* ROCHENNIES, *sub respectu duodecim denariorum in Cœna Domini, ad seruitium Episcopi. Si autem aliquando, quod absit, antiquo hoste instigante, in prædicto loco vel Parochia, tale quid acciderit, pro quo reconciliatio necessaria fuerit, tibi legitimisque Successoribus tuis, vice nostra, accepta aqua sanctificationis, & reconciliationis, vt ea reconcilies, Religioni vestræ annuimus & impertimus. Si autem prædictus locus,*

largiente

largiente Domino, ad tantam copiam rerum, & seruorum Dei ibi commorantium excreuerit, vt Prælatum eligere debeant, liberam habeant potestatem, cum consilio & auctoritate Atrebatensis Episcopi, eligendi sibi Magistrum & Dominum iuxta timorem Dei, & Instituta Sanctorum Canonum. Postmodùm verò deducatur ante Episcopum, & accipiat temporale beneficium loci, & curam animarum, & Prælationis benedictionem. Rogamus ergo in Domino, tam præsentes Fratres nostros, quàm & Successores Episcopos nostros, & Sanctorum Canonum auctoritate interdicimus, & nostrâ, ne quis hoc donatiuum libertatis violare aut corrumpere præsumat. Si quis scienter huius nostræ institutionis priuilegium infregerit, excommunicationi subiaceat. &c. Actum Atrebati in Synodo &c. vt suprà.

Quia Roberti Comitis nostri tempora impræsentiarum deducimus; non perperàm facturum me arbitror, si ex Molano subiunxero, quod sequitur: *Fors fuit vt Princeps ille noster Audomaropoli aliquandò cum Flandriæ Nobilibus, & alijs vtriusque Ordinis proceribus hæreret, inter quos aderat Sanctus Godefridus Ambianensis Pontifex: à quo Sacrificium offerri rogauit Comes, in Natalitio Christi die. Post lectionem autem Euangelij, vir Dei, omnium dona reiecit, qui instar muliercularum intonsâ erant comâ. Quo facto permanebantur. Sed agnitâ Pontificis auctoritate, certatim cultris & gladijs (forfices enim aberant) pilos sibi amputabant, miseros se putantes, si propter comas, tanti viri benedictione priuarentur. Cuius facti fama mox totâ Galliâ increbuit, Beatum Godefridum in aliena ditione & in Principes ausum, quod alij Antistites, in suis Sedibus, & in extremis homuncionibus aut negligant, aut non ausint. Vndè ei reuerentia accessit apud Comitem totamque multitudinem*. Molan. 8. Nouemb.

In prolixam Cæsariem notabile exemplū.

Vidè non absimilia exempla in Baronij Annal. tom. 2 ad ann. 186. & de Capillis suprà ad an. 449.

Porrò is B. Godefridus Ambianensis Episcopus, Monasterio Sancti Martini de Campis, iuxta Parisios, Ecclesiam Ligniacensem concessit; estque hodiè non ignobilis Artesiæ Prioratus, in cuius Templi Odeio Iacobus de Brimeu eius loci & Grigniaci Regulus (quem Philippus Bonus instituto Aurei velleris Ordine primis Equitibus accersiuit) sub Cenotaphio marmoreo quiescit. *Vide infrà ad annum 1429.*

Prioratus Ligniacensis.

PASCHALIS SECVNDI PAPÆ AN. I.

CHRISTI AN. 1099.

ANNO 1099. Godefridus, vrbe Hierosolymitanâ ex Turcarum faucibus, singulari Dei benignitate, ereptâ, Regis Terræ Sanctæ splendido titulo insignitur, quòd om-

Godefridus Bullonius superatis Turcis, Hierosolymam recipit, ac S. Terræ Rex acclamatur.

nium primus in muros transcendere non reformidasset. Hinc Prouincias eiusce tractus recognoscens, in reliquis Hugoni Audomarensi Tyberiadem regundam concredidit. Hîc singulare humilitatis exemplum in Godefrido notandum venit, quòd quamquam illius tractus Rex fuerit institutus; nunquam tamen regium diadema capiti suo imponi permiserit, indignum ratus eo in loco, aureo fulgore redimitum apparere; in quo Rex Regum Christus Dominus coronâ spineâ, pro mortalium salute fuerat cruciatus. *Iperius, Meyerus, & ipse Molanus prolixè in Natal. 15. Iulij, quem consule.*

Prouincias partitur.

Godefridi Regis humilitas.

Pulso * Gerardo Morinorum Episcopo, atque altero Atrebatium defuncto, magna rursus in Teruannicis dissensio commouetur. Erchembaldus quidam vir Nobilis atque eruditus & in Sancti Audomari Canonicus, à Collegio electus, plebeculæ frequenti deterritus seditione, induci non potuit, vt dignitatem acciperet. Quare alij duo electi, Obertus Helchinensis & Ioannnes Archidiaconus Atrebatensis, atque Montis Beati Eligij Monachus: quorum Ioannem, precante Clementiâ, Roberti Principis nostri Coniuge, atque Lantberto Bertinico Abbate; Romanus Pontifex confirmauit. *Iperius, Balduinus, Meyerus, &c. Vide infrà an. 1130.*

Alter Morinorum motus, in electione Episcopi.

* Vide suprà ad an. 1081.

ANNO 1100. Godefridus Bullonius, egregius Terræ Sanctæ recuperator atque Rex, vitâ defungitur, eique in Regnum, electione successit Balduinus Frater, Comes Edessanus. Sepultus est, sicut & Frater è regione Golgothæ in Ecclesiâ Dominici Sepulcri, vbi humilis Princeps humile habet Cenotaphium, cui Epitapium hoc incisum.

CHRISTI AN. 1100. *Bulloni9 Rex moritur.*

PASCH. 2. PAPÆ AN. 2.

HIC IACET INCLYTVS DVX GODEFROY, DVC DE BVILLON, QVI TOTAM ISTAM TERRAM ACQVISIVIT * CVLTV CHRISTIANO; CVIVS ANIMA REGNAT CVM CHRISTO. AMEN.

Eius Epitaphiũ

* For. *Cultui.*

Molanus in Natt. 15. Iulij; & Iperius, qui hoc alterum eius Elogium in scriptis prodit:

AEgypti terror; Arabum fuga; Perfidis horror;
Rex licet electus, Rex noluit intitulari;
Nec diademari, sed sub Christo famulari,
Cuius erat cura Sion sua reddere iura,

Mirificum

Mirificum sidus, Dux hic recubat Godefridus:
Catholicéque sequi sacra dogmata iuris & aqui:
Sic & cum superis potuit diadema mereri,
Militiæ speculum, populi vigor, anchora Cleri.

Porrò Godefridi genus, paulò altiùs repetere hîc lubet. Illi nempe fuit

ATAVVS

Gulielmus, Ponthiuensis Comes. *Eiusdem genus.*

ABAVVS

Erniculus, Gulielmi Filius, quem Lotharius Gallorum Rex, quo iure, quâ iniuriâ, Bononiæ Comitem instituit, anno 964.

PROAVVS

Adolphus Ghisnensium Comes; cui Machtildis Erniculi Filia & hæres, vxor obtigit.

AVVS

Rodulphus Bononiæ Comes, Adolphi & Machtildis Filius, atque Rosellæ, Comitis Sancti Pauli Filiæ, Maritus.

PATER

Eustathius Rodulphi atque Rosellæ Filius, Bononiæ Comes, qui ex Idâ Godefridi Lotharingiæ Ducis sorore, atque Stephani, primùm Antistitis Cassinatis, indè Pontificis Maximi Nepte, hunc nostrum Godefridum, eiusque Fratrem Balduinum suscepit. *Vide Meyerum, Tilletium, Molani Natales, Paulum Æmilium lib. 4. aliosque.* VVatenense Castrum, non procul Audomaropoli, Natalis illi locus fuit. Educauit Bononia, loco, vbi hodieque visitur Sancti VVlmari, Bononiæ olim Comitis, Monasterium: de quibus latiùs Richardus VVasseburgius, Virdunensis Archidiaconus, in Antiquitatibus Belgicis.

Robertus Princeps ex bello sacro redux, S. Georgij Brachiũ Aquicinctinis impertit.

Robertus Princeps abs Hierosolymis huc ad suos regressus, Brachium Sancti Georgij, quod ab Alexi Imp. Constantinopoli acceperat, Aimerico Aquicinctensium Cœnobiarchæ dono tradit. *Sigebertus in Chron. Miraus in Auctario Originum ad c. 41.* &c. Ibidem habetur Pes alter Beatæ Marthæ, & Annulus, quo traditur Deipara Virgo Iosepho desponsata. *Molanus in Natt. 16. Octob. Vide Mariale nostrum l. 5. c. 31.*

Pes B. Marthæ & Annulus connubialis Virg. Deiparæ.

Per hæc circiter tempora, Monasterium Sanctæ Ma-

Ruisse-uillense Monasterium instauratur.

riæ in nemore, iuxta * Ruissellí villam, à Nobili Heroe Ramelino *de Crecquy* anteà constructum (temporis etenim primæ structuræ memoria certa nulla) & opibus ab eodem donatum, atque multis ornatum, Aroasiensis Ordinis recens instituti regulam excepit. Eius hi ordine feruntur Abbates.

* Gal. *Ruisseauuille*, est in Comitatu S. Pauli.

SERIES ABBATVM MONASTERII RVISSELLIVILLANI.

Ordo Abbatum eius loci.

PRimus Dominus HENRICVS.
2. Fulbertus.
3. Thomas.
4. Matthæus *de Dammard*.
5. Gerardus.
6. Vuillelmus.
7. Eualterus.
8. Stephanus.
9. Robertus.
10. Ioannes.
11. Vuillelmus.
12. Emerardus; al. Euerardus; præfuit deindè Monasterio Aroasiensi, *Vide infrà, ad an. 1172.*
13. Ægidius Frideuallius.
14. VValterus.
15. Gilbertus.
16. Milo; indé Morinensis Episcopus, hoc nomine secundus, ordine tricesimus primus; vt scribit Chronographus Affligemensis ad ann. 1158. & referunt Cœnobij huius tabulæ siue instrumenta MSS. *Vide infrà ad annum 1159. & 1169.*
17. Balduinus; indè Episcopus Nouiomensis.
18. Lambertus.
19. VValbertus 2.
20. Petrus.
21. Oudardus à Summo Pontifice promotus circa annum 1292.
22. Robertus Madidus, in Sancti Martini Iprensis Præpositus, obijt anno 1302.
23. Ioannes *de Chauni* obijt anno 1359.
24. Robertus *Polon* Ariensis, obijt anno 1385.
25. Balduinus Hericurtius, obijt an. 1416.
26. Michael Verduræus; obijt an. 1460.
27. Gulielmus *Gloriant*: Is Cœnobio non parùm profuit, obijt an. 1476.
28. Reginaldus *Venault*.
29. Ioannes *Maubailly*. Et hic res Monasterij auxit & ornauit, obijt ann. 1006.
30. Hector Slinghius obijt an. 1515.
31. Nicolaus Pratanus; obijt an. 1531.
32. Philippus Marcenellius; obijt

obijt an. 1552.
33. Hadrianus Harlinus.

34. R. D. Philippus *de Lannoy*, hodiè superstes.

Ex Catalogo quodam seu serie Abbatum eius loci; in quâ singulæ eorum effigies sunt depictæ, iunctis quorumdam insignibus gentilitijs. Vndè animaduertere est antiquitatem eius Cœnobij, maximè ex Milone decimo sexto Antistite; quem Meyerus anno 1169. obijsse tradit. *Vide infrà eodem anno, item 1121. & 1159. & Mariale nostrum lib. 3. cap. 89.* *Eiusdem Cœnobij antiquitas.*

Ingelramnus, Hamensis Cœnobij (de quo suprà ad annum 1084.) fundator, vitæ vsuram relinquit; atque ibidem in Claustri ambitu sepulcrum init marmoreum, adfixo iuxtim parieti eiusmodi Elogio:

Hic flos militiæ; Paridis gena; sensus Vlyssis:
AEneæ pietas; Hectoris ira iacet.

Ex litteris D. Maximiliani Dostreolani, ibi Prioris.

Lambertus Episcopus missis ad Paschalem Pont. Max. litteris, Strumensis Monasterij iura confirmari magnoperè rogat. Videamus: *Lambertus Episcopus ab Pont. Max petit confirmari res Strumensis Monasterij.*

REVERENTISSIMO DOMINO ET PATRI PATRVM CHARISSIMO, PASCHALI PAPÆ, LAMBERTVS DEI MISERATIONE ATREBATIVM EPISCOPVS, CONTINVAM SPIRITVS SANCTI CONSOLATIONEM.

Soror & Filia, nostra Ecclesiæ Abbatissa F. * *præsentium Latrix, multùm rogauit per nos Sanctitati vestræ commendari. Rogamus ergo Paternitatis vestræ dulcedinem, quatenùs præsentem Abbatissam, in eo, quo nunc est, loco, professione & ordine, pondere vestræ Auctoritatis, saluo in omnibus iure & canonica dispositione Atrebatensis Episcopi, confirmare dignemini. Locum Monasterij, qui dicitur* STRVM, *& Altare de* HAMART-VILLA, *sicut prædecessor meus Domnus Gerardus Episcopus concessit, & scripto suo consignauit; nos quoque spe & amore Religionis, huic præsenti Abbatissæ, succedentibusque sibi Abbatissis, in Monasterio quo nunc esse dignoscitur, regulariter electis, canonicè promouendis, & absque sæculari strepitu victuris possidendas concedimus. Cæteras autem res & possessiones iustè acquisitas & acquirendas, propter infestationes & deprædationes prauorum hominum, nihilominùs corroborare velitis. Sancta Trinitas, Deus noster, solicitudinem vestram*

* *i. Fulgendis.*

diutiùs custodiat incolumem, pro Ecclesia Sancta, Catholica laborantem & orantem.

Ecclesia Aroasiẽsis Monasterij instauratur.

Aroasienses Monachi euerso priore Oratorio ligneo, (de quo ad annum 1090.) Venerabilis Cononis industriâ Ecclesiam ex quadrato lapide construunt, quam Godefridus Ambianensis, & Ioannes Teruannensis Episcopi, Lamberti Atrebatensis permissu & rogatu, anno 1106. IX. Cal. Octob. consecrarunt. *Monn. MSS. eius loci.*

Prioratus Rebreuuiẽsis fundatur.

Pendet ab Eligiensi Cœnobio

Clarembaldus, vir genere & virtute clarus, Lothinghemij Dynasta; annuente Lamberto Pontifice nostro, Prioratum Rebreuuiensem, non procul Housdano in Artesijs hodiè municipio, situm exædificat; atque censu, qui Barafflia legeretur, ornatum, Regularibus Canonicis, ex Beati Eligij Monte euocatis iugiter excolendum impertit. Eum locum cesserat Clarembaldus an. 1097. *Vide suprà Lamberti Priuilegium eod. an. 1097.*

Prioratus Perroensis initia.

Pendet ab eodem Eligiano Cœnobio.

Robertus Bethunæorum Aduocatus, Sacellum nostræ Dominæ* Perroensis ad Bethuniensis opidi muros, non minore pietate collocat. Indè coniunctis ad Religionis formam, per Gulielmum Roberti Filium & hæredem, Ædibus; atque annuo non spernendo vectigali attributo; Ascetis in Beati Eligij Monte agentibus, illuc intromissis cessit, vbi sub Priore, Christo Domino, eiusque Beatissimæ Matri deseruirent.

* Gall. du Perroy.

CHRISTI AN. 1101.

Monasterium Bertinianum ad Cluniacense institutum reformatur.

PASCH. 2. PAPA AN. 3.

ANNO 1101. Lambertus Bertinensium Antistes, consilio Ioannis Episcopi Morinensis, & Roberti Hierosolymitani Principis, institutum seu reformationem Cluniacensem in Asceterium suum introducit. Quâ verò ratione, audiamus ex Iperio: *Anno* CIↃ. CI. *Ioannes Episcopus Morinensis, Romam ad Papam tendit: cum quo Lambertus noster Abbas se proficisci simulans, iter arripuit, & Monachum, quem secum assumpserat, sub custodiâ reclusit, in Cellâ quâdam Cluniacensi. Idem verò Lambertus Cluniaci remansit, professionem fecit, & eorum Ordinem didicit. Tandem Episcopo Româ sine Abbate reuerso, Monachi nostri semel, iterùm ac tertiò Abbati Lamberto mandant vt veniat. Redeunti quidam obediunt, sed maior pars obedire recusat. Tunc ipse clàm vocatis militibus suis, rebelles cepit, & in diuersis Ecclesijs dispersos inclusit. Regebat tunc Cluniacum vir Sanctæ memoriæ Hugo Abbas; per cuius licentiam Lambertus de diuersis Cluniacensium Monasterijs Religiosos viros huc adduxit, &*

hic

hic Ordinem introduxit, anno Domini millesimo centesimo primo Quibus strictè & religiosè viuentibus, residui Sithienses, metu rigoris disciplinæ, fugâ lapsi per diuersa sparguntur. Nec ob hoc cessauit hic opus Dei. Nam nouo Religionis feruore, plures huc affluxerunt; ita vt in breui plusquàm centum viginti Fratres adessent. Hactenùs ille.

Tertio Idus Aprilis, eiusdem anni, Indict. 13. Henricus Vedastini Monasterij Antistes, Aloldi Successor, medietatem viuarij, quod DE BRONES nostri indigetant, ab Aloldo Abb. Pontifici Lamberto concessam, eiusdem iuris facit, cessionemque confirmat; vt constat ex eius rescripto, cuius initium est: *Ea quæ à Prædecessore meo Domino Aloldo, viro Religioso* &c. *Viuarium DE BRONES, iuxta Atrebatum.*

Iisdem temporibus, graues controuersiæ quùm iterùm exortæ essent inter Atrebatensis Ecclesiæ Canonicos & Vedastinos Ascetas, ob veteris & noui Burgi (vt tunc vocabant) terminorum distinctionem, nec facile posse quiescere viderentur: Paschalis Pontifex, multis sæpè tentatis, tandem selectis duodecim arbitris omne negotium commisit, quorum sententiæ intra quadraginta dies vtrimque acquiesceretur. Eorum hæc fuere nomina: *Difficultati exortæ inter Canonicos Atrebat. & Monachos Vedast. soluendæ studetur.*

1. Hugo Maior;
2. Dodo de Hastis;
3. Guazselinus, &
4. Gonzselinus, Fratres;
5. Fulco, Anselmi Filius;
6. Hiluinus, Filius Adelfridi.
7. Guazselinus Miles;
8. Girardus Saracenus;
9. Gerboidus, Pater Balduini;
10. Theobaldus, Filius Boneuitæ;
11. Heribertus;
12. Aganus; omnes Atrebatensis municipij Ciues.

Duodecim Arbitri deputati.

Pontificij diplomatis hoc initium erat: *Paschalis Episcopus, seruus seruorum Dei, bonis viris Hugoni Maiori,* &c.

Eodem anno apud Alciacenses, institutum Cluniacense, eiusdem Lamberti operâ, pariter est introductum. Iterùm dicat Iperius: *Lambertus Abbas noster duabus primarijs Ecclesijs huius Diœcesis, scilicet Morinensi & Sithiensi, reformatis; totum se Cluniacensibus indulgens, ad vicinas Ecclesias reformandas mentem intendit, oportunitatem nanciscens, nunc ex Ecclesiarum vacationibus, nunc ex Monachorum dissensionibus, Anno* *Alciacense Monasterium ad Cluniacense institutum reformatur.*

*itaque millesimo centesimo primo, Ecclesiæ Alciacensis (cui de iure, consuetudine, ac priuilegio consueuit, & debet ex isto Monasterio * Abbas prouideri) Lamberto Abbate defuncto, Odonem Cluniacensem Monachum, virum exemplarem Alciacensibus Abbatem præfecit. Qui ibidem multa per Religionis aduersarios aduersa perpessus, illis fugientibus, ipse cum viris timoratis, sibi adhærentibus, idem Cœnobium ferè viginti annis, secundùm Regulam, & exteriorem abundantiam honorificè rexit.* Ita Iperius.

* Vide suprà ad an. 716.

Porrò eiusdem Monasterij, ex quo reformatum, Cluniacensis Ordinis Regulam admisit, hi reperiuntur ex allegato Iperio Abbates:

SERIES ALIQVOT ABBATVM MONASTERII ALCIACENSIS.

1. ODo, Monachus Cluniacensis; præfuit annis circiter viginti.
2. Simon, præfuit hîc annis nouem; indè Bertinicis Abbas est datus anno 1130.
3. Godescalcus, præfuit annis 40. obijt an. 1170.
4. VVarinus, hic non toto anno Sede sua exactus.
5. VVillielmus Hospitalarius Bertinicus.
6. Simon 2. qui deindè, anno sc. 1209. Marchianensis Cœnobij dictus est Antistes.
7. Ioannes de Bethuniâ: quo pòst paulò dignitati nuntium mittente, dictus Simon Marchianensibus relictis, ad priorem Præfecturam est regressus.
8. Ioannes Alardi; sedere cœpit anno 1210. rexitque annos quatuor supra quadraginta.
9. VVillielmus *de Nieles*. De reliquis nil habeo.

Monasterium Aquacurtense erigitur.

Aquæcurtense Monasterium in finibus Artesiæ, ad Austrum non procul Aroasiâ, per Odonem Eremitam & Presbyterum initia sua excipit; Templo ad Beatæ Virginis honorem primitùs exstructo. Quem quidem locum Lambertus Pontifex vectigalibus ornauit; priuilegiumque Monachis sicut & Aroasiensibus indulsit, proprium coaptandi Abbatem, accedente Atrebatensis Pontificis consensione.

Priuilegium vnum hoc reperio, hoc anno datum.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. AMEN.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis Episcopus; gaudens de religiosa conuersatione, & Heremitica vita tua Reuerendissime Frater & Compresbyter Odo, desiderio desideramus paci & quieti tuæ, tam præsentibus temporibus, quàm & futuris prouidere. Vndè iustas petitiones tuas, & Balduini Decani nostri pio affectu prosequentes, & te & Successores tuos, Religiosè & Canonicè inibi victuros, hac donamus libertate, vt tantummodò Episcopo respondeatis, & in manu eius, in libertate spiritus permaneatis. Ecclesiam itaque illam, quam deuotio tua ædificauit, in loco solitudinis, qui dicitur Ayulcurtis tibi & Successoribus tuis, in proposito Religionis perseuerantibus, liberè possidendam contradimus, & curam animarum Confratrum tuorum Heremitarum tibi committimus, & decimam agri eidem Ecclesiæ circumiacentis, quam Fratres Heremitæ incolunt, annuimus. Rogamus autem in Domino tam præsentes Fratres nostros, quàm & Successores Episcopos nostros, & Sanctorum Canonum auctoritate interdicimus, & nostra, ne quis hoc donatiuum libertatis violare aut corrumpere præsumat. Si quis scienter huius nostræ institutionis priuilegium infregerit, excommunicationi subiaceat, quoadusque resipuerit, & Ecclesiæ Dei satisfecerit. Fiat. Fiat. (à Synodo acclamatum.) Actum Atrebati in Synodo, in Ecclesiâ Beatæ Mariæ semper Virginis. Anno Dei Christi 1101. Indict. 7. 17. Kal. Nouemb. &c. Priuilegiis ab Lamberto Episcopo ornatur.

Totius consessus signa fuere apposita, in quibus signum Canonis de Aridagamantiâ.

Cæterùm Aquæcurtensium Antistitum Catalogum hîc ex ordine contexamus.

SERIES ABBATVM MONASTERII AQVÆCVRTENSIS.

1. BEATVS ODO; eum Lambertus Episcopus consecrauit. * obijt anno circiter. 1142.

* Vide infrà ad an. 1144.

2. Simon. Hunc Aluisius Lãberti Successor ordinauit. Dies eius obitus in annum. 1162. cecidit.
3. Fulco. Hic Sacellanus fuit Alexandri 3. Pont. Max. præfuitque annis 25. hinc an. 1187. est è viuis euocatus.
4. Guilbertus, anno 1187. institutus.
5. Gerardus.
6. Odo 2.

7. Martinus.
8. Balduinus, Maioris Ecclesiæ Aquæcurtensis constructor.
9. Richardus.
10. N.
11. Guido.
12. Hugo.
13. Fulco.
14. Petrus Canelius.
15. Odo Hangestius.
16. Ioannes 1.
17. Simon.
18. Parisius *de Villers.*
19. Ioannes * Nouiomensis 2.
20. Bertramus *de Tilleloy.*
21. Ægidius 1.
22. Theobaldus.
23. Droco * Turnetus, al. Guilhertus.
24. Petrus Turnetus 2.
25. Ioannes 3.
26. Ægidius 2.
27. Petrus 3.
28. Droco 2.
29. Petrus 4.
30. Radulphus Martinus.
31. Alexander de Porta.
32. Petrus *l'Escuyer.*
33. Ioannes *le Vasseur.*
34. Petrus *Courcol.*
35. Petrus Bonifacius, Aroasiensis Monachus: huic Courcolius loci Præfecturam cessit.
36. Arturus *de Tabary.*
37. Hadrianus *de Habarcq* Asceta Vedastinus.
38. Iuo Dalurius, Montis Eligiani Canonicus.
39. Antonius *de la Hamaide* eiusdem Montis Canonicus.
40. Ioannes * de Cruce.
41. Ioannes Boulanus, superioris Ioannis anteà Coadiutor.
42. Michael Dailletius, Monasterij sui Ecclesiæ instaurator, eâ ipsâ formâ quâ hodiè paret. Obijt an. 1607.
43. R. D. Hubertus Moronuallius hodiè superstes.

* Gal. *de Noyon.*

* Gal. *Tournet.*

* Gal. *de la Croix.*

Ex rescripto quodam G. Gazæi. *Vide infrà ad an. 1145.*

Suis etiã priuilegijs Eligiani donantur.

Idem Lambertus Ascetis Eligiani Montis, ius contulit, proprium Abbatem (Ioanne adhuc viuente) Canonicè eligendi, vt liquet ex eius rescripto ad Paschalem Papam, quo eius loci priuilegia confirmari postulat. Ibì inter cætera sic legitur: *Precamur etiam vt eum * & Successores eius, in eo loco, in quo nũc est, & Ordine, priuilegio vestro, & res Ecclesiæ legitimè datas, canonicè possessas, vel (Domino miserante) donandas confirmetis. Concessimus etiam Canonicis ibi regulariter, & absque proprietate viuentibus & victuris, canonicam electionem, abeunte Abbate, faciendam, saluo in omnibus iure Atrebatensis Episcopi.*

* *Ioannes Abbas.*

Vide

Vide suprà ad annum 1097.

CHRISTI AN. 1101. ANNO 1102. Haimericus tertius Aquicinctensis Abbas, de medio tollitur, eique Gelduinus sufficitur. *Sigebertus*. PASCH. 2. PAPÆ AN. 4.

Eodem anno Paschalis Summus Pont. hæc Altaria Ascetis Vedastinis confirmauit, quæ Lambertus Episcopus Aloldo Abbati sicut Filio suo primogenito, an. 1098. concesserat. *Altaria Vedastini Monasterij confirmantur.*

SALGY, REMY, PABVLÆ, GVARLVISC, GAVERELLE, NOVEVILLE, FLORBAS, HINDECVRT, BASILICÆ, FISCAV, BVSCARIAS, ISIR, LEVENTIES, ASCHEEL, BOINVILLES, BAIRY, BERTRICVRT, TEVLVTH, FELCI, HADAS, HAMESELS, FONTENELLIS, BIGARTII, MOFFLAINES, VI, MONS, DAGINVILLE, ATEIAS, HAMBLEG, IMERCVRT, CONTEHAM, NONILELLÆ, BERNIVILLE, BAILVL, FRASNE.

Ex dicti Pontificis ad Aloldum Abbatem Nobiliacensis Cœnobij diplomate, Dato Laterani, Non. Martij. Indic. 10. An. Christi 1102. Exscripsi ordine & Ortographiâ, quibus eo in diplomate legebatur. Subscripsit ipsemet Paschalis manu propriâ.

CHRISTI AN. 1104. ANNO 1104. Adloldus 40. Vedastinorum Antistes abit è viuis: eiusque in locum Henricus surrogatur, De illo, sic apud Vedastinos: *Henricus initâ Prouinciâ demortui Antistitis nonnullâ ex parte æmulatus est studium, sedulus in rebus augendis & conseruandis: in augendis quidem mediocriter, in tuendis multò diligentior. Rebus confirmandis tulit à Paschale 2. aliquot diplomata, quæ poposcerat. A Balduino Securi, & Carolo Bono, Fland. Comitibus, curauit confirmari ius vectigalium, Domui Vedastinæ debitorum. Huiusmodi in rebus non negligens, in tuendâ pietate, supra quàm vigilantem decebat Pastorem, habitus remissior. Reformatum ideò hoc Monasterium à Lamberto Abbate Bertinico, anno 1109. Aluisiusque Monachus Bertinicus additus Henrico, ab eo secundus, vt torpentem excitaret, proroganti aliàs Præfecturam in annum sacratissimi partus 1130. quo excessit è viuis, quàm præfuisset annos 26.* Chron. Vedast. Vide infrà ad annum 1109. PASCH. 2. PAPÆ AN. 6. *Henricus Abbas Vedastinus.*

Hermes Bertinensis Monachus, ab Roberto Comite nonus Bergensis datur Abbas; vir pietate, prudentiâ & litterarum cognitione spectabilis: qui non modò res Ber- *Bergense Monasterium ab Bertinicis reformatur.*

gensium auxit, verùm etiam Ascetarum mores ad sanctioris vitæ genus reduxit; adiuuantibus Lamberto Bertinensium Præsule, Clementiâ Comite, & Bruno, seu Brunone Summi Pont. Legato. *Meyerus lib. 4. Annal. Vbi plura caussâ etiam reformationis allatâ.*

CHRISTI AN. 1105. *Cereus Atrebatensis cælitùs allatus. Eius in furentem ignem virtus. Decrementi est expers. Pyramis quâ reclusus. Annua Atrebatium ad B. Virginis processio & oblatio.*

PASCH. 2. PAPÆ AN. 7.

ANNO 1105. Atrebati in Cathedrali Templo; Cereus ille per Orbem Belgicum memoratissimus, duobus Histrionibus seu Citharedis (Ioculatores Iperius vocat) Iterio Paulinati, & Normanno Brabantino, ab ipsâ Deiparâ cælitùs affertur, ardenti igni (de quo ad an. 1092. & alibì diximus) extinguendo promptissimum & singulare remedium. Ex quo quidem Cereo nihil hactenùs imminuto, quin, licet sæpè ardeat, mirificè aucto, multi alij Cerei conflati fuerunt; velut Brugensis, Falcobergensis, Bononiensis, Nigellanus, Arkensis, Blēdecanus, &c. *Iperius, Meyerus, Molanus in Natt. 6. Febr. Anselmus Gemblacensis, Bersacius, Gazæus proprio tractatu, & nos non semel in Mariâ Augustâ.*

Porrò Cereus iste Atrebatensis, Nobilissimâ Pyramide, medium fori minoris occupante (erecta fuit anno 1215.) reclusus, pompâ admodùm solenni, ad Cathedralem Ecclesiam annuè defertur, ac redditis ibì votis, cereisque duobus, pondo quadraginta librarum oblatis, in opidum refertur ad proprium Sacellum, Dominicâ die, infrà Octauam solemnitatis Corporis Dominici.

CHRISTI AN. 1106. *Leprosorum ædes ad S. Audomari fanum construitur.*

PASCH. 2. PAPÆ AN. 8.

ANNO 1106. VVinradus, vir quem opulentia à pietate non auerteret, Hierocomium iuxta Fanum Audomari, elephantiacis & leprosis excipiendis, assentiente Lamberto Bertinico Antistite, construit, Ecclesiolâ ornat, censu annuo locupletat. *Bresinius tom. 1. Chron.*

Hoc anno litteræ datæ fuerunt ad Eustatium Comitem Bononiensem, per Lambertum Episcopum confirmantes fundationem Ecclesię Lensiensis. *Habes suprà ad annum 1028. Vide ibì.*

CHRISTI AN. 1107. *Cella seu Monasterij Dunēsis Ecclesia per Morinēsem Episcopū dedicatur.*

PASCH. 2. PAPÆ AN. 9.

ANNO 1107. Ioannes Morinorum Episcopus Dunensem Cellam (quæ postmodùm celebre Ordinis Cistertiensis Monasterium fuit) à Ligerio Anachoretâ in littore Furnensi, loco solitario & arenoso, constructam, ad Beatæ Virginis honorem consecrat *Iperius, Meyerus, &c.*

Eodem anno Concilium Trecense*, conuenientibus Atrebatium, Morinorum, Ambianorum, & Parisiensium

* Gal. *Troye en Champaigne.*

Episco-

Episcopis adgregatur. In eo specialis mentio de Sancti Mauritij Atreb. Capellâ seu Ecclesiâ facta est, definitumque prout habetur in litteris Lamberti Episcopi ad Paschalem Papam. Adsunt ipsa verba:

Concilium Trecense cogitur, in quo de S. Mauritij Parœciâ Atrebatensi tractatum.

De Parœcianis verò nostris circa Capellam Sancti Mauritij commanentibus caussa habita fuit in Trecensi Concilio, præcepto vestro, coram Cardinalibus & Episcopis Morinensi, Ambianensi, Parisiensi, alijsque Religiosis & Synodalibus personis; & ibi ab eis iudicatum fuit, vt Presbyter Sancti Mauritij in die Sancto Paschæ, Pentecostes, & Natalu Domini, qui nullam curam, per Episcopum gerit in populo, prædictis Parochianis Sacramenta Corporis & Sanguinis Domini nequaquam illis dare præsumeret, nec oblationem eorum susciperet. Per cæteros autem dies anni, si quis ei spontaneas oblationes conferre voluerit, non contradicimus, si tamen excommunicatus non fuerit. Sed & iudicatum est, vt Presbyter Sanctæ Mariæ Matricis Ecclesiæ, qui curam eorum per Episcopum gerit, & confessionem suscipit, & omnem Parœcialem solicitudinem gerit, Sacramenta etiam Corporis & Sanguinis Domini in diebus prædictis, eisdem Parœcianis traderet. Nos verò vestigia Sanctorum Patrum sequentes, &c.

Nodum saluit Summus Pōtifex.

Hisce Lamberti scriptis, Paschalis id in cæteris dedit responsi: *Nuper friuolam inter vos quæstionem ortam audiuimus de populo videlicet Capellæ Sancti Mauritij, quod in præcipuis Festiuitatibus, in Capella ipsa Dominici Corporis & Sanguinis non debeant sufficere Sacramenta. Quod profectò friuolum atque irtionabile omninò videtur, vt populus qui ad diuina officia, in loco ipso, per totum annum admittitur, in solennibus diebus, à Communione Dominici Corporis & Sanguinis excludatur. Nisi fortè interdictus sit, aut aliquo crimine teneatur. Præsentibus ergo litteris dilectionem vestram monemus, vt à quæstione eiusmodi desistatis, nec &c.*

Quæstio.

Ex his oriri insignis illa Quæstio possit, de Conciliorum & Summorum Pontificum veritate, & horum an istorum sit maior auctoritas. Verùm quia de his dicere non est præsentis instituti, cupitum Lectorem ad Scholasticos Doctores relego; in quibus abundè satisfecerit Illustrissimus D. Robertus Bellarminus R. E. Cardinalis, Tom. 2. Controuersiarum Quartâ, lib. 2. de Conciliorum auctoritate.

Eadem tempestate Paschalis iterùm ad Lambertum rescripsit, de Officio Parœcianorum Cathedralis Ecclesiæ

Ad quid obligati Matricis Ecclesiæ B. Mariæ Atrebatēsis Pareciani.

Atrebatensis: & inter cætera: *Parochiani omnes Matricis Ecclesiæ Beatæ Mariæ tam infra quàm extra Atrebatum, eidem Matrici Ecclesiæ primitias, decimas, oblationes solennes, & cætera Parœcialia iura persoluant; illi videlicet Parœciani, qui ab ipsa Matrice Ecclesia Baptismum, doctrinam, sepulturamque percipiunt. Dignum est enim vt ab eis carnalia metantur, quibus spiritualia seminantur. Quòd si reddere noluerint, à Canonicis & Canonicorum Presbyteris, qui super ipsos curam gerunt, per Episcopum coerceantur. Ab illis Sacerdotibus Parochiani ipsi ad communionem admittantur, qui eorum Confessionem suscipiunt, & curam gerunt.* &c. Hactenùs Paschalis.

Rogerius Adelæ maritus 2. moritur.

Moritur Rogerius, Apuliæ & Calabriæ Dux, Adelæ Roberti Frisij Flandriarum Comitis viduæ, maritus. *Meyerus, & suprà ad an. 1093.*

Brabantia præclaro Ducatus titulo donatur, eiusque primus Dux Gothfredus dictus est. *Diuæus lib. 8. Brabant. capite primo.*

CHRISTI AN. 1108. Pistrina & Aquagia Bertinēsium. — *PASCH. 2. PAPA AN. 10.*

ANNO 1108. Lambertus Abbas Bertinensis, Monasterij sui pistrina, siue moletrinas componit, atque Hydromilis (Latinè molas, vi fluminis rotatiles dicimus) instruit; simulque eiusdem loci aquagia seu aquæductus in varias officinas dirigit non sine sumptu. *Bresinius.*

Translatio Corporis S. Hūfridi.

Eodem anno Idib. Aprilis, transfertur Corpus Sancti Hunfridi Episcopi, à Ioanne etiam Episcopo Morinorum.

Obit Ioannes Montis Beati Eligij, primus Antistes, posteaquàm quadraginta per annos Cœnobio suo laudabiliter præfuisset. Subsequitur Runardus (fortè Richardus) atque annis duobus supra viginti, eandem Prouinciam administrat.

CHRISTI AN. 1109. Præfecturà Spontanea abdicatio. — *PASCH. 2 PAPA AN. 11.*

ANNO 1109. Golduinus, siue, vt aliqui pingunt, Gelduinus, quartus Aquicinctini Cœnobij Abbas, oneris cum dignitate coniuncti pertæsus, positâ Prælaturâ, simplicem apud Bertinianos agit Monachum. De illo sic Sigebertus: *Anno 1109. Gelduinus quarto loco Aquicinctini Abbas, fastidiens onus Regiminis, potiusque eligens otium olìm acta reclusionis, reliquit curam animarum, & iterum effectus est reclusus apud Sanctum Bertinum. Cui successit in curâ Pastorali Rotbertus eiusdem Cœnobij Monachus.* Hactenùs ille in Chronico. Eiusdem meminit Lud. Bresinius.

Reformatur Monasterium Sancti Vedasti per Rober-

tum Comitem, & Lambertum Abbatem Bertinianum. *Meyerus in Annal. Iperius & Chronicon Vedastinum; ex quo vide quæ suprà notaui ad annum 1104.*

Gulielmus Roberti Comitis Filius, annos natus octodecim, Ariæ vitâ defungitur, atque Audomaropolim delatus in Beati Bertini, pro arâ maximâ est tumulatus. *Cuius sepultura* (scribit Iperius) *artificiosè composita, ex lapillis minutissimis diuersorum colorum; opere musaico, quasi depicta foret, armato milite fuit decorata.* Sic ille. Eadem ferè habent Meyerus & Bresinius.

CHRISTI AN. 1110. ANNO 1110. Balduinus Roberti Hierosolymitani Filius, in vxorem ducit Agnetem, Alani Britanniæ Comitis Filiam. *Marchantius*, &c. PASCH. 2. PAPÆ AN. 11.

CHRISTI AN. 1111. ANNO 1111. Robertus Hierosolymitanus, Flandriæ Comes, quùm Meldos in Normanniâ Anglis addictos obsidione stringit, atque erumpentes in vrbem fortissimè repellit; ante portam suffosso equo effusus vulneratusque, tertio pòst die, Gulielmi Filij consors efficitur, atque Atrebati in Beati Vedasti, Ludouico Crasso, Gallorum Rege, multisque principibus funus prosequentibus, anno principatus decimo nono, sepelitur. PASCH. 2. PAPÆ AN. 13. *Roberti Principis casus. Sepultus est Atrebati in S. Vedasti.*

Elogium Roberti scito Poëtices lepore panxit Philippus Meyerus, Iacobi pronepos; ad cuius calcem, ipso loquente Roberto sic ponit: *Eius elogium.*

Arma fremens, nuper muris affixa, refigo,
Postremùm digitis corripienda meis.
Scilicet obsidio Meldos dùm cingimus hostes,
Signis collatis conserimusque manus:
Me sonipes tergo ruptis excussit habenis,
Membraque protriuit calcibus icta suis.
Sic ego Mauortis qui mille pericula fugi,
Fortiter in Syriâ dùm pia bella gero.
Ecce miser patrijs occumbo casus in aruis,
Et tumulor Templo, magne Vedaste, tuo.
Heus quicunque subis Atrebatia fana Vedasti,
Manibus ad tumulum fausta precare meis.
Funere qui leuo quondam Roberte peristi,
Viue Deo; cinerem terra leuisque premat.

Sic ille.

Titulo vtebatur isto: EGO ROBERTVS DEI MI- *Titulus.*

SERICORDIA, FLANDRENSIS MARCHIO, ROBERTI AGNOMINE FRISONIS FILIVS. Hic ex Clementiâ, Gulielmi Burgundiæ Comitis Filiâ, atque Roberti Galliarum Regis Pronepte, Calixtique secundi Papæ Sorore, Balduinum, qui successit, Gulielmum, qui, vt ad an. 1109. diximus, Patrem morte præuenit, & Philippum, proles suscepit.

Proles.

Porrò Clementia quùm intra tres annos, eóque minùs, illos tres natos enixa esset, sterilitatem fertur accersisse, ne prole numerosâ grauaretur. Quæ res illi pessimè vertit; quùm Filijs demùm omnibus superstes, grauiter defleret, alios quàm suam progeniem Flandris imperare. *Marchantius.*

Sterilitas accersita.

BALDVINVS SECVRICVLA XII. FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. IIII. — *PASCH. 2. PAPÆ AN. 13.*

BALDVINVS cognomento SECVRICVLA, Patris dimissos honores excipit, initiaturque duodecimus, Princeps Flandrorum. Hic Atrebati paternis expletis exequijs, Crasso Gallorũ Rege præsente, Flandriæ proceres, *quòd nonnulli* (scribit Meyerus) *contemnere viderentur eius imperium, non modò in suam fidem, verùm etiam in domesticam pacem iure iurando adegit; testatus de quibuslibet pacis fractoribus grauia se sumpturum supplicia.* Sic ille. Leges quas publicæ, vt vocabant, seu communis pacis firmandæ ergò, in Comitijs Iprensibus tulit, feruntur istæ:

Balduinus Securicula Princeps noster, studiosus pacis.

NEMO ALTERIVS ÆDES NOCTV INSILIAT:
NEMO IGNEM INIICIAT, AVT MINETVR:
QVI SECVS FECERIT, MORTE PVNITOR.
CVNCTI ARMIS FERENDIS ABSTINENTO; PRÆTER BAILLIVOS, ARCIVM CVSTODES, SIMILESQVE PRINCIPIS OFFICIARIOS.

Leges pacis ab eo promulgantur.

VVLNERA CÆDESQVE, POENA TALIONIS COMPENSANTOR; NISI NECESSITAS INCVLPATÆ TVTELÆ ADFVERIT, QVAM REVS CRIMINIS PROBABIT DVELLO, AVT AQVÆ IGNITIQVE FERRI PVRGATIONE. &c. Quæ purgatio, vt cæteras leges omittam, vulgaris vocabatur: existimabant enim Deum, quia æquissi-

Purgatio culpæ per ignem.

æquissimum Iudicem, nequaquam permissurum, vt qui insontes essent, sententiæ licet Iudicis acquiescentes, iniuriæ aliquid ab externis, ijs pœnis sustinerent. *Vide infrà ad ann. 1138.* De purgatione per ignem præclarum habes exemplum apud Baronium, in Epistolâ Florentinorum ad Alexandrum secundum Papam; de Petro Papiensi, qui per Simoniam ad Florentinam Sedem conscendisse, falsò deferebatur; anno 1063. Aliud exemplum non minùs stupendum videre est in Appendice, ad magnum Speculum exemplorum Ioannis Iunioris, exemplo primo; prodijt in lucem anno 1603. Duaci, Typis Belleri, suppresso nomine Auctoris. Item apud I. Lipsium, lib. 2. Monitorum & exemplorum Politicorum; c. 9. Moniti 2. numero 3.

Securiculæ cognomen recepit, siue ab summâ legum seueritate, siue quòd veterum Galliæ Regum, Clodouæi imprimis exemplo, securim manu gestare consuesset. *Vnde Securiculæ cognomen.*

Ad hanc porrò seueritatem legum, Securiculam compulit furum latronumque licentia, quæ Hierosolymitano Patre in Asiâ militante plurimùm incruduerat. Neque in decernendis quàm exsequendis promptior fuit. *Nam in quosdam Nobiles* (verba sunt Marchantij) *mercatorum exterorum spoliatores, suâmet operâ manibusque, in prætorio VVinedalio vindicasse* * *perhibetur. Et Petrum Orscampi Dominum, ob duos boues paupercula viduæ reclamanti abductos, in feruentem in foro Brugensi tinctoris lebetem (falso monetario puniendo destinatum) præcipitari iussit ocreatum, petasatum, gladiatum, eoque habitu, quo ad Principem subitò euocatus aduenerat, interrogatusque & crimen fassus fuerat.* Hactenùs ille, & conformiter Meyerus, alijque non pauci, qui ferè omnes ex Iperio hauserunt; apud quem sic lego: *Inter cætera facta iustitiæ, militem, qui pauperculam de duabus vaccis prædauerat, captum duci fecit Brugis; & rogantibus amicis ne suspenderetur, aut excæcaretur, Comes annuit. Sed cacabum cum aquâ feruenti præparari fecit, militemque vt erat vestitum, & gladio accinctum, in eo proijci & bulliri fecit ad raptorum terrorem. Item alios decem milites, qui in nundinis Toraltensibus mercatorem prædauerant: captos recludi fecit in quadam domo. Cognatis eorum rogantibus pro eis, respondit se velle loqui cum eis: sicque domum cum aliquibus de suis introiuit; & vt illos suspenderent, iussit. Renuentibus eis pro timore amicorum, dixit raptoribus: si quis vestrùm, socios suos suspenderit, euadere poterit:*

Quid ad Legum seueritatem Securiculam impulerit.

Duo memoranda eius exempla.

* *Se suspendio.*

 quod

quod vnus illorum citò compleuit. Tunc illum Comes cum cordâ ad collum eius & ad trabem ligatâ, super scamnum stare compulit: ipseque Comes scamnum cum pede propulit, & sic ille suspensus mansit. &c. Sic Iperius.

Confirmantur bona Bertinensiũ.

Idem Comes Poperingæ donationem ab VValberto Arkensi Comite anno 668. Monasterio Bertinensi factam confirmauit. *Iperius.*

Lambertus, Episcopus Atrebatensis, Altare de Moncellis (Gallicè *de Monceaux*) Ecclesiæ Beati Petri Insulensis, in grati animi Mnemosynon, lubens impertit. Adsunt eius litteræ:

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, VNIVS, VERI, AC SVMMI DEI. AMEN.

Lamberti Episcopi in Beati Petri Lilani Collegiũ adfectus & donũ.

Ego Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, pro semper reuerendâ mihi Ecclesia Beati Petri Apostoli de Insulâ, dilectione, pro renouandâ quoque & confirmandâ Fraternâ dilectione, & mutuâ societatis, precum & orationum instantiâ, pro tuâ etiam dilecte in Christo Frater Lamberte DE COMINES, *& quorundam Fratrum nostrorum interuentione, concedo Ecclesia Beati Petri de Insulâ, Altare de Moncellis, saluo in omnibus iure Atrebatensis Episcopi, & Ecclesiasticis consuetudinibus Ministrorum eius, liberum ab omni turpis lucri exactione, hac interpositâ conditione, quatenùs pro Ecclesiâ Beati Petri, vos dilecte Frater Lamberte, qui nunc obedientiarius estis de Moncellis, & futuri Successores vestri, Personatum absque omni emptione & venalitate, gratis de manu Episcopi suscipiatis, & Synodali tempore, Cathedraticos & Synodales redditus, Archidiacono & Decano & ministris Episcopi hilariter præparare & soluere studeatis, & ad Synodum venire non negligatis. Adÿcimus etiam vt Ecclesia Beati Petri, per vos, Presbyterum idoneum Episcopo Atrebatensi præsentet, qui ei obedientiam promittat, & de vita sua honestate, sicut Canonicum est, professionem faciat. Ac deindè curam in populo de Moncellis gerendam gratis suscipiat. Vt ergo huius nostræ paginæ scriptum, inconuulsum & stabile permaneat, ad hoc corroborandum fideles & idoneos testes subnotare procurauimus. S. Clarembaldi Atrebatensis Archidiaconi, S. Roberti Ostreuandensis Archidiaconi, S. Odonis Præpositi, S. Droconis Decani, S. Anastasÿ Cantoris, S. Roberti Scholastici, &c. Ego Lambertus miseratione Atrebatensis Episcopus, huius nostræ paginæ scriptum relegi, sub-*

ſcripſi, & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti propriâ manu confirmaui. Actum Atrebati anno Domini Christi millesimo, centesimo, vndecimo; Indictione quartâ. &c.

Robertus quintus Aquicinctenſis Monaſterij Præſul, ægrè ferens quorundam ſæcularium inſectatione, creditam ſibi Eccleſiam agitari, ſimulque quòd id facinoris ſibi imputaretur, accepto conſilio iſtâ ſe dignitate exuit, Aluiſo (qui poſtmodùm Atrebatium Epiſcopus fuit) ei ſuccedente. *Sigebertus.*

Spontanea Præfectura abdicatio.

CHRISTI AN. 1112.

PASCH. 2. PAPÆ AN. 14.

ANNO 1112. Golduinus ex Abbate Aquicinctino, factus, Præfecturâ ſponte abdicatâ, Monachus Bertinianus, (vide ad ann. 1109.) audiens * Pontium Abbatem Cluniacenſem, magno cum virorum & mularum centum Comitatu Audomaropolim appetere, vt ius ſibi Succeſſoribuſque ſuis à Lamberto Bertinico Abbate, anno 1101. (vide ſuprà) conceſſum confirmaretur, indigniſſimè id ferens, in Angliam traijcit: Vbi pòſt paulò vitæ terminum attigit. *Iperius, Breſinius*, &c.

* Romæ in Summi Pontificis carcere interijt. *Iperius, pag. 132. col. 2.*

Non æqua Bertineſium ſubiectio.

Prioratus Sancti Georgij, hodieque apud veteres ruinas Heſdinenſis opidi, abs anno fundationis ſuæ 1072. perſiſtens, Aquicinctinis Monachis per Ioannem Morinorum Epiſcopum attribuitur.

Prioratus S. Georgij Heſdinenſis Aquicinctinis conceditur.

Paſchalis Summus Pontifex eam ceſſionem miſſo ad Aluiſum Abbatem diplomate, ratam fixam habuit. Eſt illud eiuſmodi:

PASCHALIS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, DILECTO FILIO ALVISO, ABBATI AQVICINENSIS MONASTERII, EIVSQVE SVCCESSORIBVS REGVLARITER SVBSTITVENDIS:

Littera Pontificia.

*Officij noſtri nos hortatur auctoritas, pro Eccleſiarum ſtatu ſolicitos eſſe, & quæ rectè ſtatuta ſunt, ſtabilire. Proindè venerabilis Fratris noſtri Ioannis * Morinenſis Epiſcopi ceſſionem vobis veſtroque Monaſterio factam, litteris præſentibus confirmamus. Is enim Beati Georgij Martyris Eccleſiam, iuxta Caſtrum Heſdinium ſitam, tibi tuiſque Succeſſoribus, in Cellam omni tempore poſſidendam conceſſit & aſſertione Chirographi confirmauit, cum omnibus videlicet terris, pratis, ſiluis, aquis & molendinis, vel alijs quibuſcunque redditibus, quæ tam ab Ingelramno Comite, & Ernulfo Heſdinenſi, & Nicolao Milite, quàm & ab alijs Fidelibus ei-*

* *Sedere cœpit anno, 1099.*

Fundatores Prioratus S. Georgij Heſdinenſis.

dem Ecclesiæ collata sunt. Siquidem idipsum Prædecessor suus, bonæ memoriæ Gerardus, Canonicorum Ecclesiæ suæ consilio & voluntate concesserat, idipsum igitur & nos præsentis Decreti auctoritate sancimus, saluâ nimirùm Terüannensis Ecclesiæ iustitiâ, sicut supra dicti Episcopi Chirographo delibatum agnoscitur. Altaria quoque duo sc. de FRAISNOITH *&* HVBY, *sicut ab eodem Episcopo supradictæ Ecclesiæ S. Georgij concessa sunt, concedimus, & decreti præsentis auctoritate firmamus. Porrò sepulturam eiusdem loci, ab omni exactione liberam fore decernimus, vt eorum, qui illic sepeliri deliberauerunt, deuotioni, & extremæ voluntati, nisi fortè sint excommunicati, nullus obsistat. &c. Data Laterani 13. Cal. Iul. Indict. 5. Incarn. Dominicæ an. 1112.* Hinc miror Sigebertum eam cessionem ad ann. 1093. reuocare, quandoquidem dictus Episcopus Ioannes anno demùm 1099. sedere cœperit.

Ius ibi sepulturæ.

ANNO 1113. Paschalis Pont. Max. dictam Lamberti Abbatis Bertinici cessionem Cluniacensibus factam irritat. Diplomatis initium est: *Ad hoc nos disponente Domino.* &c. Vide Iperium.

CHRISTI AN. 1113. *Bertinensium dicta subiectio irritatur à Papâ.*

PASCH. 2. PAPÆ AN. 15.

Gertrudis Roberti Frisij Flandriæ Comitis Filia, Theodorici Alsatiæ superioris Lantgrauij Coniunx, atque Theodorici Elsatij Flandriæ Comitis Mater, vitâ defungitur, atque Furnis sepelitur.

ANNO 1115. Lambertus Atrebatium Episcopus migrat è viuis non sine opinione Sanctitatis; atque in Cathedrali Æde, eo loco, vbi sacer ille Cereus ioculatoribus duobus ab ipsâ B. Virgine fuit datus, sepulturæ mandatur. E regione Marmoreum stat monumenrum parieti impressum; in quo delati eius Cerei cernitur historia, & in ambitu eiusmodi legitur Epitaphium:

CHRISTI AN. 1115. *Lambertus Episcopus moritur.*

PASCH. 2. PAPÆ AN. 17.

> *Anno Domini millesimo centesimo decimo quinto, XVI. Kalend. Iunij obijt Beatæ memoriæ Lambertus huius Atrebatensis Sedis Cardinalis Episcopus. Per hunc restituta est dignitas huius Episcopatus, quæ per multa tempora Cameracensi Episcopo fuerat commendata. Huic Episcopo & duobus Ioculatoribus Itherio & Normanno Beata Maria in hac Ecclesia apparuit, dans eis Candelam, per quam sanantur ardentes igne malo.*

Eius Epitaphium.

In Marmore autem, quod eius Corpus tegit, legere olìm licuit, vti refert Iperius hoc eius aliud Elogium:

> *Vedastus propriæ* fuit huius Episcopus vrbis;*

* al. proprius.

Post

Post cuius obitum, proprio sine Præsule languens,*
Hac Sedes fleuit subiecta diu Cameraco:
Donec Lambertum, tumulo qui clauditur isto,
Moribus egregium, sapientem, relligiosum,
Roma sacrauit Vrbanus Papa secundus;
Et proprium Sedi Pastorem reddidit isti.
Morbo decessit, quùm Maius ab Idibus exit.*
Præstet ei requiem Dominus sine fine manentem.

* al. mortem.
* al. mundo.

Aliud. Robertus Episcop. Atreb.

Robertus patriâ Atrebatensis, soli natalitij, post Lambertum, Pontifex cõsecratur. *Hic* (habent Ecclesiæ tabulę) *plurima beneficia Ecclesiæ suæ Atrebatensi contulit: nec non horas Beatæ Mariæ, in Conuentu Canonicorum decantari, primus elaborauit.* Sic ibi. Nempè eas horas cottidiano officio coniungi Vrbanus Papa sanxerat, in Concilio Claromontano.

Horas seu Officium B. Mariæ in suâ Ecclesiâ cantari instituit.

In beneficijs quæ Ecclesiæ suæ contulit Robertus, computatur fusile maiusque Candelabrum æreum, quod post Aram maximam fastuosè exsurgit, in quo septem Cerei, qui sacrorum Missæ solemnium tempore, in æuum ardeant. *Eccl. Mon.*

Illi Fusile maiusque Candelabrũ æreum dedit.

Castrum ENCRES (verba sunt Anselmi Abbatis Gemblacensis) *Hugone * Camdauena pulso, qui illud vsurpauerat, Balduinus Comes Flandriæ cepit, & Carolo* Consobrino suo dedit.* Sic ille; nec dissimiliter Iperius. Infensus scilicet erat Hugo Principi; quia in fide contineri non potuit, sed dominandi accensus libidine, Flandricæ ditionis fines vexauit. *Meyerus*: de fide autem & pace seruanda, vidè quæ diximus ad annum 1111.

* S. Pauli Comite.
* Dano & amito, vt loquitur Meyer⁹.

Encrarũ Picardiæ Castrum, quod Hugo S. Pauli Comes tenebat, à Balduino Principe capitur.

PASCH. 2. PAPA AN. 19.

CHRISTI AN. 1117

ANNO 1117. Balduinus Princeps conscripto exercitu opidum Sancti Pauli stricta cingit obsidione: verùm Eustatij Boloniæ Comitis interuentu, ad pacis fœdera venitur, atque amouentur Castra. *Anselmus Gemblacensis Abbas octauus, in Chron.*

Opidum S. Pauli à Balduino Principe obsidetur. Obsidio soluitur.

CHRISTI AN. 1118.

ANNO 1118. Gelasius in Concilio Remensi, Gombaldo Traiectensi ad Rhenum Episcopo, vsum Mitræ concedit. *Petitæus.*

GELASII SECVNDI PAPA AN. 1.

CHRISTI AN. 1119

ANNO 1119. B. Audomari opidum penè totum flammis obruitur. *Bresinius, &c.*

CALIXTI SECVNDI PAPA AN. 1.

Balduinus Anglos in Normannia quùm oppugnat, scuto proprio (impellente fortuitò quodam milite) fronti eius grauiter impacto, cerebrumque lenta negle-

Balduini Principis casus. ctâque initio ægritudine corrumpente, membrorumque paralysi accedente, nono demùm mense terris eripitur; atque in Sancti Bertini, ante Sanctæ Crucis aram, sub marmoreo * monumento, ad annum Imperij nonum sepelitur, atram vestem Benedictinam, quam viuus induerat, amictus. *Anselmus Gemblacensis, Iperius*, &c. *[* aream & inauratum scribit Iperius.]*

Balduini prolis exsors. Nullos Balduinus ex Agnete (cui Alanus Britaniæ Comes, fuit Pater) liberos reliquit; à quâ, iussu Paschalis Papæ, diuerterat, ob vinculum cognationis, quintum licet gradum excederet. *Marchantius*. Præuisam porrò atque prædictam successionis virilis in hoc Balduino interruptionem prodit idem Marchantius lib. 2. in Roberto Frisio; hoc ferè stylo: *Fertur quibusdam Frisij Legatis Coloniæ Agrippinæ, vbi Cæsar* (Henricus quartus) *erat, appropinquantibus, obuiam venisse mulier, specie graui, reuerenda atque humana amplior: quæ percunctata vndè venirent, quò procederent, quùm responsi dubios & cunctabundos animaduertit; Scio inquit, vos esse ad Henricum Cæsarem missos à Roberto Frisio, qui nepotum * alteri vitam, * alteri hæreditatem Flandriæ eripuit. Impetrabitis Cæsaris beneuolentiam, & Robertus Flandriam obtinebit ipse cum * Filio, ac * Nepote: sed in hoc posteritas eius virilis extinguetur, propter illam, quâ afflixit * Fratris Filios, iniquitatem.* Hactenùs ille. *Futurum didicit ex Oraculo.* *[* Arnulpho; Vide suprà ad an. 1070. * Balduino Hannoniæ Comiti. Vide suprà ad an. 1072 * Roberto Hierosolymitano * Balduino Securicula. * Balduini Montani.]*

CAROLVS BONVS XIII.
FLANDRIÆ COMES.

Caroli Boni Principis nostri principio difficilis principatus. CAROLVS cognomento BONVS, Sancti *Canuti Daniæ Regis & Adelæ Filius atque Roberti Frisij ex Matre Nepos, Flandriam sanguinis propinquitate, & matruelis sui testamento consequitur. Vxorem habuit Suuahildem, quam alij Margaretam vocant: quæ defuncto Carolo in manus iuit cum Theodorico Elsatio XV. Fl. Comite, ex quo Laurentiam genuit Yuuani Comitis Alostani vxorem. *Iperius, Marchantius, Bald. de Glen in serie Principp. Belgicæ.* *[* Eius vitam habes ex Molani Natalibus 10. Iulij.]*

Caussa. Difficile principio Regnum tenuit obluctante Clementiâ Securiculæ Matre; *quæ Gulielmo Hyprensi* (Meyeri stylum produco) *Philippi Flandrensis Filio Notho, cui nupta erat quædam eius Neptis, principatum deferre conabatur: ad quam rem conficiendam Comiti Louaniensium Gothofredo nupsit, Balduinumque*

*Montensem, Hugonem Comitem Fani Pauli, Eustathium Comitem Bononiæ, Galterum *. Hisdiniensem, Thomam Condiciacensem, Eustatiumque Terüannensem, cum alijs quibusdam magnatibus attraxit in suam factionem, Aldenardamque inuasit, atque incendit, ibique ciues quosdam vltimo affecisse fertur supplicio: Hugone Comite Fani Pauli Occidentalem depopulante, vrènteque Flandriam. Inter hæc Carolus Princeps de rebus suis sollicitus, contracto in Opidum Diui Audomari Optimatium concilio, Flandricam vniuersam certatim nomina dantem eduxit iuuentutem, paruoque negotio omnium aduersariorum suorum fregit dissipauitque vires. Fanum* Pauli obsessum, ac in potestatem redactum diripuit, incendit, repletisque fossis, solò æquauit. Galterum Hisdiniensem dominatu* patriâque exuit, ac pepulit in exilium. Clementiam ipsam, pacem supplicitér petere coactam, Dicasmudâ, Bergio, Ariâ, Fanoque Venantij (tales namque tenebat in Flandris Præfecturas duodecim) multauit. Bononiensem depopulatis exustisque eius finibus, cæterosque omnes arma ponere compulit, euersâ Eustatij Aduocati Arce, quam nouam Terüannæ, aduersus Ecclesiæ libertatem eduxerat.* Hactenùs ille. Sed de ijs iterum suis locis.

*Galterũ Hesdini Comitẽ vocat Petrus Oudegherstius c. 60. Flādr.

*Arci ei præerat Hugo Aueſnæ Comitis Castellanus. *Breſinius.*

*Galteri Dominiũ Princeps Flandriæ occiduæ coniunxit. *Oudegherstius.*

Hugonis Fani S. Pauli Comitis in Atrebatenses excursio.

Carolus Princeps vires colligit.

Opidum S. Pauli diripit.

Hesdinũ intercipit.

Hostes cæteros ad pacem petendã cogit.

Mulcta.

Arx Bononiensis euertitur.

CHRISTI AN. 1120.

ANNO 1120. In villâ Chocquensi (mille passibus Bethuniâ distat) postquàm Canonicorum Sæcularium Collegium (cuius Sacerdotia quidam sæculares Nobiles, Hugo, Anselmus, & Balduinus Ruffus, pro libitu contra ius fasque conferebant) aliquot annis constitisset. Ioannes Morinorum Pontifex, dimissis sæcularibus, in Monasterium Regularium Canonicorum S. Augustini Regulam professorum conuertit, in ipsomet dictorum Nobilium Castro; quod Eugenius 3. Pont. Max. post aliquot annos (sedere cœpit an. 1145.) misso diplomate iuit approbatum. *Vide infrà ad an. 1230.*

CALIXT. 2. PAPÆ AN. 2.

Chocquẽse Monasterium Sæcularium Canonicorũ loco, admittit Regulares.

Eius verò Monasterij Abbates hoc Ordine censentur:

SERIES ABBATVM MONASTERII CHOCQVENSIS.

PRIMVS, Gualbertus.	7. Richardus.
2. Godso.	8. Petrus.
3. Ioannes.	9. Ioannes Atrebatensis.
4. Manasses.	10. Mattheus Bononiensis.
5. VVillelmus.	11. Ioannes Clauelius.
6. Guifridus.	12. Simon Canæus.

13. Andreas Belrerelius.
14. Robertus Philippi.
15. Thomas Bononiensis.
16. Iacobus Baccotius.
17. Euerardus Bandelius.
18. Thomas Groulinsius.
19. Ioannes Paruus.
20. Petrus Illiæus.
21. Petrus Causfortius.
22. Antonius Hericurtius.
23. Antonius Tessonius.
24. Antonius Tessonius.
25. R. D. Ioannes *de Loez*, qui hodiè præest.

Ex monumentis MSS. eius loci. Vide infrà ad annum 1181. & 1230.

Monasterium Dõmartinense construitur & censibus donatur.

Eodem anno S. Iudoci in Nemore Monasterium, quod hodie Dom-Martinense nuncupant, non procul Hesdino construitur, atque Beatus Milo, qui posteà Morinorum fuit Episcopus, primus Abbas constituitur. Huic Beati Iudoci Monasterio Eustathius COLLET, Equestris dignitatis, plurimas possessiones impertiuit, quas Ascetæ ex Belloramo Dompetrâ, Dourierio, &c. quotannis acciperent. Quas posteà Monachorum negligentia aut libertate diffluentes, Gulielmus Castellanus Audomarensis, cuius Maiores non pauca eidem loco concesserant, reformationi præstantem operam impendens, pristino honori restituit. *Ex Archiuis opidi Atreb.*

Eius Cœnobij subtexam etiam hîc seriem Abbatum.

SERIES ABBATVM MONASTERII DOMMARTINENSIS.

PRIMVS dictus Beatus Milo. *Vide infrà ad ann. 1130. &* CIↃ. C. LVIII.
2. Adamus Venerabilis. *Vide ibid.*
3. Andreas, indè Nouiomensis Episcopus.
4. Ioannes Dourrerius.
5. Richardus.
6. Gerardus à Monstrolio.
7. Gerardus 2.
8. Ioannes 2.
9. Ioannes Daufaisnensis.
10. Balduinus.
11. Iacobus Ambianensis, aliàs *de Bachimont*, Sanctæ Theologiæ Doctor; indè Abbas Præmonstratensis, & totius Ordinis Præpositus Generalis.
12. Adamus à Platæâ.
13. VVillelmus Villeriẽsis.
14. Nicolaus; indè Abbas Præmonstratensis, & totius Ordinis Præpositus Generalis.
15. VValterus.
16. Milo.
17. Carolus Recurtius, a-

liàs de Licques.

18. R. D. Carolus Morellius, hodiè superstes; qui omnes eo in Monasterio fuére professi.

Ex Mon. MSS. eius loci. Vide infrà ad an. 1130

Reliquiæ, quæ etiamnùm eo in Monasterio asseruantur, feruntur istæ: Brachium Sancti * Iudoci, & Superpelliceum siuè Alba (vulgò SARRO) S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi; quo indutus erat, quùm abs Henrici Anglorum Regis Satellitibus in Templo suo fuit interemptus: in quo hodieque sanguineæ maculæ apparent. *Vide infrà ad an. 1165.*

* Regis Britonū Filius fuit; vixit peregrinus & Eremita in pago Pōtiuo *Vide eius vitā in Surio tom. 6. 13. Decemb.*

Ibi Brachium Iudoci & superpelliceū S. Thomæ Cantuariensis.

Robertus Atrebatium Episcopus, Geofridus Rullecurtij, & Godefridus Cinchij Toparchæ, in Eligianum Cœnobium liberalis animi arcanum seriò detegunt, illud donarijs, priuilegijsque cumulantes.

Eadem feré tempestate idem Robertus Episcopus, in Sancti Pauli agro, loco, quem *Bailloeullet* nuncupant, cooperantibus Bailliolanis Heroïbus Prioratum excitauit. Annuum prouentum Bailliolani à Cornicibus vulgò nominati, atque non procul indè remoti pendent. Ibì olim Sacellum, cui à dictis Heroïbus Bailliolanis nomen. Pendet ab Sancti Vlmari in Bosco iuxta Bononiam.

Gelduinus Aquicinctensis Antistes, in Angliâ moritur, abdicatâ priùs Præfecturâ.

Thomas Bertinensis Monachus, in Bergensem Abbatem Hermete pulso, atque Remis in Sancti Nicasij recluso, per Ioannem Morinorum Episcopum consecratur.

Clementia Roberti Principis vidua, thalamum instaurat cum Godefrido Duce Louaniensi.

Clementia thalamum reparat.

Clementiæ à Confessionibus tum erat Ioannes primus Ecclesiæ Ariensis hodiè Sancto Petro Apostolo inscriptæ, Præpositus, à quo proindè Successorum eius seriem subtexemus.

SERIES PRÆPOSITORVM ECCLESIÆ S. PETRI APVD ARIENSES.

1. PRIMVS, Ioannes (aliàs Iacquetus) Clementiæ, Roberti Solymitani Coniugis, à Confessionibus, sacro Canonicorum Collegio Præfectus est datus. Is bra-

chium S. Victoris Martyris Ecclesiæ suæ comparauit.

2. VVillermus, anno 1141.

3. Robertus, patriâ Carnotensis, cognomento (secundùm Vincentium in Speculo) *Arriualt*; qui parentibus licet humilibus ortus; attamen vitæ integritate ingenijque ac doctrinæ præstantiâ sic excelluit, vt non solummodò istam promeruerit dignitatem; quin & Brugensem, Audomarensem, Duacensem in Sancti Amati Præposituras, vltrò sibi oblatas acceperit. Addo (vt virtus adsolet gradatìm prouehere ad maiora) ex Comitis nostri Cancellario, Cameracensis Ecclesiæ Episcopus renuntiatus est. Floruit anno 1160. *Vide infrà.*

4. Ioannes, dicti Roberti ex Sorore Nepos, Auunculo successit. Anniuersarium habet in territorio *de Bucaille*, pago *de Blessy*. Floruit an. 1178.

5. VVillermus *de Lisques*, siue *Licques* Nobili genere exortus. Hic Decani & Cantoris dignitates sartum tectum iuit, ditionibus auxit & ornauit. Floruit an. 1195.

6. Petrus de Chreseka, Roberti, Equestris Ordinis viri, & Macthildis, Monasterij, S. Andreæ, iuxta Ariam Fundatorum Filius. Obijt in Terrâ Sanctâ, circa annum 1218. Corpus relatum est ad dictum S. Andreæ Cœnobium; eique officiosa Mater marmoreum apposuit monimentum.

7. Robertus *de Messines*. Collegium suũ testamenti tabulis, muneribus non paucis adauxit. Balduino Constantinopolitano contra Albigenses Comes fuit. Obijt an. 1238.

8. Philippus Canisius. Eodem anno, quo iam dixi, Ariam solemni cum pompâ ingressus est, Episcopo Morinensi, cui familiaris erat, comitante.

9. VVillermus *de Crecquy*, illustri sanguine progenitus. Floruit an. 1241.

10. Ioannes *Aleran* Ariensis, raræ pietatis commendatione, ex Canonico Præpositus est salutatus. Hic Beati Iacobi Apostoli Reliquias, quas Philippus Elsatius ab Vedastinis Atrebatium, dono acceptas, ad Arienses transtulerat, thecâ argenteâ ornari curauit an. 1272. Nicolaus P P. 4. Indulgentias dedit ijs qui quotannis frequentarint & coluerint.

11. VVillielmus de Hanepherchâ, ex Thesaurario multa-

rum virtutũ commendatione, Dignitatem promeruit.

12. Therricus *de Herisson*, Borbonius, Carthusianorum Gosnacensium iuxta Bethuniam Fundator, atque Episcopus Atrebatensis. *Vide infrà.*

13. Petrus, miseratione diuinâ tit. Sancti Stephani in Cœlio monte Cardinalis, anno 1331. cum summo hoc honore Auenione non est dedignatus hunc quoque titulum copulare.

14. Arnaldus Alberti; an. 1350.

15. VVillelmus *de Chieures*. anno 1357.

16. Ioannes de Oratorio, S. T. Doctor, viâ permutationis Præposituram adeptus est an. 1358. Innocentio VI. id facti probante.

17. Ioannes *Varelus*, anteà Canonicus & Thesaurarius, atque in Beati Amati apud Duacenates etiam Sacerdotium consecutus, ab Collegio Atriensi Præpositus dictus est, an. 1362. Præfuit annos 12. & post obitum magnificè in Chori medio sub laminâ æneâ sepultus est.

18. Ioannes Lemouix, Cardinalis, successit anno 1374. Obijt Præpositus an. 1384.

19. Ioannes *Canoy*, Pontificij diplomatis virtute assequutus est dignitatem an. 1384.

20. Ioannes *Quieret*, Balduini in Sancti Bartolomæi apud Bethunæos Præpositi Frater, an. 1411. Sedem ingressus est, tenuitque diù.

21. Petrus *Millet*, Canonicus successit an. 1459.

22. Simon de Lutcemburgo, illustrissimo sanguine ortus, Legum Doctor, Sedis Apostolicæ Protonotarius, Toparcha villæ DE LIESTRES, &c. Dignitatem hanc assecutus est ad an. 1470. simulq; tenuit alteram Audomarensem, atq; etiam Morinensis Ecclesiæ Archidiaconatum in Flãdris; iacet in eiusdem Ecclesiæ Choro.

23. Guido *Talbon*, genere Nobilis an. 1482.

24. Ioannes de Burgundiâ, Nobilissima prosapia genitus. Hic ex Canonico Atriensi, Præpositus creatus, & Protonotarius Apostolicus, etiam in S. Audomari Præposituram obtinuit, in cuius Odeio requiescit. Obijt anno 1517.

25. Hieronymus Busslidianus Obijt ann. 1518. secundùm aliquos: alij aliter censent. *Vide infrà suo loco.*

26. Ioannes *Richlin*. Hic Ecclesiæ suæ plurima impertiuit; superestque ex fundationibus memoria celebris: quæ dùm piè exsequitur, æmulos habuit, nempè sequentes duos, qui Capitulari Ioannis electioni animosè reluctabantur, auctoritatibus, hic Leonis X. Papæ, ille Cæsareæ Maiestatis innixi: quiuicissim amoto Ioanne, præfuerunt: Fuerunt

27. Innocentius Sanctæ Mariæ in Dominicâ Cardinalis, qui virtute prouisionis ab dicto Leone sibi concessæ, possessionis ius vsurpauit: &

28. Eustathius *de Croy*, Henrici Comitis *de Reux* F. animi, corporisque dotibus insignis, istam dignitatem, agente Cæsare consecutus est, sed & Audomarensem nec dimisit, in Atrebatensem licet Cathedram Pontifex sublimatus. *Vide infrà.*

29. Ioannes *de Renty*, Emberici Toparchæ Filius, Protonotarius Apostolicus, atque quùm Ariensis, tum Audomarensis Ecclesiarum Canonicus. Sedere cœpit anno 1538. pòst paullò vitâ defungens.

30. Eustathius *de Croy*, nomine & sanguine 2. à Catholico Rege huc promotus, qui eo in ordine annos quindecim quùm explesset, Reuxij Comitatus, aliarumque ditionum hæres derelictus, atque matrimonij leges indè adfectans, dignitatem resignauit

31. Maximiliano à Bergis, Collegialis Ecclesiæ Beati Gommari Lierensis Decano, Oratorij Sanctæ Cæsareę Maiestatis Præfecto, idque anno 1555. fuit hic deindè primus Ecclesiæ Cameracensis Archiepiscopus.

32. Maximilianus *Morillon*, Canonicus & Scholasticus Ecclesię Atrebatensis, Illustrissimi Cardinalis Antonij Perenotti Granuellani ibidem Vicarius Generalis. Fuit hic postmodùm Episcopus Tornacensis, non singularis anteà Beneficij titulo Nobilis.

33. Carolus Egmondanus, Illustrissimi Ioannis Comitis F. Tenuit quadriennio dignitatem. Hinc eâ abdicatâ, itum est ad nuptias, & Vellus Aureum ei decretum, Prouinciæ Namurcensis Præfectura collata: demùm salutatus Comes Egmondanus.

34. HIERONYMVS DE FRANCE, I.V. Licentiatus, Protonotarius Apostolicus, Atreb. Canonicus, Hiero-

nymi Artesię Pręsidis Filius,& Raynutij,etiam à Patris fato Præsidis,Frater. Donatus est eâ dignitate à Catholico Rege Nouemb.24.anno 1592. cui etiamnùm (an. sc. 1614.) magnâ cum laude præest. *Ex Præpositorum Ariensium Catalogo,quem idem Hieronymus laboriosè contexuit, & nobis pro suâ humanitate communicauit.*

CHRISTI AN. 1121.

ANNO 1121. Geruasius, patriâ Bononiensis,primus Aroasiensis Monasterij Antistes,à Roberto Atrebatium Pontifice consecratur. Hic diuersis in locis Cœnobia construxit, eóque Cœnobij sui Religiosos, ad plantandam Religionem Aroasiensem, quæ tunc magno in splendore erat, transmisit. Nonnulli etiam aliorum Ordinum Canonici, Ordini suo renuntiantes, Aroasiensem tanquam strictiorem suscipere & profiteri passim rogauerunt. Vndè factum vt singulorum Ordinis Aroasiensis Cœnobiorum Abbates & Prælati,ob vnitatem seruandam,& corrigendum si quid in Ordine excesserint, ad Generale Capitulum semel in anno, apud Aroasiensem Ecclesiam Matrem suam conuenirent,hinc origo Congregationis Aroasiensis.

CALIX. 2. PAPÆ AN. 3. *Geruasius Monasterij & Ordinis Aroasiensis primus Antistes.* *Annua Congregatio 26. Abbatũ illùc conuenientium.*

Porrò quis ordo inter 26.Monasteriorum Abbates, qui eò cõueniebant,seruaretur, pulchrè depinxit Balduinus *de Glen*, 35. Henniacensis Cœnobij Abbas, Tractatu de Abbatibus sui Monasterij,eorumque rebus gestis,cap.3.ait ergo:

GERVASIO ABBATE AROASIENSI, initium accepit Congregatio Ordinis Aroasiensis, in qua primùm locum occupat, tanquàm Congregationis caput, AROASIANVS, cui assident 26. Monasteriorum huius Congregationis Abbates,pro ordine quisque suo.

Eorum porrò Monasteriorum, quorum Abbates dextrum latus Aroasiani claudunt, hę sunt nomenclaturę. *Eorumdem nomina & Ordo.*

1. Monasterium B. Mariæ Henniacensis, cuius Abbas in Congregatione Aroasianâ Prioris vice fungitur.
2. Monasterium B.Mariæ Boloniensis,quod fundatum legimus anno 1159. dirutum autem ab Henrico 8. Anglię Rege, an. 1544.
3. Monasterium S. Eligij Fontis in Caluiaco; Galli dicunt *Chauny*.
4. Monasterium S. Nicolai in Pratis, iuxta Tornacum, fundatum ab Odgero quodam Eligij Montis, anno 1125. dirutum in tumultibus Belgicis, anno 1566. nunc

autem translatum in vrbem Tornacum ; ad Diui Marci, vbi priùs fuerat constitutum, antequàm in Pratis exædificaretur.

5. Monasterium S. Calixti Cisoniensis, fundatum anno 838. cuius Clerici vitam Regularem amplexi sunt anno 1129. satagente Raynoldo Archiepiscopo Remensi. Sed hoc Monasterium iampridem desciuit à Congregatione Aroasianâ, Victorianæ apud Parisios sese subijciens.

6. Monasterium S. Marię de bello loco, quod à Monasterio S. Ioannis, iuxta *Chocques* initium habet.

7. Monasterium S. Ioannis Baptistæ iuxta *Chocques.*

8. Monasterium S. Marię à Zunebecâ, dirutum in tumultibus Belgicis anno 1578.

9. Monasterium S. Mariæ à Castricijs in Burgundiâ.

10. Monasterium S. Ioannis Baptistæ in Valencenis, quod originem traxit à Monasterio S. Crispini in Caueâ apud Suessiones, fundatum autem anno 1112.

11. Monasterium S. Barp-tolomæi Brugensis, vulgò *Ekout*, latinè Quercetum, quod initium habet à Monasterio S. Nicolai in Pratis.

12. Monasterium à Bethleem in Alemanniâ; (forsàn apud Louanium, nunc dirutum.)

13. Monasterium S. Patricij in Hybernia: fundauit S. Malachias, Hyberniâ Archiepiscopus, assumptis Aroasię Canonicis, quùm illuc iter aliquandò faciens, ibidem non-nihil hęsisset, moresque atque disciplinam Canonicorum probè explorasset. Obijt anno Domini 1148. 4. nonas Nouemb. S. Bernardus, cui contemporaneus & familiaris fuit, eius acta descripsit. *Vide Martyrologium Romanum & Baronij Notas, 3. Nouemb.*

Eorum verò qui sinistro assident lateri in Congregatione solenni Abbatum, hęc sunt Monasteria.

1. Monasterium S. Mariæ à Nemore, nunc Ruysseauuilla, aut Riuo-villa; fundatum à Dominis à Crecquiaco: cuius Abbas pro Suppriore Congregationis agnoscitur.

2. Monasterium S. Crispini in Caueâ, apud Suessiones.

3. Monasterium S. VVlmari, Boloniensis, dirutum ab Henrico 8. Anglię Rege.

4. Monasterium S. Leodegarij apud Suessiones.

5. Monasterium S. Amandi Mareolensis, fundatum à Sanctâ Bertiliâ.
6. Monasterium à Clarosageto.
7. Monasterium SS Petri & Pauli VVarnestuniensis.
8. Monasterium à Castellione in Burgundiâ, quod originem habet à Monasterio S. Mariæ in Nemore.
9. Monasterium à Dodelli Villâ.
10. Monasterium S. Mariæ à Sagano, in Ducatu Slesiæ, in Diœcesi Vratislauensi, cuius Monasterij vnum Abbatem legimus in Catalogum memoriæ defunctorum relatum 8. Cal. Maij.
11. Monasterium S.Christophori Phanopinésis, fundatum anno, 1039.per Sasuualonem Lilensis Opidi Castellanû.
12. Monasterium B. Mariæ & S.Huberti in Atrio Vosago, aliàs ab Alteriaco.
13. Monasterium Dulcis Vallis, Flandris Soetendael, iuxta Middelburgum Flandriæ, in tumultibus Belgicis anni, 1578.dirutum. Originem habet à monasterio S. Barptolomæi Brugensis, fundatum, si Meyero credimus, anno, 1215.

De hâc Congregatione, tantùm addimus, quòd postrema apud Aroasiam Abbatum Congregatio facta sit sub Domino Paschasio Abbate, anno Domini 1470. die 22. mensis Septembris. Bellorum procellâ, monasterium illud ferè semper patuit militum iniurijs, & nunc ità deformatum est, vt vix vlla sit spes Congregationis aliquandò in eo indicendæ. *Hactenus Balduinus Abbas Henniacensis.*

Monasterium S. Augustini, Ordinis Præmonstratensis, iuxta Teruannæ muros conditur. *Miræus in Indiculo Monasteriorum eius Ordinis.* *Monasterium S. Augustini iuxta Teruannam.*

CHRISTI AN. 1122. ANNO 1122. Arx* Eustatij Morinorum Aduocati, Teruannæ in Ecclesiasticæ libertatis iniuriam seu offendiculum constructa, per Carolum Principem euertitur, & adæquatur solo. CALIX. 2. PAPÆ AN. 4. *Arx Teruanẽsis euersa.*

CHRISTI AN. 1123. ANNO 1123. Res monasterij Henniacensis ab Sæcularium Dominorum potestate liberantur, Carolo Pio, Comite nostro id facti adprobante, cuius hoc habeo Diploma: CALIX. 2. PAPÆ AN. 5.

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, AMEN.

Hennia cēse Monasteriū è secularium manibus liberatur.

Ego Karolus Dei gratiâ Flandrensium Comes, notifico omnibus Christianis, tam futuris, quàm præsentibus, quòd Balduinus Dapifer meus, & Balduinus Filius Lethardi, & vxor eius Gerberga, concessione Arnulphi de Ardâ, Ecclesiam Sancti Martini de Henniaco, quæ hactenùs sub eorum potestate, quasi ancilla venalis & misera lugebat, diuino instinctu inspirati, ob remissionem peccatorum suorum, ab omni sæculari potestate absolutam & liberam fecerunt, eamque Deo & Sancto Martino, ac Domino Stephano eiusdem Ecclesiæ Abbati, eiusque Successoribus, ibidem Deo secundùm Regulam Beati Augustini, & instituta Ecclesiæ Sancti Nicolai de Aridagamantiâ victuris, disponendum & ordinandum liberè reddiderunt. Hanc igitur libertatem & donationem ob remissionem peccatorum meorum concedo, & sigilli mei impressione confirmo. Huius verò confirmationis testes sunt Robertus Aduocatus, & Guillermus Filius eius, Guillermus Nepos præfati Comitis, &c. Hæc Charta data est apud Atrebatum, à præfato Comite, tertio Idus Decembris, anno Domini CIↃ. C. XXIII. subsignatum erat, KARLVS.

CHRISTI AN. 1124. — HONORII SECVNDI PAPÆ AN. 1.

ANNO 1124. Fulgendis siue Fulgentia, prima Strumensis Cœnobij Antistita è viuis tollitur Beatrice in eius locum secunda eunte. *Mon. MSS. eius loci.*

Collegium Ecclesiæ Beatæ Virginis Antuerpiensis, duodecim Sacerdotijs per Burchardum Cameracensem Episcopum Sancto Nortberto Præmonstratensis Ordinis Fundatori familiarem ornatur, ornatum sacratur, velut iudicat hocce tetrastichon, inibì abs olìm visum, lectum:

Vndecies centum, ductis & sex quater annis,
Virginis à partu conciliante reum,
Burchardus Præsul hæc Atria, nec minus Aram
Sacrauit medium quod tenet Ecclesia.

VVatenense Cœnobium de Cœlo fulmine icitur. *Vide suprà ad annum 1072.*

Calistus Pont. Max. Clementiæ, Flandriæ Fructuariæ Frater, vita defungitur.

CHRISTI AN. 1125. — HONO. 2 PAPÆ AN. 2.

ANNO 1125. B. Lambertus Bertinensium Antistes id versiculi sæpè iterans *In manus tuas Domine commendo spiritum meum* &c. ex diutinâ paralysi fato tandem corripitur;

atque

atque in Beatæ Virginis Sacello, quod infirmis ædificarat, ſepelitur; Ioanne Morinorum Epiſcopo illi parentante. Eius Epitaphium ſic habet:

Sic homo ſplendeſcit quaſi flos, velut vmbra vireſcit;
Sed ſubitò moritur, cinereſcit, nec reperitur.
Quod Lamberte ſatis Pater oſtendis pietatis;
Hic cuius foſſa breuis inclyta continet oſſa;
Sublimis ſenſu, doctrinâ, nomine, cenſu;
Quem genus ornauit, facundia nobilitauit.
At cinis ecce iaces; obitum ſignate ſequaces;
Dena Kalendarum quem lux rapuit Iuliarum.

Lamberto ſuccedit Ioannes, hoc nomine ſecundus, Ordine 41. Antiſtes, Corpore procerus, linguâque Teutonicâ facundus, qui ab Honorio ſecundo Papâ, cùm à Cluniacenſium iugo exemptionem, tùm in Aldiacenſes Abbatis ex ſuis eligendi ius confirmatum ratumque impetrauit. Cætera in ſchiſmate Eccleſiæ, anno 1129. poſt Honorij 2. deceſſum exorto, labem quòd Anacleto Antipapæ adhæſiſſet, non ſubterfugit. *Iperius.*

Ioannes ſecundus Abbas Bertinicus.

Quid ab Honorio Pont. Max. impetrauit.

Viconienſe Monaſterium non procul Valencenis, per Guidonem Eremitam, genere Britannum inchoatur; quod hodie paret in Præmonſtratenſibus pulcherrimum. *Anſelmus Gemblacenſis Abbas in Chron.*

Viconiēſe Monaſteriū inchoatur.

CHRISTI AN. 1126.

HONO. 2. PAPÆ AN. 3.

ANNO 1126. Carolus Bonus Flandriæ Comes, ſecundo Martij die, qui Mercurij Cineraliumque erat, cùm egenos quinque ex more quotidiano veſtiſſet, annoſque octo ſine liberis ex Reynoldi Comitis Clermontij Filiâ, imperaſſet, in Donatiani Brugæ ſuperiorem Templi partem manè abſque comitatu palatino, ad rem diuinam introiuit, cilicium ſub linteo induſio aſtrictus pedibuſque nudis, quos prolixa toga contegebat, quod illi frequens. Ibi religioſè in pauimentum procumbētem orantemque clarâ, vt ſolebat, voce, Pſalmum 50. Dauidis, miſericordiam veniamque homicidij cum adulterio coniuncti, obſecrantis, Bochardus Stratius in mendici habitum diſſimulatus, percuſſit in caput tantâ vi, vt cerebro in terram effuſo occiderit; brachium eius mendicanti fœminæ extentum ferè abſciderit, regiam eius diripuerit, domeſticos aliquot primarios interfecerit turrimque & loca editiora Tēpli Donatiani cū ſocijs occuparit ac muniuerit. Cuncti autem An-

Caroli Boni Principis pietas & cædes.

Miracula ad eius Corpus.

nales nostri asserunt Rogerium, Tolenarum membris per octennium contractum, quùm corpori cæsi Principis admoueretur, subitò sanum validumque in pedes subsilijsse, tantâ admiratione gaudioque circumstantium, vt certatim ex crinibus, vnguibus, vestibusque Caroli in domestica veluti sacra desumerent; corpusque exanime, & ante aram maximam reuerenter positum effusè oscularentur, & in foro ad Christophori honorificè altero die sepelirent: Donec post sexaginta dies suaue olens, vulneribusque quasi recentibus ad Donatiani magnâ frequentiâ reuerentiâque reduceretur, inque sacrarum Templi vestium apodyterio conderetur. *Marchantius ijsdem verbis, cui consonant Iperius, Meyerus, Oudegherstius, Molanus in Natt. 2. Martij, & cateri ferè qui de Flandria Comitibus tractauerunt. Cadis tam nefanda caussam apud eos vidi.* Eiusdem meminimus l. 2. Mariæ Augustæ c. 15. Inter eius Epitaphia tale reperitur in S. Donatiani.

Templa, Deum, viduas, reparando, colendo, cibando,
Martha, Maria, pius Samaritanus eras;
Seruus, Iustitia, Templum, Martisque secunda,
Cæsor, caussa, locus, lux tibi Mortis erant.

In Meyero autem eiusmodi:

Epitaphium.

Per te viuentem tua Flandria Carole fulsit,
Famâ, pace, bonis, clara, beata, potens.
Te moriente perit, fama iacet, & bona quisque
Raptor habet, passim vis sine lege furit.
Militis officium, non Iudicis, euacuauit,
Iudex & miles fortis & aquus erat.
Armis, lege, minis, hostesque, tuosque domabas,
Corripiens pœnâ facta, futura metu.
Dona bonis, veniam miseris, pœnam sceleratis,
Largus, mansuetus, iura tuenda dabas.
Armorum, pacis quia fortiter & sapienter
Res pertractasti, Cæsare maior eras.
Seruus, Iustitia, Templum, Martisque secunda,
Cæsor, caussa, locus, lux tibi mortis erant.

Item & illud.

Hic pupillorum pater, adiutor viduarum,
Saluator patriæ, zelator & Ecclesiarum.
Pax & vita suis, formido & mors inimicis,
Rebus pace suis vndique compositis;

Flan-

Flandrensis Consul, Dacorum Regia Proles,
Carolus hic obijt, innocuus perijt.
In prece prostratus, Domini mactatus ad Aram,
Fit pro Iustitiâ victima grata Deo:
Qua viuus viguit, defunctus pace quiescat.

Galterus Locrius, Caroli Principis Progeusta iisdem die, & loco, herum ad fatum violentum sed nobile, insecutus est. Quare & hic? Caussa fidelitatis eximiæ in Principem, ait Marchantius.

GVLIELMVS NORMANNVS XIIII. FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1127.



ANNO 1127. B. Carolo sic è viuis sublato; Ludouicus Crassus Gallorum Rex iusto & æquo posthabito, GVLIELMVM OSBERNIVM NORMANNVM, Roberti Normanniæ Ducis (cui Machtildis Filia Balduini Lilani, mater erat) Filium in Flandriæ Principem promouet; quamuis illum Balduinus Hanmoniæ Comes, Theodoricus Alsatiæ Lant-grauius: Gulielmus Iprensis, Arnulphus Danus, atque Henricus Patruus Angliæ Rex, sanguinis propinquitate antecederent, Atrebatique à Rege Galliæ, ius sibi reddi frustra postularent. *Meyerus, Marchantius, Balduinus, &c.*

HONO. 2. PAPÆ AN. 4. *Gulielmi Normãni in Flandriæ Comitatum iniqua successio.*

Audomarensis opidi priuilegia per Normannum confirmantur.

Audomarensiũ priuilegia confirmantur.

Stephanus, primus Henniacensis Monasterij Antistes, vitâ defungitur: eiusque partes excipit Hugo; ad quem scripsit VVillelmus Rhemensis Archiepiscopus bona confirmans eius Monasterio concessa.

Bona Henniacẽsis Monasterij confirmata.

Odo * *Abbas Alciacensis* (Iperius loquitur) *postquàm illud Monasterium rexisset ferè 27. annis, obijt; cui successit Dominus Simon Monachus huius* * *loci, ille scilicet, cui cura temporalium huius Ecclesiæ commissa fuerat, dùm Lamberto Abbate nostro languente, & post hunc, Ioannes noster effectus est Abbas.* Hactenus ille. Vide infrà ad an. 1130.

* Vide suprà ad an. 1101.
* sc. *Monasterij Bertinici.*

ANNO 1128. Gulielmus Normannus, dictus Flandriæ Comes, eâ Præfecturâ sedecim menses dumtaxat vsurpatâ, ex vulnere quod iuxta Alostum ab Nicasio Borluto, eius

Normanni casus. opidi ciue recens acceperat, malè curato extinguitur, atque Audomaropoli, in Beati Bertini, iuxta Balduinum Securiculam sepulcrum consequitur. *Meyerus, qui latè de eius actis; Marchantius, Bresinius, &c.*

THEODERICVS ELSATIVS XV. FLANDRIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1128. *HONO. 2. PAPÆ AN. 5.*

Elsatius Princeps confirmat Flandriæ priscas leges.

THEODERICVS, THEODERICO ALSATIÆ Superioris Lant-grauio, & Gertrude Roberti Frisij Flandriæ Comitis Filiâ natus, summo cunctorum Ordinum assensu, Flandriç Principatum apiscitur, totosque quadraginta per annos moderatur, in alloquio blandus, in negotio iustus, in imperio moderatus. Confirmauit leges quibus homicidia & vulnera, talione, latrocinia furtaque nocturna, à tota vicinia plectebantur, pecunia mulctato, qui persequi recusasset, quæ etiam pax Flandriæ dicebatur. *Vide suprà ad annum 1111.*

Eius studia. *Mechliniense Gymnasium Principibus discipulis clarissimum.*

Tantum Principem, quid dicam, nisi etiam à pueris, Mechliniæ, aut certè Leodij, litterarum peritia excellenter fuisse imbutum, adeoque exornatum? Etenim scrupulum inijcit Iacobus Middendorpius, qui Academiarum libro quinto scribit per hæc tempora. *Mechlinia olim toto Orbe* (eius produco verba) *celeberrimam Academiam fuisse, quæ domicilium musarum nuncuparetur, idque fide dignos Auctores commemorare. Vbi aliquandò nouem Filij Regum, Principum viginti quatuor, Comitum viginti nouem eodem anno studuerint. Quo pertinere videtur, quod Ioannes Placentius, in Catalogo Episcoporum Leodiensium refert, in Alexandro Comitis Iuliacensis Filio, Episcopo Leodiensi:* ANNO DOMINI 1129. LEODII, APVD S. LAMBERTVM IN CATHEDRALI ECCLESIA RESEDISSE REGVM FILIOS IX. DVCVM XXIV. COMITVM XXIX. *Tam enim vicina illa opida Leodium & Mechlinia sunt, vt vtrobique residere & studere successiuè potuerint.* Hactenùs Middendorpius, non obtusum figens aculeum magnatium Principumque liberis ad hæc amœna & fructuosa Musarum palatia, generoso pectore commeandi: fructuosa, inquam, & in nostro Principe Theoderico aderunt statim non leuia documenta.

AVEN-

AVENNENSE siue Auesnense Ordinis Sancti Benedicti Cœnobium, iuxta Bapalmam munitum Artesiæ opidum, à Clementiâ Flandriæ Fructuariâ, Roberti Hierosolymitani viduâ construitur; atque virginibus concessum à Beatrice primâ Antistitâ, Sancto Religionis instituto initiatur. *Iperius*, *Miræus in Orig.*

Auesnēse Cœnobium cōstruitur. Beatrix prima eius Abbatissa.

CHRISTI AN. 1129. ANNO 1129. Obit Clementia Calisti 2. Papæ Soror, Flandriæ Fructuaria, Theoderico Principe hærede nuncupato; atque Burburgi, in Cœnobio Nobilium Virginum, quod condiderat, sepelitur.

INNOCENTII SECVNDI PAPÆ AN. I.

Clementiæ Principis obitus.

Eodem anno etiam vitâ defungitur Runardus (al. Richardus) in Sancti Eligij secundus Abbas; eique succenturiatur Hugo, per duos annos supra viginti, eâ in dignitate perseuerans.

Burburgēse fundauit Cœnobium.

Hugo Henniacensis Monasterij, post Stephanum defunctum, secundus Antistes inauguratur. Ad hunc Raynoldus Remorum Archiepiscopus, litteras transmisit, quibus singulas eius loci possessiones, ratas fixas habet. Sunt verò eiusmodi.

RAYNOLDVS DIVINA DISPENSANTE GRATIA, REMENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPVS; DILECTO FILIO HVGONI, HENNIACENSIS ECCLESIÆ ABBATI, ET EIVS FRATRIBVS, IN EADEM S. MARTINI ECCLESIA, CANONICAM VITAM PROFESSIS, EORVMQVE SVCCESSORIBVS IN EADEM OBSERVANTIA PERMANSVRIS, SALVTEM.

Religiosis desiderijs dignum est facilem præbere consensum. Vestri itaque desiderij iustis petitionibus debita charitate annuentes, Ecclesiam vestram Metropolitanæ Sedis auctoritate munimus. Vniuersa namque ad Ecclesiam vestram legitimè pertinentia, tam vobis, quàm & Successoribus vestris in perpetuum confirmamus. Altare videlicet S. MARTINI, *cum Altaribus* ROEVILLÆ, ASCIOVILLÆ, BILLY, MONTENSNI, BORCEOLI, *& curam animarum omnium hominum Henniaci manentium, prælationisque & prædicationis officium. Si autem Ecclesiam ipsam Sancti Martini aliquandò violatam esse contigerit; tibi dilecte Fili Hugo Abbas, tuisque Successoribus legitimis concedimus, vt accepta ab Episcopo Atrebatensi aqua reconciliationis, eadem Ecclesia tam à te, quàm & à tuis Successoribus reconcilietur. Confirmamus etiam Ecclesiæ vestræ viuarium Balduini Lethardi Filij de Hen-*

Opes Henniacensis Monasterij cōfirmantur.

niaco,

niaco, quod eidem adiacet villa, & curtilionem Radulphi DE BERTRICVRTE, *qui adiacet inter idem viuarium, & viam de Cureriјs, & vnam mansionem inter idem viuarium, & Montempancheriј, & totam terram, quæ iacet ad caput Ecclesiæ S. Martini, à viâ quæ ducit ad portam de Durgis, vsque ad mansionem Geroldi, Fratris Theobaldi, hominis Dei; & eandem ipsam mãsionem; & duodecim Bunuarios terræ, de quibus nouem iacent iuxta* CASTELLARE, *& tres secus viam* BERBERIENSEM, *& duos curtiliones & dimidium infra Parochiam, & duas partes decimæ eiusdem Parochiæ, & apud* CVRERIAS *tres curtiliones, & apud* ROVEROY *vnum curtilionem, & sex frusta terræ, & apud* NOYELLAM *vnum fructum terræ, & apud* BEVRY *duos curtiliones, & apud* DOVRING *Alodium, quod Alulfus Brochet, Alardusque & Robertus, Sororesque eorum, pro animâ Bernardi Croce, Fratris eorum donauerunt; & decimam de campo Lamberti, quam Odo . . . . in augmentum luminaris Ecclesiæ donauit. Præterea quicquid dignitatis, quicquid libertatis Episcopus Atrebatensis Ecclesiæ vestræ, & vobis contulit, siue in futurum contulerit: quæcumque etiam Ecclesia vestra iustè possidet, vel futuris temporibus, quorumlibet fidelium donationem auctore Deo adipisci poterit, firma vobis vestrisque Successoribus permaneant. Præsentis autem priuilegiј decreto statuimus, vt & vos & Successores vestri Religiosi, & absque proprietate secundùm regulam Beati Augustini Episcopi, & instituta Sancti Nicolai de Aridagamantiâ, Domino in perpetuum seruiatis; &c. Datum Remis, anno Incarnati Verbi Dei* CIↃ. C. XXIX. *Indict. 7.*

Clericorum libertas & continẽtia.

Innocentius Papa statuit ne quis Laicus sub Anathematis pœnâ manum violentam in Clericum mittere præsumat; *17. q. 7. c. Si quis suadente diabolo.* Subdiaconis præcipit, sub omni beneficiorum priuatione, continenter viuant; *Decretal. 18. di. c. Decreuimus vt hi.* Inhibet Episcopis in Ecclesiastico beneficio sibi Successorem constituere; *8. q. 1, c. Apostolicâ auctoritate.*

CHRISTI AN. 1130. *Ioannes Atrebas Morinorum Episcopus.*

ANNO 1130. Beatus Ioannes, Atrebato oriundus, 29. Morinorum Episcopus, vitæ diem claudit extremum. Is *triginta annis* (scribit Molanus) *Episcopatum sanctissimè rexit, Iudiciorum, Pauperum, Ecclesiarum, Bibliothecarum, & dilatandæ Religionis sedulus obseruator. Qui in libro vitæ, numero Sanctorum, piè creditur asscriptus; quamquam non sit per Romanam Ecclesiam canonizatus. Vita eius ad Sanctum Bertinum conscripta*

habetur. Hic Ipris, ad Sanctum Martinum Canonicos Regulares instituit. Hactenùs Molanus in Natt. 27. Ianuarij; cui consonant Iperius, Meyerus, Demochares, Belforestus, &c. Vide etiam suprà ad annum 1099.

Canonici Regulares S. Martini Iprensis ab eo instituti.

Ioanni in eandem Morinensium Sedem Successor fuit Milo, hoc nomine primus, Sancti Iudoci in Nemore Monasterij Antistes egregius, ibique primus: (Vide suprà ad an. 1120.) quo sedente, quædam puella Terüannensis quinque annos à cibo abstinuit; at postmodùm, quùm sextâ Anastasios Dominicæ, seu Paschatis Feriâ sacram Synaxim piè recepisset; simul & edendi vsum. *Demochares lib. 2. de Missæ sacrificio.*

Puella Terüannensis cibi abstinens toto quinquennio. Eucharistiæ vis.

Machtildis Anglorum Regina & Boloniæ Comes, Montis Eligiani Monachis quinque Halecum millia assignat, ab ipso Bononiensi opido seu agro annuè sumenda. Verùm seu bellorum seu temporum iniquitate, cecidit ea liberalitas.

Halecum quinque millia Eligianis annuè concessa.

Hugo eiusdem Montis Antistes, Claustrum muris cingere auspicatur, parte quâ Esquaurij pagi Syluulam intuetur.

Sanctus Bernardus, quùm aliorum, tùm sacri Cerei, recens è superis per Virginem Deiparam allati, videndi & honorandi caussâ, venit Atrebatum. Quo quidem viso & suis laudibus ornato, tantâ mellifluus Doctor spiritus dulcedine repletus est, vt ad perpetuam memoriam, in vetere Cœnobij Vedastini Cœmiterio, & regione Curiæ Comitis* (vt vocant) Crucem erigi curauerit. Quippè illic rectè locus, in quo stans Bernardus, compos fuit votorum: iuxtìm nimirùm sacrum pignus reconditorium suum tùm obtinebat, vico cui à Picis* nomen. Durauit id monumenti (Crucem intelligo) in annum 1447. quo tempore, quia in ruinam desinebat, Vedastinis Ascetis instaurare visum est, & augustiore, hodiè aliquid cernimus, donare formâ. *Ex monu. D. Pronier maioris in S. Vedasto Prioris.* De S. Cereo vide varijs locis.

S. Bernardus visitat Atrebatum.

* Gal. Cour du Conte.

* Gal. Rue des Agaches.

Henricus 41. Vedastinorum Abbas mortalibus eripitur. Succedit Galterus, quo septemdecim per annos creditam sibi Spartam adornare curante, tristissimus ignis totam Cœnobij formam turpissimè deleuit. *Chron. Vedast.*

Galterus Abbas Vedast.

Adamus Sancti Iudoci in Nemore Abbas secundus,

Dõmartinense Monasterium instauratur.

Monasterium suum, loco priore neglecto, in Dommartinensem villam, iuxtim adsitam transfert, à quo etiam loco nomen mutuauit. *Mon. eius loci.*

Ioannes S. Bertini Abbas è suâ Sede eijcitur, Simon ei surrogatur.

Ioannes Abbas Bertinicus, factiosis quibusdam (vide Iperium) plusculùm addictus, è Sede suâ per Innocentium Pont. Max. eijcitur; atque Simon in eius locum surrogatur, ex Alciacensis Cœnobij * Præfecturâ euocatus. De illo sic Iperius: *Simon huius Loci Abbas 42. Gandensis oriundus, Vir Religiosus, & Litteratus, sed impeditioris linguæ à puero Monachus hic effectus & regulariter educatus, ita profecit, vt iussu Domini Lamberti Abbatis missus fuerit ad aliqua Monasteria reformanda, quod sufficienter expleuit. Domino quoque Lamberto Abbate * iam dicto circa finem sui Regiminis infirmante, vicarius est substitutus. Posteà Abbas Alciacensis effectus est. Qui postquàm dictam Ecclesiam quatuor fermè annis egregiè gubernasset, eiecto per Papam Ioanne dudùm Abbate nostro, omnium huius loci Monachorum voto concordi, est hic Abbas assumptus, & per Milonem Episcopum consecratus, anno Domini 1131.* Hactenùs ille.

* Vide suprà ad an. 1127.

* Vide suprà ad an. 1125.

Chronici Bertinici scriptor.

Porrò scripsit Simon Ecclesiæ Bertinicæ Chronicon, ab * Roderici 36. Abbatis, qui anno 1021. regimen est aggressus, ætate, advsque annum 1148. *Idem Iperius.*

* Vide suprà ad an. 1021.

Simone ad Bertinicos migrante, Alciacensibus Godescalcus (qui Godescalcum 44. Bertinensium Abbatem ex sacro fonte suscepit, & communicauit nomen) datur Antistes. *Iperius.*

CHRISTI An. 1131. — INNOC. 2. PAPAE An. 3.

ANNO 1131. Decimo Calendas Maij, Robertus Atrebatium Episcopus, vitæ cursum abrumpit, atque in Ecclesiâ suâ telluri sociatus, resurrectionis suæ diem securus expectat.

Aluisus Abbas Aquicinctinus fit Episcopus Atrebatensis.

Aluisus siue Aluisius, genere Flander, in Bertinensi Cœnobio Monachismum professus, indè in Beati Vedasti Atrebatij Prior; postmodùm Abbas Aquicinctensis, in Atrebatium Pontificem eligitur & sacratur, vir magnanimus, cuius hodieque vestigia supersunt.

Ludouicus sextus Gallorum Rex, Aluisi Abbatis ad apicem Pontificiæ dignitatis promotionem miro gaudio excepit; vt constat ex his eius ad Aluisum litteris:

L. DEI GRATIA FRANCORVM REX, A VENERABILI, EADEM GRATIA ATREBATENSIS ECCLESIÆ ELECTO, AMICO SVO CHARISSIMO, SALVTEM.

Latatur Ludouicus Rex Gall. de Aluisi promotione. Eius ad eum littera.

Auditâ & cognitâ Electione vestrâ, sciat pro certò Vestra Benignitas, quòd super hoc magnâ redundauimus lætitiâ. Vnde nunc Dilectionis vestræ prudentiam rogamus, vt huius dignitatis curam & onus, pro Dei amore & nostro indubitanter suscipiatis; atque huic Electioni, quam nos maximè volumus, & approbamus, acquiescatis. Nos siquidem qui pro vitâ & morum vestrorum honorificentiâ, vos satis anteà diligebamus, amodò cumulatiùs diligemus, & habebimus chariorem. Vale.

Item ex his eiusdem ad Clerum P. Q. A.

L. DEI GRATIA FRANCORVM REX, VNIVERSO CLERO ET POPVLO ATREB. SALVTEM.

Alia ad Clerum P.Q. Atrebatensem.

Gaudemus & gratias agimus benignitati vestræ, quòd venerabilem Abbatem Aquicinensem A. vobis in Episcopum elegistis; cuius personam honestam & idoneam esse scimus, quem & pro vitâ & pro morum honestate, anteà plurimùm diligebamus. Istam igitur Electionem volumus & approbamus, & obnixè precamur vos, vt eundem sicut Pastorem vestrum, cum honore & debitâ custodiatis reuerentiâ, & nostri gratiâ chariorem habeatis. Valete.

*Vide suprà ad an. 610.

Albiniacensis Prioratus reformatur, fitq; iuris Monasterij Eligiani.

*Albiniacensem Ecclesiam, Canonicis Sæcularibus, qui inibì agebant, dimissis, Hugoni Montis Eligiani Abbati tradidit, impertijtque facultatem aliquot sui Monasterij Monachos, Deo in perpetuum ibì militaturos transmittendi, qui sub vno Priore conuiuerent, idque in nostra tempora perseuerat. Approbarunt Eugenius 3. & Alexander 3. Pontt. Maxx. *Mon. Eccl. Atreb.* Iperius.

* *Gosuinum* vocat Anselmus Gemblacensis; alij *Gozuinum* scribūt; Gal. *Gauuin.*

B. Gosuinus Abbas Aquicinctinus. Cæcum illuminat.

Aluiso in Aquicinctinam Præfecturam succedit Beatus *Gosuinus, omnigenæ virtutis lucidissimum exemplar, qui cum in Missæ Sacrificio visum cæco restituisset, *prohibuit* (scribit Molanus) *se ob hoc miraculum laudari, quia Deus etiam per muta animalia miracula edit. Abbas autem omnium suffragijs effectus, orationes, preces Chori, silentium mensæ, dormitorij, & vt paucis dicam, omnium communitatem summè amauit: regulares hospites in Conuentu reficiebat; sæculares ab officinis Conuentus longè remouebat. Euocatus à Præsule Remensi, vnico Comite Sacellano, iter perfecit, & nummus quem vnicum habebat, pauperi datus, statim alterum in marsupio diuinitùs lucrabatur, ita vt non*

 defece-

Aliud Miraculum.

Interfuit Concilio Remensi.

*defecerit ei nummus pauperibus largiendus, donec Remis esset: quod miraculum Historiæ * scriptor audiuit etiam ex ipso Gosuino. Interfuit* Remensi Concilio in decrepita ætate, vocatus ob famam pietatis & doctrinæ ab Eugenio 3. qui ei cottidiè de suis ferculis mittebat. Denique* Petrus Remorum Præsul, audiens Sanctum Abbatem graui morbo affectum esse, statim nuntium misit Aquicinctum, vt tanti Patris benedictionem acciperet. Cui Alexander Gosuini Successor Beati viri emigrationem rescripsit. Propter singularem autem sanctitatem, multis eius Successoribus dictum est:* ACCIPE BACVLVM ABBATIS GOSVINI, VT CVIVS SVSCIPIS OFFICIVM, IMITERIS EXEMPLVM. *Nunc tamen ignoratur vbi pedum illud sit.* Hactenùs Molanus in Natt. 9. Octob. De eo etiam agunt Sigebertus & Anselmus Gemblacensis in Chronicis, & Miræus in Orig. Cœn. Belgicæ.

Eius baculum Pastorale.

*Alexander Gosuini successor.

* Remẽsi Ecclesiæ præerat Hẽricus, Ludouici VI. Galliæ Regis Filius; qui anteà Eccl. Beluacẽsi præfuerat. *Demochares.*

* Lege *Hẽricus.*

Hugo Campanensis, Sancti Pauli Comes, vrbem S. Richarij miserabili incendio cum promiscuâ opidanorum nece, fœdé deuastat; nec ipsi parcit Cœnobio. *Vide infrà ad an. 1137.*

Mira strages Opidi & Cœnobij S. Richarij per Hugonẽ S. Pauli Comitẽ.

Hugo secundus Henniacensis Monasterij Antistes, mortem oppetit; cui Successor nominatur Ioannes Canonicus Aroasiensis. Ad eum litteras scripsit Theodericus Comes.

Middelburgum, aliàs Metelli Castrum, quùm hactenùs vici aut pagi potiùs quàm opidi formam in Zelandiâ tenuisset, splendescere sensim, atque vrbis speciem seu faciem Boisselanis proceribus satagentibus præ se ferre occipit: reformatis, maximè per Gombaldum Traiectensem Episcopum, quibusdam Monachis, qui id temporis, non pro voto & Religiosorum conditione æuum suum inibì transigebant. *Petitæus.*

INNOC. 2. PAPA AN. 5.

CHRISTI AN. 1133

B. Vuiuina Oisiacensis.

ANNO 1133. Beata Vuiuina, ex Nobili prosapiâ, & pago* Oisiensi, Artesiæ non obscuro olìm municipio oriunda, atque * Bigardiæ Maioris, secundo milliari à Bruxellâ in Brabantis Monasterij Fundatrix, habitum Sancti Benedicti induitur. *Molanus in Natt. 17. Decemb.*

* Gal. *Oisy.*

* Vide Miræi Origines c. 61.

Suuanhildis* prior Theoderici Comitis vxor, fato extinguitur. *Iperius.*

* Dicta fuit & Margareta. *Bald. de Glen, in serie Princip. Belg.*

Dedicatio Ecclesiæ Teruannensis.

Ecclesia Terüannensis à Milone Morinensi, Aluiso Atrebatensi, Guarino Ambianensi, & Simone Nouiomensi

Episco-

Episcopis consecratur. *Anselmus Gemblacensis in Chron.*

Magna pars mœniorum opidi Beati Audomari, ad centum viginti circiter longitudinis pedes, valido terræ motu concussa diruitur. *Bresinius.* Iperius verò id factum scribit anno proximè sequente; neque plures sexaginta longitudinis pedes è mœnibus euolasse: nec recedit Meyerus, dempto quòd an. 1136. id contigisse scribat. *Ruunt mœnia S. Audomari ex terræ motu.*

CHRISTI AN. 1134. ANNO 1134. Theodericus Comes alteras nuptias cum Sibyllâ, Fulconis quarti Ierosolymorum Regis, Filiâ, affectat; *de quâ* (scribit Iperius) *genuit Philippum, suum Flandriæ Successorem; Matthæum Boloniæ Comitem, & Margaretam Comitissam.* INNOC. 2. PAPÆ AN. 6. *Alteræ Nuptiæ Theoderici Principis.*

Eodem anno, tertio Id. Decemb. Caput Diui Maximi Episcopi ex Bononiâ Terüannam refertur. *Meyerus. Vide suprà ad an. 1083.* *Relatio Capitis S. Maximi Terüannam.*

CHRISTI AN. 1135. ANNO 1135. Monasterium Sancti Vedasti (cum magnâ opidi Atrebatensis parte) simul & Hamense atque Sancti Ioannis iuxta Terüannam, incendium patiuntur. *Meyerus, Bresinius, Chronicon Vedastinum.* At Anselmus Gemblacensis scribit anno 1136. INNOC. 2. PAPÆ AN. 7. *Varia incendia in Artes.*

Reliquiæ Sancti Folquini ab incendio prodigiosè saluantur. Rem sic enarrat Iperius: *Accidit in Arkas miraculum de Reliquijs Beati Folquini; quas in Philacterio noster Decanus de Arkas habebat in Capellâ Beati Folquini in Ghimecâ. Quâ penitùs combustâ, dùm Decanus Reliquias inter prunas ardentes quæreret; argentum quidem & lignum & cætera Philacterij combustibilia, vastata reperit, Reliquias autem & pannum sericum, quo fuerant inuolutæ, reperit ab igne penitùs intacta.* Sic ille. *S. Folquini Reliquiæ ab ijs diuinitùs saluantur.*

CHRISTI AN. 1136. ANNO 1136. Simon 42. in Beati Bertini Antistes, ab Innocentio Papâ, vti & antecessor eius Ioannes, è Sede exigitur: Iperium testem eius idoneum audiamus: *Cùm iam pridem Ioannem Abbatem nostrum Papa Innocentius à Prælaturâ deiecisset; Fratres nostri minùs consultè, & contra Cluniacenses lite pendente, non consultâ Curiâ, ad electionem procedentes, Dominum Simonem in Abbatem nostrum elegerunt. Quod videntes Cluniacenses, Papam Innocentium, qui de Româ fugiens, apud eos fuerat hospitatus, & eorum Ecclesiam dedicauerat, contra nos animaduerterunt. Quare Papa Innocentius ad Cluniacensium supplicationem faciliùs accliuis, litteras Conuentui nostro direxit; quibus electionem Domini Simonis Abbatis nostri, non ob defe* INNOC. 2. PAPÆ AN. 8. *Simon Bertinianus Abbas è Sede sua exigitur.* *An satis iuste expende Lector.*

ctum personæ, quia bonus & sufficiens erat, sed ob defectum electionis, quæ lite pendente fuerat attentata, cassauit; præcipiens vt Domino Simone deposito, alium sibi Abbatem eligerent Cluniacensium Consilio. Quibus litteris Dominus Simon reuerenter obtemperans, oneri cum dignitate cessit anno Domini CIↃ. C. XXXVI. *& in Gandauo, loco sibi natiuo secessit, vbi ferè xvj. annis religiosissimè vixit.* Hactenùs Iperius.

CHRISTI AN. 1137. *Bethunia flagrat.* INNOC. 2. PAPÆ AN. 9.

ANNO 1137. Bethunia perelegans in Artesijs Ciuitas, Aduocatiæ titulo clarissima, tristi flammâ percutitur. *Bresinius, Meyerus, & Andr. Hoyus in suâ Bethuniâ, cuius suprà meminimus ad annum 1096.*

Monasterium Caricampēse fundatur ab Hugone S. Pauli Comite. Quâ caussâ.

Hugo * Campanensis, priscè Campus auenæ, & Beatrix eius Coniunx, amplissimi territorij Sancti Pauli (360. turriti pagi in eo numerantur) Comites, * Caricampense Monasterium à fundamentis exædificant, varijsque possessionibus locupletant. Liberalitatis huiusce caussa, patratorum ab ipso Hugone flagitiorum magnitudo. Quippé, nescio quâ ductus simultate *, Ponthiuensem Comitem, sanguine sibi vinctum interfecerat: Sacerdotem in * Bellouarensi villâ, * Dorlanâ Arce mille passibus abiunctâ, sacris operantem, maiore audaciâ gladio transfoderat (cuius tragœdiæ historia in vitreâ quâdam fenestrâ, eo in pago etiamnùm cernitur:) Sancti Richarij vrbem Cœnobiumque, nulli ætati, sexui, nec ordini parcens, igni ferroque grassatus, supremo abstulerat excidio. De quo Anselmus Gemblacensis in suo Chronico meminit hisce verbis: *Hugo Candauena exortis inimicitijs contra opidanos S. Richarij in pago * Pontiuo, totum opidum, cum Ecclesiâ Sancti Richarij penitùs combussit; in quâ Ecclesiâ aliquot Monachi & inæstimabilis multitudo promiscui sexus, quod dictu nefas est, simul concremata perijt.* Sic ille ad annum 1131.

Quam tantorum facinorum enormitatem, quo debitâ pœnitentiâ diluere, atque in fidelium societatem, à quâ per Summum Pontificem amandatus anathematis fulmine erat, redire posset; eorum tandem pœnitens, piam istanc operam hîc & alibì * operari est coactus.

Porrò domus ista, varia Principum Comitumque, vt in sequentibus * videbimus, continet Mausolæa. Vndè inibì hos legi versus:

Clara domus multos condit tellure sepultos

* Gal. *Candauaine.* * Gal. *Cercamp.* * Gal. *Ponthieu.* * Gal. *Beauuoir.* * Gal. *Dourlens.* * *Ponticon* vocat Herodotus: & ex illo Bartholomæus Anglicu l. 15. de rerum proprietate, c. 123. * sc. Vrsicampi & Clericampi. * ad ann. 1148. 1202. 1267. 1289. 1317. 1319 1433. 1482. 1483. 1487. 1546.

Pauli-

Paulinos Comites, Vendomiosque Duces.
Et licet extremis Patriæ sita finibus exstet,
Tuta tamen quouis semper ab hoste fuit.
Numinis id pietas facit, & clementia Regum:
Pro quibus assiduas fundit agitque preces.

Excellit id Monasteriũ varijs Princi-pũ Mausoleis.

* Gange fl. irrigatur; qui præter cæterorum Artesiæ fluminum (si * Altiam & Thenam, Gallicè TERNOIS; qui non procul Hesdino ipsam Gangem influit, eximas) communem lapsum, aquas ad Occasum voluit, vndè trutarum, quas troctas à voracitate Græci appellant, est ferax; quòd eæ ferantur ad ortum contra vim fluminis, obnitentes leuibus pinnis remigatæ. Piscinas seu viuaria (quod Cistercicensibus, ad quorum regulam ibi viuitur, commune est) spatiosissimè ad Aquilonem habet obiecta; non infœcundo piscatu. In Asceterio præfuerunt qui ex ordine sequuntur Abbates.

* Gal. *Canche.*
* Gal. *Anthy.*

Loci descriptio.
Trutæ Artesiẽses.
Caricãpenses piscinæ.

SERIES ABBATVM MONASTERII CARICAMPENSIS.

PRIMVS D. Iordanus: Pontiniaci in natalitio solo obijt anno 1142.

2. Hugo: eius tempore inchoatum fuit Cœnobij Templum, quod longè est amplissimum. Obijt 13. Maij anno 1154.
3. Vrbanus. Obijt pridiè Cal. Sept. anno 1166. inque Capitulo, vt vocant, sub Marmoreo monumento eius Corpus tumulatum.
4. Helselinus. Obijt Pontiniaci in patrio solo.
5. Albanus. Obijt anno 1181.
6. Petrus. Obijt 4. Maij 1188.
7. Artandus. Is Præfecturam Hugoni resignauit, atque Pontiniacum, vbi professus fuerat, concessit.
8. Hugo. Et hic dignitate abdicatâ, Pontiniacenses pariter repetit: vndè in Hungariam ad aliam arcessitus Prælaturam, ibidem vitæ termininum posuit.
9. Vrbanus. Hic varias possessiones ab Aroasiensibus pretio acceptas, Monasterio acquisiuit.
10. Robertus, S. Theologiæ Doctor, à quo Templi ornatus magnoperè creuit: Præfuit annis viginti.
11. Araaldus, fortè Alardus. Rexit ann. 14.

12. Adamus. Hic bellorum iniquitate fractus, dignitati renuntiauit.
13. Robertus, sub quo mitior aura affulsit.
14. Vedastus. Monasterio non modicè profuit.
15. Ioannes. Rexit annis 22.
16. VVillardus. Eo regnante, Ecclesia Caricampensis Asceterij Deo Opt. Max. eiusque Sacratissimæ Matri fuit dedicata, anno 1262. sedentibus Petro Atrebatium, & Radulpho Morinensium Episcopis, atque Gilleberto Bertinensium Abbate; sub Roberto illustri Principe Flandriarum.
17. Gerardus. Interfuit translationi Reliquiarum Atrebatensium, quam Gulielmus Isiacus Episcopus an. 1287. est operatus.
18. Martinus: tribus præfuit annis.
19. Ioannes 2. Sanctæ Theologiæ Licentiatus; annis quindecim imperauit.
20. Nicolaus. Obijt 18. Februarij; iacet in Capitulo, sub tegumento marmoreo.
21. Ioannes 3. Rexit annis 10. indè paralysi tactus, dignitati cessit. Sept. 14. mortem oppetijt, atque Capitulum sepulcri locus fuit superiecto marmore, cui insculptum legas: HIC IACET DOMINVS IOANNES 21. ABBAS CARICAMPI.
22. Ioannes 4. Etiam & hic in Capitulo quiescit sub marmore, in cuius superficie scriptum: HIC IACET DOMNVS IOANNES DE CHESALO; VENERABILIS QVONDAM ABBAS 22. CARICAMPI. Obijt 20. Febr.
23. Gulielmus ex * Nouâ-Villulâ oriundus. * Gal. Neuuille.
24. Ingerramnus. Rexit annis 16.
25. Ioannes 5.
26. Robertus 2. Obijt 27. Aprilis.
27. Thomas. Obijt 10. Ianuarij.
28. Ioannes 6. Obijt 7. Aprilis.
29. Ioannes 7. Parisijs dum Monasterij negotia curat, fatum oppetit.
30. Ioannes 8. Obijt 31. Maij; sepultusque in vetere Beatæ Virginis Sacello.
31. Petrus. Romæ obijt, 20. Aprilis.

32. Ioannes 9. Præfuit annis 9. Templi sui Campanile inchoauit, atque nobili datum pyramide ad coronidem perduxit. *Vide infrà ad an. 1558.*

33. Ingerramnus * Crecquius. Hic annos totos octo suprà viginti rexit, atque ædificijs Cœnobium auxit, pietatis gloriâ celebris: obijtque ann. 1484. 14. Decemb. iacetque in Beati Bernardi Sacello; vbì hodieque Gallicum eius legitur Epitaphium.

* Gal. *de Crecques.*

34. Ioannes 10. *Laurentius cognomento: rexit an. 98. *Villam Bucci pretio penso comparauit; obijtque an. 1503. Aug. 23. è regione Sacelli B. Ioãnis Baptistæ tumulatus.

* Gal. *Laurens.* * Gal. *Boncque maison.*

35. Ludouicus *Vignon.* Hic Molam alatam, siue pneumaticam (vt Iunius loquitur) Bucci-villæ adiunxit. Obijt anno 1512. Ianuarij 12. communem in Templo suo cum * Nicolao *Vignon* & Philippâ *Morel* parentibus suis inijt sepulturam.

* Vulgò *Colart,* Obijt an. 1506.

36. Petrus cognomine Bonus, aliàs Ambianensis S. Theol. Bacchalaureus, qui Parisijs ann. 1512. per Cisterciensem Antistitem inauguratus, omnium etiam Principum, totos 38. quibus præfuit annos, cumulatissimè satisfecit votis. Obijt anno 1550. Augusti 21. ætatis suæ 84. In Chori medio felicem illam diem expectat.

37. Ioannes Rougetius. Eius tempore, sc. an. 1558. arsit Ecclesia cum Campanili. Obijt Atrebati anno 1569. prid. Calend. Maias; atque in Templum suum fuit relatus.

38. Philippus *de Sauty.* Annos 5. præfuit, Templique ruinam instaurauit. Obijt 16. Aug. an. 1575.

39. Germanus *Pecqueur.* Hic tribus dumtaxat annis præfuit. Obijt an. 1578. Aug. 15.

40. Eustathius *de Bayart,* aliàs *Gantau.*

41. R. D. Philippus *de la Haye,* hodiè superstes.

Hactenùs ex monumentis varijs MSS. eius Cœnobij.

CHRISTI AN. 1138.

ANNO 1138. Leo, siue Leonius in ditione Furnensi, nobili loco natus, Bertinensium quadragesimus tertius creatur Antistes. Is in Aquicinctino Cœnobio Monachum sub Aluiso Abbate professus, Lobiensibus primò (quibus Beatus Vrsmarus Asceterium dedit) Abbas imperauit, eorumque res collapsas splendidè restituit. Hinc communibus Bertinicorum suffragijs euocatus, migrauit

INNOC. 2. PAPÆ AN. 10. *Leonius Abbas Bertinensis.*

Cluniacensibus fortiter obstitit, eosque a Monasterij sui prætento dominio penitùs exclusit.

loco. Indè Romam profectus, adeò strenuè Cluniacensibus obstitit, vt tandem ab Innocentio Summo Pontifice omnimodæ libertatis, quam impugnabant ij, priuilegium felici periodo reportarit. Sic Illud incipit: *Innocentius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, dilecto Filio Leoni Abbati Sancti Bertini, eiusque Successoribus* . . . . *substituendis in perpetuum; qui ad perpetuam Ecclesiam. &c.* Iperius.

Protectores eiusdem loci.

Theodericus & Sibylla Comites, Milo Morinorum Episcopus, Philippus & Milo Archidiaconi, Gulielmus Præfectus Audomarensium, eorumque Successores, Bertinianæ Domus tutores ac perpetui protectores ab Innocentio Romano Pont. instituuntur. Eius sic Iperius meminit: *Idem* (sc. Leonius Abbas) *Attulit litteras, quibus Papa mandat Theoderico Comiti Flandriæ, Sibyllæ eius Comitissæ & Baronibus per Flandriam constitutis, iudicium prædictum mandans, vt hoc Monasterium & Abbatem eius, in hac suâ iustitiâ manu tenere atque defendere curent. Itemque consimiles VVillelmo Castellano, & tam maioribus, quàm minoribus villæ Sancti Audomari. Similes quoque Miloni Episcopo, Philippo & Miloni Archidiaconis & toti Capitulo Morinorum. &c.* Hactenùs Iperius, cui consonat Meyerus.

Comitia Ipræ ab Theoderico habita.

Eodem anno XI. Cal. Martias Theodericus Princeps, Hierosolymam profecturus, Ipræ Comitia celebrat: in quibus, Milone, Simone, Aluisoque Episcopis, Sibyllâ vxore, omnique dignitate Flandricâ præsentibus, pacem (de quâ in Balduino Securiculâ, ad annum CIↃ.C. XI. diximus) renouat firmatque. In Legibus tunc dictis hæ continebantur:

Leges ibi editæ.

HANC PACEM QVICVNQVE NON-SERVAVERINT, EXTRA CONSORTIVM SANCTÆ ECCLESIÆ SVNTOTE.

HOMICIDIA EXTREMO SVPPLICIO; VVLNERA TALIONE, AVT BONORVM COMMISSIONE, AVT DVELLO PVNIVNTOR.

LATRONES FVRESQVE NOCTVRNI, VBICVNQVE REPERIANTVR, A TOTA VICINIA OCCIDVNTOR.

HOS QVI PERSEQVI DE NOCTE DETRECTASSET, SEXAGINTA SOLIDOS MVLTATOR.

Theodericus ad sacram Militiã proficiscitur.

His ita institutis, rerum Flandricarum curâ Sibyllæ Coniugi commissâ, Orientem petit; iunctusque Fulconi Hie-

rosolymorum Regi, non modico in barbaros fuit adiumento. *Meyerus. Vide suprà ad an. 1111.*

Ecclesia Teruannensis flagrat.

Ecclesia nostræ Dominæ Teruannensis ignibus corripitur. *Bresinius.*

Mareolensium priuilegia confirmantur.

Aluisus Episcopus noster priuilegia ab Regibus Francorum Mareolensi Cœnobio concessa, in præsentiâ singulorum Diœcesios Atrebatensis Abbatum, confirmat, Synodo ad hoc coactâ. Indictione primâ, IV. Cal. Oct.

CHRISTI AN. 1139. — INNOC. 2. PAPÆ AN. 11. — *Templi Viconiensis Dedicatio.*

ANNO 1139. Templum Viconiensis Monasterij, recens à Guidone Britanno Presbytero, Sancti Nortberti adhortatu, inxta Valencenas constructi, ab Aluiso Episcopo, in Beatæ Virginis honorem consecratur. *Vide Mariale nostrum lib. 3.*

S. Bertha miraculis fulget.

Gisleberto Blangiacensis Monasterij Cœnobium moderante, Beata Bertha varijs coruscat miraculis. *Ex eius vitâ MSS.*

CHRISTI AN. 1140. — INNOC. 2 PAPÆ AN. 12. — *Claromariscense Monasterium fundatur.*

ANNO 1140. Theodericus Princeps abs Hierosolymis regressus, atque Sibylla eius vxor, in Claromarisco, non procul Sancti Audomari fano, Monasterium componunt, atque Beato * Bernardo offerunt: cui Goufridum ex Claraualle euocatum, primum dedit Abbatem. *Molanus in Natt. 20. Aug. & Marchantius lib. 1. Flandriæ in Casleto.*

* Eum ampliùs 160. Monasteria ædificasse notat. Franc. Balduinus in Chronico Artesiæ. Alij ad 150. contrahunt. *Vide Bozium de Sign. Eccl. l. 7. cap. 1.*

De eodem Monasterio Ioannes Iperius sic loquitur: *Anno sequente (sc. 1140.) Theodericus Comes & Sybilla eius vxor, in hæreditate suâ propriâ, iuxta villam Sancti Audomari, inter paludes & nemora Monasterium ædificauerunt in honore Beatæ Virginis Mariæ, & Beato Bernardo tradiderunt. Qui locum in marisco situm Monachis Cisterciensibus instituit; & propter Religionis puritatem, Clarum Mariscum nominauit; Abbatem eis præficiens Dominum Goufridum, Monachum Clareuallis. Postquàm verò rexerat annis ferè octo, subrogatus est Abbas Guillelmus, qui viginti annis præfuit. Iste Guillelmus Ecclesiam, Claustrum & cæteras Religionis officinas transtulit de loco illo, qui adhuc propter hoc vocatur Vetus Curia, ad locum, vbi nunc sunt. Beatus Bernardus tunc patriam Flandriæ & Brabantiæ peragrans, hanc & alias plures Abbatias construxit: quæ omnes quia per eum, qui Abbas erat Clareuallis, fundatæ sunt, Filiæ sunt Clareuallis.* Hactenùs Iperius.

Eius primus Abbas.

SERIES ABBATVM MONASTERII CLAROMARISCENSIS.

1. GVNFRIDVS, præfuit annis 8.
2. Gulielmus, præfuit annis 16.
3. Dauid, præfuit annis 5.
4. Euerardus, præfuit annis 11.
5. Fernandus, præfuit annis 4.
6. Gerardus de Spineto, præfuit annis 5.
7. Adam, præfuit 4. mensibus.
8. Gerardus de Campania, præfuit annis 3.
9. Nicolaus, præfuit annis 4.
10. Lambertus, præfuit annis 14.
11. Michaël, præfuit anno 1.
12. Menerius; præfuit 9. mensibus.
13. Simon de Marketta, præfuit annis 32.
14. Robertus de Bethunia, præfuit annis 8.
15. Arnulphus, præfuit annis 16.
16. Nicolaus *de Stenfort*, præfuit annis 8.
17. Anselmus *Rosin*, præfuit annis 3.
18. Renerus de Marketta S. T. Doctor, præfuit annis 2.
19. Petrus de Diuione, præfuit annis 6.
20. Henricus de Ipra, præfuit annis 15.
21. Sagallo, præfuit annis 8.
22. Henricus de Ipra iterùm, præfuit anno 1.
23. Ioannes *Bieure* S. T. Doctor, præfuit anno 1.
24. Franciscus *Sandre*, præfuit anno 1.
25. Lambertus *de Arkes*, præfuit annis 13.
26. Paulus, præfuit annis 10.
27. Iacobus *Mithe*, præfuit annis 20.
28. Ioannes *Godderons* ex Dunensi Cœnobio accitus, præfuit annis 21.
29. Petrus *Ruthe*, præfuit annis 14.
30. Georgius de Campania, præfuit annis 11.
31. Ioannes *Gheers*, præfuit annis 26.
32. Rolandus Monachi, præfuit annis 11.
33. Ioannes Serlanus, præfuit annis 17.
34. Ierannus *Crebeen*, præfuit annis 19.
35. Iacobus *le Cyeure*, præfuit annis 11.
36. Ægidius *Villers*, præfuit annis 22.

37. Ægidius *du Pont*, præfuit annis 7.
38. Ludouicus *Hertauld*, præfuit annis 19.
39. Robertus *Pepin*, præfuit annis 3.
40. Antonius *de Croix*, præfuit annis 29.
41. Antonius *de Canteleu*, præfuit annis 11.
42. Hubertus *Raoul*, præfuit annis 5.
43. Morandus *de Blomme*.

Ex Monn. MSS. eius loci.

Aluisus Episcopus, Iprensium rogatu, S. Gertrudis Corpus ex Marchianensi Cœnobio, Reningam Furnensis agri locum defert, Iprensi Senatu pollicente se Reningensis syluæ ligneum vectigal, Iudithæ Marchianensis Antistitæ incuriâ lapsum, aut fortè malitiâ affinibus concessum, omni diligentiâ in gratiam memoriamque beneficij requisiturum, adeóque redditurum. *Meyerus in Annal.* *Translatio Corporis S. Gertrudis.*

Stephanus Anglorum Rex, Balduinus Hannoniæ & Hugo Candauena Sancti Pauli Comites, in Theodericum Principem conspirant. Quorum viribus fortiter reluctatus Elsatius, graui eos iacturâ multauit, ferro, flammâ, carcere, varijsque spolijs ex hostico relatis. *Balduini Hannoniæ & Hugonis S. Pauli Comitum conspiratio in Theodericum conspiratio*

Innoc. 2. Papa An. 13. ANNO 1141. Obit Ogina Messinensis Antistita, postquàm 40. per annos Monasterio præfuisset. Pater illi fuit (vti ad annum 1093. diximus) Robertus Frisius Flandriæ Comes. CHRISTI An. 1141.

Innoc. 2. Papa An. 14. ANNO 1142. Hugo Candauena Fani Pauli Comes, scelerum suorum, vt piè creditur, vinculo solutus, soluitur simul & vitæ. Proles habuit Engelramnum, Hugonem, Anselmum, Rudolphum & Guidonem. Engelramnus in Patris iuit Comitatum: sed, simul cum Hugone Fratre, nullâ relictâ sobole, vitâ defungens, Anselmo eundem transmisit. *Ex Monn MSS. Monasterij Caricampensis; & ex Bresinij Chronicis. Vide suprà ad annum 1137. & infrà ad annum 1174.* CHRISTI AN. 1142. *Obitus Hugonis Comitis S. Pauli. Eius proles; & in Comitatum successores.*

Iordanus primus Caricampensis Cœnobij Abbas, Pontiniaci in solo natalitio pedum & vitam ponit; succedente Hugone, qui dignitatem in annum duodecimum protraxit. *Ex ijsdem Monn.*

Theodericus Princeps Arcem Teruannæ iterùm aduersus Sacerdotij libertatem excitatam funditùs euertit. *Arx Teruannensis deijcitur.*

Teruanensium in sacrũ Ordinem insolẽtia.

Eam Arcem Arnulphus aduocatus (ita Ciuitatis Princeps vocabatur) * Eustatij Filius, via Thuricâ extruxerat: indéque indignis modis Milonem Episcopum cæterosque sacrorum ministros vexabat. Eam ob rem per Cælestinum Luciumque & Hadrianum Pontt. Maxx. ac Theodericum Principem prohibitum est ne Arx vlla posthac, neque in vrbe, neque intra eius primum lapidem ædificetur. *Meyerus, Florentius Haræus, &c.*

* Vide suprà ad an. 1122.

Fulco quartus Hierosolymorum Rex, atque Sibyllæ Principis Flandriæ pater (vide suprà ad annum 1134.) vitam cum morte commutat*. Cui Balduinus Filius in regnum successit, firmissiméque tenuit annos quatuor supra viginti. *Gulielmus Tyrius.*

* Auctarium Gemblacensis Chronici scribit obijsse an. 1144.

Albero al. Adalbero Episcopus Leodicensis, anteà Metensis Canonicus, Godefridi Ducis Louaniensis Frater, rebus humanis eximitur. Is quoddam seruitutis genus, quod MORTVÆ MANVS vocabatur, in amplissimâ suâ Diœcesi extinxit. Antiquitùs enim, vt habet Chronographus Leodicensis, mortuo aliquo rustico dextera manus abscindebatur, & eius Domino præsentabatur, in signum quo ei ampliùs non seruiret. *Molanus lib. 3. de Canonicis cap. 35.*

Seruitus Manus mortua.

CHRISTI AN. 1143.

CÆLESTINI SECVNDI PAPÆ AN. I. LVCII SECVNDI PAPÆ AN. I.

ANNO 1143. Leonius Bertinensis Antistes ab Cælestino Pont. Max. nouum libertatis contra Cluniacenses diploma impetrat. *Iperius.*

CHRISTI AN. 1144. *Mareolense Monasteriũ reformatur.*

ANNO 1144. Mareolense Cœnobium (de quo suprà ad annum 930. & 977.) Ab Aluiso Episcopo reformatur, sæcularibus Canonicis, qui inibi negligenter Domino seruiebant, dimissis; admissis verò regularibus Augustiniani Ordinis Monachis: quibus primus Abbas præfuit Balduinus Bailliolanus, Aquæcurtensis Monachus, ab ipso Episcopo accitus. Horum quidam liber MS. perantiquus, quem asseruant Mareolenses, sic memoratur:

*Anno Verbi incarnati 1132. Ludouico adhuc iuuene Sicambris regnante, Theodorico Patre Philippi Flandrijs principante, Aluisius priùs Abbas Aquinensis, Sedis Atrebatensis præsulatum tenebat. Qui vir quantæ religionis, & circa Dei cultum deuotionis exstiterit, cæteris eius bonis omissis, nostra testatur Ecclesia. Præsulatus enim eius anno * xiij. ibidem Canonici sæculares militabant; quorum stipendia modica quidem erant, & ipsi nihilominùs negligenter*

* al. xij.

genter seruiebant. Quæ omnia Dominus Episcopus perpendens; & dignitatem Ecclesiæ considerans, corrigenda, si quo modo posset, de manu Laicorum Clericorum, ad viros Religionis transferenda proposuit. & paulò pòst:

* Gal. Eaucourt.

*Accersiuit tandem Dominum Odonem * Aolcurtis Abbatem, rogans vt infra xv. dierum spatium Dominum Balduinum de Bailleul, virum tunc bonæ opinionis sibi transmitteret; ipse enim Furnis in Ecclesiâ Beati Nicolai præfuerat: sed seditiones incolarum detestans discesserat, & apud Abbatem manebat. Contigit autem vt infra prædictos dies Episcopi domus succenderetur. Abbas igitur hoc cognito redit ad Episcopum conquerens & dicens nunc illud propositum propter recens infortunium esse differendum. Ad quem constanter Pontifex. Immò nunc, inquit, accelera mittere virum quem postulo, credo enim, quòd quia hoc opus nimiùm distuli; diuinò damnum hoc contigit iudicio.* Et interiectis paucis:

Idem verò Episcopus Mareolum veniens, IV. *Calend. Maij, de manu Laicorum suscepit, & Balduino tradidit: qui eidem Ecclesiæ ordinatus relatione quorumdam Fidelium didicit, quòd Balduinus Calderon teneret allodia patrimonij Sanctæ Bertiliæ, videlicet quartam partem terræ de Soncampo, quæ Clerici per negligentiam requirere negligebant. Episcopus verò & Abbas Balduinus, Calderon vt eadem allodia Ecclesiæ redderet, præceperunt: qui voluntati eorum acquiescens, non solùm allodia reddidit; sed vt domus ædificaretur eodem in loco, adiutorium impendit: & post annos aliquos, Capellam ligneam Balduinus Abbas, quam magnâ paupertate construxerat, destrui præcepit: & eam quæ nunc est, proprijs expensis, penè totam ædificauit.* &c. Hactenùs ibì.

SERIES ABBATVM MAREOLENSIVM.

1. BALDVINVS *de Bailloeul.* Obijt anno 1171.
2. Martinus. Obijt anno 1191. Instituit Fratribus refectionem plenariam piscium & vini.
3. VValterus.
4. Robertus.
5. Petrus, patriâ Anglus. *Vide ad annum 1207.*
6. Petrus secundus Atrebato oriundus. Obijt anno 1244.
7. Michaël Mareolanus.
8. Ioannes *de VVangnart.* Obijt anno 1248.
9. Euerardus *Bretel*, Atrebatensis.

Subse-

Subsequentium 19. Antistitum, hinc indè operosè collectorum ordinem quia ignoramus, eosdem Serie Alphabeticâ recensebimus.

Ægidius *le Grant*. Is Chori subsellia, atque principis Altaris tabulam fieri curauit. Sedebat an. 1455.
Antonius *d'Allongeuille*.
Antonius de Cauerna.
Eustathius de Risto.
Franciscus *de Becourt*.
Gerardus.
Hugo.
Iacobus 1.
Iacobus *de Bay*.
Ioannes *Brocars*.
Ioannes *Cheualiers*.
Ioannes *Nodoul*.
Nicolaus *Hustins*.
Petrus de Marcenis.
Renoldus.
Robertus 2.
Stephanus de Vennis.
Thomas 1.
VValeranus.]

Ordinem resumo.

29. Robertus *le Roy*, Molitoris Filius; Cœnobium quùm ædificijs tùm supellectile admodùm auxit & illustrauit. Obijt anno 1525.
30. Ioannes *de Busquoy*.
31. Paschasius *Cretel*. Obijt anno 1551. postquàm 18. annis præfuisset.
32. Ioannes *Brassart*. Obijt anno 1553.
33. Nicolaus *Lietart*. Obijt anno 1583.
34. Thomas *Iacquart*.
35. R. D. Bonauentura *le Feure*, hodiéque superstes.

Bertinenses iteratò per Leonium à Lucio Papa, contra Cluniacenses priuilegium libertatis obtinent. *Iperius*.

Annonæ caritas & fames. Hyems nimietate pluuiæ & vento vehementi periculosa exstitit & damnosa in tantum vt syluas, templa, turres ædificia, quæ putabantur firmissima, aut funditùs subuerterit, aut magnâ ex parte destruxerit. Triticeæ messis maturitas & collectio prouenit tardiùs solito; quia nimietate pluuiæ impediente, vix potuerunt messores 8. Cal. Septemb. metere, quod aliquoties vidimus eos 8. Cal. Augusti messuisse. Vndè fames grauissima multos afflixit, & multos panis penuria pauperauit. &c. *Auctarium Chronici Gemblacensis ijsdem ferè verbis; scriptum est circa annum Domini 1149.*

CHRISTI AN. 1145.

EVGENII TERTII PAPÆ AN. 1.

ANNO 1145. Leonius Beati Bertini Antistes, *sciens* (ait Iperius) *quòd funiculus triplex difficilè rumpitur, ne qua spes recuperandi Cluniacensibus aspiraret, tertiò Romam tendit, & ab Eugenio Papâ iudicium ac priuilegia prædicta iterum confirmari & reuocari impetrauit; in quo nobis nominatim multa confirmat, sicut de electione nostrâ, & de electione Alciacensi; de Sacerdotibus in Parœchialibus Ecclesijs nostris instituendis, & ne Episcopus in hoc Monasterio stationem faciat, &c.* Sic ille.

Parœcialis Ecclesia pagi Balleolani.

In S. Pauli apud Artesios Comitatu, iuxta opidum Pernense, Balleolanus pagus per Andream eius loci Dynastam, Sacello ad diuina peragunda, Eugenij Papæ concessione exornatur. Cæterum quùm Parœcialis Ecclesiæ Hamettensis villæ appendix esset, atque adeò incommodis suis, vt fit, non careret, anno 1230. pietate & diligentiâ N. V. Ioannis, Equestris, velut Andreas, ordinis, dictique loci ex hæredio dynastæ, cooperante in vota Beatrice Coniuge, alterâ Parœciâ rescissâ, noua apud Balleolanos instituta est, quam honesto censu idem Ioannes auctum iuit, annuente Beatrice & Adamo eorum primogenito. *Ex Bibliothecâ Domini Maximiliani eius loci hodiè Dynastæ.*

Oleum prodigiosum.

Porrò (quod hîc notandum est) in dictâ Hamettensi Ecclesiâ, Oleum, ex Monte Sinai eò allatum honorificè asseruatur, nec sine prodigio; etenim vt accrescit luna & decrescit; sic & Oleum in phialâ reclusum, quod nec tamen arescit vnquam; & sæpè aurium dolore laborantibus impertit sanitatem.

Aquacurtensis cœnobij opes accrescunt.

Anselmus DE HVDEN (fortè HOVSDAIN) & Angelina eius Coniunx, Roberti Filij, & Ælidis, Angelinæ sororis consensione, Aquęcurtensi Cœnobio varias possessiones, quas in COVRCELLES, GAILLESCOVRT, alibì obtinebant, dono conferunt. Donationem ratam habuere Theodericus & Sibylla Flandriæ, atque Engelramus Bononiæ Comites.

EVGEN. 3. PAPÆ AN. 2.

CHRISTI AN. 1146.

ANNO 1146. Fames grauissima & hoc anno grassatur *Auctarium Gemblacense.*

Tornacenses proprium Episcopum, Nouiomensi rel. Ec. recipiũt.

Tornacensis Ecclesia, quæ per quingentos & ampliùs annos, Episcopis Nouiomensis Ecclesiæ commendata fuerat, proprium Episcopum, Anselmum nomine, ab Eugenio Pont. Max. recipit, Bernardo Abbate Clarevallensi inter alios procurante. *Auctarium Gemblacense.*

CHRIST AN. 1147. *Theoderici iterùm ad Militiā sacram.*

EVGEN. 2. PAPA. AN. 3.

ANNO 1147. Theodericus Princeps secundò ad militiam sacram, cum Aluiso Episcopo & Leonio Abbate Bertinico, atque selectissimis Flandriæ pugnatoribus, Conradum Cæsarem, & Ludouicum Gallorum Regem secutus, proficiscitur *Iperius*.

Guerricus Abbas Vedastinus

Galterus 42. Vedastinorum Antistes, annis 17. in Regimine insumptis, viribus fractus, atque oneris pertæsus, diutiùs præesse recusat: quamobrem Guerricus Lessiensis Abbas huc accitus, Galtero sufficitur, *Vir* (ait Vodastinum Chronicon) *pietate & prudentia ac honore dignissimus. Huic fraus insidiantium & causse domesticæ parum tribuerunt otij. Ab Balduino Hannoniæ Comite* populatus ager Atrebatensis. Alias curas iniecerunt intentatæ à pluribus controuersiæ, quibus se Monasteriumque explicuit; aut amicâ partium compositione, aut cæteris caussa cadentibus, oportunè in eam rem consecutus cōplura diplomata Pontificia. Inter quæ vnum tulit, quo ab Eugenio tertio decernitur vt in locum demortuorum* Canonicorum D. Petri, nulli substituantur; atque ita sensim res eius Ecclesiæ concedant in vsus Religiosorum, qui diuinum officium ibidem agunt. Sopitis controuersijs quietior Guerricus, octauo acceptæ administrationis anno, vi statuti certi interitus omnibus hominibus, extinguitur anno Domini 1155.* Sic ibi.

Atrebati Canonicorum Ecclesiæ S. Petri ad muros Vedastinos Sacerdotia, sensim in rem Monasterij opes concedunt.

* anno 1149.

* Nota, & vide suprà ad an. 729. & infrà an. 1180.

Guido primus Visconiensis Antistes mortalis vitæ carcerem egreditur. *Meyerus.*

Geruasius Aroasiensis Monasterij primus Abbas, anno administrationis suæ 25. iam exacto; curam suam in manus Aluisi Episcopi reddit, sicque soli sibi vacare incipit: obijt verò an. 1171. 14. Cal. Octob.

CHRISTI AN. 1148. *Altaria ab Godescalco Episcopo, Atrebatensi Ecclesiæ donata. Ecclesia S. Mariæ in horto Atrebati.*

EVGEN. 2. PAPA AN. 4.

Geruasio in eandem dignitatem successit Gerardus, genere Flander, Sancti Nicolai Tornacensis Antistes. *Vide infrà ad an. 1150.*

ANNO 1148. Aluisus in expeditione Hierosolymitana moritur; atque Philippis vrbe Macedoniæ telluri mandatur. Succedit* Godescalus, genere Brabantinus; *Abbas* (habent Ecclesiæ Atrebatensis tabulæ) *de Monte Sancti Martini Laudunensis; vir in eleemosynarum largitione probatissimus. Hic contulit Capitulo Atrebatensi de sub Altaria de Bailleul, de Bourich, de Hebuternâ, de Ronuroy, de Servin in Gauhariâ &c. de Migellâ iuxta Vermelam; Parochiam quoque B. Mariæ, cum tota decima & alijs, quæ sunt de iure eiusdem Parœciæ, necnon Ecclesiam*

* Auctarium Affligemē se ad Anselmi Gemblacensis Abbatis Chronicon, ait ordinatū Episcopi an. 1151.

San-

Est Suburbium opidi Atrebat.

Sancti Nicolai de Meolens, cum earum appendicibus, ab omni reditu Episcopi, & ministrorum liberas fecit. Hactenùs ibi.

Ecclesia S. Nicolai de Meolens.

Porrò dicta S. Mariæ Parœcialis Ecclesia, quam vulgò CAPELLAM IN HORTO, nominant, in opido Atrebatensi erecta est, auctoritate Eugenij Pont. Max. vt clarè iudicat hoc eius diploma ad Godescalcum.

EVGENIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, VENERABILI FRATRI GODESCHALCO, ATREBATENSI EPISCOPO, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pro S. Mariæ Ecclesiâ in horto, littera Pontificia.

Non est in homine via eius. Cor enim hominis disponit viam suam, Dominus autem dirigit gressus illius. Quid enim olim summâ cum instantiâ expetieris, reminiscimur; & quod te diuina dextera subuexerit, cum lætitia & gratiarum actionibus intuemur. Quod enim olim &c. & post pauca: *De cætero ex parte dilectorum Filiorum nostrorum Abbatis & Fratrum S. Vedasti querelam accepimus, quòd suggestione Clericorum tuorum, eos contra tenorem priuilegiorum, quæ à Sede Apostolicâ meruerunt, & antiquam consuetudinem aggrauare contendis. Significauerunt etiam nobis se Capellam quandam parœcialem habere, quæ parœcianos suos præ ipsorum multitudine capere non sufficiat. Vndè postulant vt quibusdam eorum, illis scilicet qui viridarium & hortum ipsorum Fratrum,* non à multis temporibus inhabitare cœperunt, ad quandam alteram Capellam suam, proprio ibi presbytero constituto, liceat te conniuente transire, iure tuo in eâ, sicut & in alterâ tibi pleniter conseruato. Quia igitur quantò altiùs ascendisti, tantò & commissorum vtilitatibus imminere, & Religiosorum petitionibus faciliorem te conuenit præstare consensum; per præsentia scripta Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs eos contra tenorem priuilegiorum nostrorum, & antiquam consuetudinem nequaquam aggraues. Si verò dicta eorum veritate nituntur, illos qui Viridarium & hortos ipsorum inhabitant, ad alteram Capellam suam transire permittas, in quâ ius tuum, sicut in istâ tibi pleniter conseruetur. Si verò aliquid est quod contra eos tibi credas posse competere, antè nobis illud intimare procures, & nos tibi, quod tuum est, auctore Domino conseruabimus.* Vide infrà ad an. 1457.

* Nota.

Hortus B. Vedasti, vbi hodiè Capella B. Virginis.

Simon 42. Bertinici Cœnobij quondàm Antistes, sed ab Innocentio Papâ, anno 1136. Sede expulsus, Gandauo ad Cœnobium suum reuersus, morte extinguitur. Sepultus est in Cœmiterio, iuxta Beatæ Virginis Sacellum. Eius Epitaphium est:

Abbas sacratus, virtute vigens Monachatus,
Cælo translatus, Simon iacet hîc tumulatus,
Quarta dies Februi, quem pace fouet requiei.

Iperius. Vide suprà ad annum 1130. & 1136.

Ciues Duacenses Godescalco Atrebatensi Episcopo rebelles, ab Eugenio Pont. Max. coërcentur, iubenturque parere. Adest Pontificis diploma:

EVGENIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, DILECTIS FILIIS, HOMINIBVS MAIORIBVS ET MINORIBVS DVACENSIBVS SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Duacenses Episcopo Atreb. rebelles, officij admonentur ab Eugenio Pont. Max.

Quùm vniuersalis Ecclesiæ sit nobis cura commissa, oportet nos omnium sollicitudinem gerere, & Filios ipsius, qui à semitâ rectitudinis deuiare noscuntur, ad viam veritatis attentiùs reuocare. Venientis siquidem ad nostram præsentiam Venerabilis Fratris nostri, Godescalci Atrebatensis Episcopi narratione accepimus, quòd debitam Reuerentiam, sicut Patri & Episcopo vestro ipsi exhibere non vultis; & cùm aliquam culpam committitis, ab eo vocati ad ipsum venire ausu temerario recusatis: immò cuiusdam vestræ prauæ institutionis occasione, quùm vestro debueratis Capiti vnanimiter adhærere, ipsum Caput relinquitis, & ab eo separare nitimini, sine quo viuere nequaquam potestis. Sine capite namque membra vegetari non possunt, etiamsi alicuius capitis membra esse videantur. Membra itaque suo debent capiti adhærere, à quo & vitam recipiunt, & sine quo viuere nullatenùs possunt. Vt autem vos doctrinam salutis à Capite vestro percipere valeatis, vt etiam vestrum Caput de impensâ vobis doctrinâ, possit præmium obtinere; vniuersitati vestræ per præsentia scripta mandamus & mandato iniungimus, quatenùs supra dicto Fratri nostro, sicut Patri, & animarum vestrarum Episcopo, debitam reuerentiam & obedientiam deferatis, & ad ipsum, quùm pro corrigendis excessibus fueritis aduocati, accedere nullatenùs contemnatis; scientes quia si aliquis vestrum, ipsi contumax & rebellis extiterit, & ab eo vocatus, eius præsentiam adire contempserit, sententiam, quam idem Frater noster, propter hoc in eum dictauerit, nos auctore Domino ratam & firmam habebimus. Datum Romæ apud S. Petrum Non. Febr.

Obitus Beatricis Comitissæ S. Pauli

Beatrix Hugonis S. Pauli Comitis vidua, viuere desinit, inque mediâ Caricampensis Ecclesiæ naui sepelitur, superiecto exiguo marmore, in quo taliter incisum:

HIC IACET BEATRIX, VXOR DOMINI HVGONIS CAMPVS-AVENÆ: ORATE PRO EA.

Eius sepultura Caricampi.

Ferunt nonnulli Hugonem maritum, qui anno 1142. obijt, iuxtim esse sepultum. *Ex Mon. Eccl. Caricamp.*

Goufridus primus Claromarisfcensis Abbas morte è viuis tollitur; Gulielmo eius partes excipiente. *Iperius.*

CHRISTI An. 1149.

EVGEN. 2. PAPÆ AN. 5.

ANNO 1149. Elsatio Principe in Syriâ, pro Religione militante; Balduinus Hannoniæ Comes, coacto exercitu, Sibyllam res Flandriæ curantem impetit; fœdatque Atrebatensem agrum repentinâ populatione. *Quâ rei indignitate* (scribit Meyerus) *Sibylla grauiter commota conscriptum magnâ celeritate exercitum, hostium conatibus opposuit. Et Sanson Remorum Pontifex, suâ maximè esse ratus, absente procul Rege, rem Francicam in pace continere, summâ ope pacificari vtrinque studuit; nec priùs hortari, suadere & orare vnquàm destitit; quam eò adduxisset accensos vtrinque animos, vt sex mensium paciscerentur induciæ.* Sic ille lib. 5. Annalium.

Balduini Hannoniæ Comitis in Atrebates excursio.

Induciæ.

CHRISTI AN. 1150.

EVGEN. 2. PAPÆ AN. 6.

ANNO 1150. (Iperio an. 1148.) Theodericus abs Hierosolymis reuertitur, portiunculam Cruoris ab exanimi Corpore Christi, priusquàm sepeliretur abstersi & conseruati, in phialâ crystallinâ per Leonium Bertinicum Abbatem referens; quam Brugæ in Sancti Basilij collocauit. *Ità Auctarium Chronici Affligemensis, scriptum anno circiter 1160. & Iperius cap. 43.*

Sanguis Christi à Theoderico donatus.

Cæterùm non omittenda hic est Ioannis Molani censura, qui in Natalibus, Maij tertiâ, sic pingit: *Brugis memoria Cruoris Christi. Vndè Festum Inuentionis Sanctæ Crucis, ibidem nominatur Festum Cruoris Christi; celebrant enim tertia die Maij annuam supplicationem solemnem in huius preciosi Sanguinis honorem, qui collectus dicitur, quando Ioseph & Nicodemus Christum de Cruce deponebant.* Et post pauca; *Putant autem aliqui * esse tantum cruorem ex latere Domini de Sanctâ Imagine; eo quòd à Beato Athanasio scriptum sit; & in septimâ Synodo recitatum. Nec aliter existimandum est à veris Catholicis, præter id quod scribitur à nobis; quasi ex Carne & Sanguine Christi, aliquid possit in mundo inueniri; nisi illud quod in Arâ Altaris per manus Sacerdotum quotidiè spiritualiter efficitur.* Hactenùs Molanus.

Eius Censura.

** in quibus Galenusius sua Catechis.*

Moritur Balduinus Theoderico Principi Filius maior natu; eumque Flandri multis lachrymis prosequuntur. Bergis in Beati Winoci Monasterio iacet sepultus.

Gerardus, Aroasiensis Monasterij 2. Abbas, quarto Regiminis sui anno Octa. defungitur, viii. Id. Nouemb. Gerardo successit Fulbertus, gente Anglus, præfuitque annos circiter vndecim.

CHRISTI AN. 1151

ANNO 1151. Hugo tertius Eligiani Montis Antistes vitæ terminum figit, Radulpho successore, qui annos duodecim præfuit. EVGEN. 2. PAPÆ AN. 7.

Bethunienses, Roberto eorum Aduocato operas vrgente, S. Bartholomæi Templum, quod tristi illo anni 1137. incendio simul cum vrbe conflagrarat, animosâ curâ restaurarunt, ab Summo Pontifice Eugenio auctoritatem impetrant, Collegium Canonicorum inibi adgregandi. Exstat diploma dicti Pontificis, bona Canonicorum in suam protectionem accipientis, & quatuor præbendarum mentionem facientis. *Grammayus. Vide infrà ad an. 1222.*

CHRISTI AN. 1152. *Atrebatensis Ecclesiæ priuilegia confirmantur.* *Littera Summi Pontificis.*

ANNO 1152. Eugenius Pont. Max. omnia & singula Atrebatensis Ecclesiæ iura & priuilegia, à suis Prædecessoribus collata, misso diplomate confirmat: Est autem illud tale. EVGEN. 2. PAPÆ AN. 8.

EVGENIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, VENERABILI FRATRI GODESCALCO ATREBATENSI EPISCOPO, EIVSQVE SVCCESSORIBVS CANONICE SVBSTITVENDIS IN PERPETVO.

Officij nostri nos hortatur authoritas, pro Ecclesiarum statu satagere, & earum quieti, & vtilitati salubriter auxiliante Domino prouidere, dignum namque & honestati conueniens esse dignoscitur, vt qui ad Ecclesiarum Regimen assumpti sumus, eas & à prauorum hominum nequitiâ tueamur, & Beati Petri atque Apostolicæ Sedis patrocinio muniamus. Proinde venerabilis in Christo Frater Godescalce Episcope, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Atrebatensem Ecclesiam, cui Deo authore præesse dignosceris, sub B. Petri, & nostrâ protectione suscipimus, & Apostolicæ Sedis priuilegio communimus, ad exemplar igitur prædecessorum nostrorum fælicis memoriæ Vrbani, Paschalis, Gelasij, Calixti, & Innocentij, Romanorum Pontificum, eiusdem Ecclesiæ Episcopalem dignitatem, sicut hodie est, præsentis scripti paginâ roborantes, statuimus, vt quidquid prædictæ Ecclesiæ B. Remigius contulit, videlicet ORKOS, *&* SAMBVCETVM, *quæcunque etiam eadem Ecclesia iustè & legitimè possidet, aut in futurum poterit adipisci, tibi*

tuisque Successoribus confirmamus. In quibus hæc propriis nominibus annotanda subiunximus, ARCHIDIACONIAS DVAS, ATREBATENSEM scilicet & aliam quæ OSTREVADENSIS dicitur, illas etiam limites inter Atrebatensem & Cameracensem Ecclesias esse sancimus, quos antiquitùs fuisse, vel scriptorum monumentis, vel territoriorum diuisione, vel certis aliquibus iudiciis constat, vt annuente Deo, Ecclesiarum pax, nullâ occasione, & quæ pro fidelium salute statuta sunt, perenni tempore, inconuulsâ stabilitate persistant. ABBATIAS quoque infra Atrebatensis Episcopatus limites sitas; videlicet SANCTI PETRI HASNONIENSIS, SANCTI SALVATORIS AQVICINENSIS, SANCTI VINDICIANI DE MONTE SANCTI ELIGII, SANCTÆ RAGENFREDIS DE DORVIACO, SANCTÆ RICTRVDIS MARCHIANENSIS, SANCTÆ MARIÆ DE STRVMO, cum cæteris infra præfatos limites sitas, & MONASTERIVM SANCTI PRÆIECTI DE BETHVNIA, tibi tuisque Successoribus subiectas esse, & earum Abbates & Abbatissas Canonicè obedire præcipimus. ABBAS verò SANCTI VEDASTI DE NOBILIACO & Successores eius tibi tuisque Successoribus obedientiam manu promittant & de his quæ ab Atrebatensi Ecclesiâ possidere noscuntur, debitam reuerentiam, & subiectionem exhibeant. Patrem DECANIÆ DE VALS, quæ infra limites Atrebatensis territorii sita est, Ecclesias scilicet DE BAYONCVRT, DE VALLIBVS, DE NVGEROL, DE CHOANY, DE BRODEVILLA, DE CAVENIQVICVRT, DE SARNING, DE HALCVRT, DE SCRVSA, DE HAILCVRT, cum appendiciis earum. Porrò ad victum, & ad mensam Episcopi Atrebatensis, Altaria DE AVIONE, DE AILGES, DE MENRICVRT, & Altare SANCTI MARTINI DE HENNINIO RAINARDI, nec non & MAREOLVM cum siluâ, terrâ, aquâ, Molendinis, Furno, hospitibus, & cum omni districto totius villæ, & Molendinis DE SCHENFOIT, & Molendinum aliud, cum duobus furnis & cambâ & hospitibus infra Atrebatum, & terras, & vinarium DE BROVIS quæ omnia quia Prædecessor tuus Aluisus recolendæ memoriæ Episcopus, in vitâ suâ noscitur tenuisse, tibi nihilominus confirmamus. Altare insuper DE MOVCY, GAMAPIO, Altare SANCTI MARTINI, Altare DE ATLVTH, cum appendiciis suis, VVIPII, VVLGEVAL, Altare DE RAINCVRT cum appendiciis suis, Altare DE MIRALMONT & SANCTÆ MARIÆ DE

POSTIMVILLER, DE BAGINIIS, DE BVLGII, HAVGRA, RVYTH, BEVRY, GONNAY, BRVAY, HESDINVIL, CAMBLIN, MARESCH, HANVLIRS, TVNGRY, OBERTIO, HARMENTARIIS, SALTIS, BELOVA, CAREVCY, NOVAVILLA, *Altare* DE ATLVS, *in Ostreuanda* STRICI, *& Ecclesiam* DE BERBERIIS, *cum appendicijs suis. Præterea custodiam sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ, & redditus ad ipsam; & ad luminaria eiusdem Ecclesiæ pertinentes, scilicet Altare* DE COVRCELLES, GVMMICVRT, HERTILEIR *& Altare* DE VIMY, *tuis vsibus & domesticæ necessitati confirmamus. Decernimus ergo vt nulli hominum omninò liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura: saluâ Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisue persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundò tertiòue commonita, si non satisfactione congruâ emendare curauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei, & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. cunctis autem eidem loco ista seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi. Quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, nonis Februarij Indictione 15. Incarnationis Dominicæ anno 1152. &c.*

Itidem ab eodem priuilegia Monastery Mareolensis confirmantur.

Idem Pontifex tantundem Balduino Abbati & Ascetis Mareolensis Cœnobij, misso & diplomate, impertiuit; cuius pauca subiungam:

EVGENIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI: DILECTIS FILIIS BALDVINO ABBATI S. AMANDI DE MAREOLO, EIVSQVE FRATRIBVS, &c.

Eiusdem littera.

Statuimus vt quascunque possessiones, & quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum iustè & Canonicè possidet, aut in futuro concessione Pontificum, Regum vel Principum oblatione fidelium, seu alijs iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vestrisque Successoribus & illibata permaneant: In quibus hæc pro-

prijs

prijs duximus exprimenda vocabulis; ipsam Beati Amandi Ecclesiam cum custodiâ, à Fratre nostro Aluiso Episcopo vobis concessâ: Mansum, qui dicitur Episcopi, & duodecim curtiliones, iuxta atrium iacentes, sicut idem Episcopus Abbati Balduino & Successoribus eius, sub censu duorum solidorum in cœna Domini persoluendo, in perpetuum concessit. Decimam molendinorum Episcopi in eâdem villâ iacentium, & nauim in viuario ad herbam colligendam. Terram DE SONICAMP, *& Capellam ab omni Cathedrali actione liberaui: Altaria etiam* DE BAVILAINNECORT, & DE VVAREVISEL, DE SOMBRIN, DE VVINGLES, DE BONIFONTANA, DE NOELLA . . . . *Obeunte verò te eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi quâlibet surreptionis astutiâ vel violentiâ præponatur; nisi quem Fratres communi consensu, vel pars consilij sanioris, secundum Dei timorem, & Beati Augustini Regulam prouiderit eligendum. Ordinem quoque Canonicum, qui in eâdem Ecclesiâ, per Dei gratiam, secundum Beati Augustini Regulam & institutionem Fratrum Beati Nicolai de Aridagamantia*, ibidem institutus est, nullus immutare audeat. Prohibemus etiam vt nulli Fratrum post factam ibidem professionem, absque Abbatis & Fratrum licentiâ ex eodem Claustro discedere liceat, discedentem verò nullus retinere præsumat. &c.* Sic ibi.

Aprilis septimâ, Ciuitas Audomarensis, mediâ sui parte, cum Sanctorum Dionysij, Martini, Ioannis templis, totoq; B. Bertini Ascéterio ignibus miserandum in modum deuastatur. Numinis irâ id accidisse scribit Iperius, propterea quòd ex duodecim Monasteriorum Antistitibus, epulis vinoque mersis (eò enim conuenerant, die S. Bertino sacrâ ad solennne conuiuium) eorum nullus ad nocturnas preces surrexit: *Ioannes Iperius, Chronicon Affligemense, &c. Vide suprà ad annum 1119.*

Grande incendiũ Audomaropolis.

Caussa.

Leonius Abbas iam magno licet natu, id Beati Bertini Cœnobium nobiliter restituit: multum auri argentique, lignorum insuper & plumbi Gulielmo Iprensi suppeditante: quo in opere solum biennium insumpsit: *Tertio verò anno* (scribit Iperius) *ad festum omnium Sanctorum, Monachos suos, quos per diuersa Monasteria locauerat, ad sinum suæ Matris reuocans: Abbates quoque & venerabiles viros inuitans, diem festum solennem egit. Et in huius reparationis, & sui Collegij, quasi ab exilio reuocationis memoriam, festum Omnium Sanctorum vt*

Bertinicum Cœnobium statim reparatum.

diem natalem Domini, amodò celebrari præcepit, &c. Hactenùs Iperius.

CHRISTI AN. 1154.

ANNO 1154. Hugo secundus Caricampensis Cœnobij Antistes fato concedit; succeditque Vrbanus, atque annos XII. principatur.

HADRIANI QVARTI PAPÆ AN. 1.

Et Beatrici Strumensi Antistitæ itidem defunctæ Maria sufficitur.

CHRISTI AN. 1155.

Martinus Abbas Vedastinus.

HADR. 4. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1155. Martinus post Guerricum, quadragesimus quartus Vedastinorum Abbas creatur. *Illum* (habet eorum Chronicon) *plurimæ lites ab alijs intentatæ exercuerunt, quibus nunquàm fractus succubuit. Principibus vitiis non sua sibi vendicantibus, nihil cessit. * Philippum Elsatium Fland. Comitem reddere coegit ereptam Vedastinis Diui Iacobi Caluariam. * Ludouicum Regem Gallorum, iubentem sibi apud nos instrui conuiuium, solito dimensa contentum esse docuit. Cæteris hominum aut temporis iniurijs prouidit non indiligentiùs, dùm curat bona, & iura, atque priuilegia, in ordinem & in libros digeri; dùmque à Sum. Pont. Alexandro 3. expressissima obtinet diplomata immunitatis & aliorum. Ab Alexandro huic primùm facta est potestas, ac Successoribus omnibus Abbatibus Vedastinis vtendi Tunica & Dalmatica. Pastoratum gessit Martinus in ægram & affectam vsque senectutem; quâ oneribus impar eo se abdicauit, quùm Pastor verissimus exstitisset 29. annos. A quo id etiamnùm viget pietatis plenissimum institutum, vt Cereus continuò ardeat ante Christi venerabile Corpus.* Hactenùs ibi. Vide infrà ad annum 1174.

S. Iacobi Caput à Philippo Principe recepit.

Qualiter Gallorū Regem excepit conuiuio.

Tunica & Dalmaticæ vsum à Papâ obtinuit.

*Videiterà ad an. 1174.

* *Ludouicum* cognomine *Iuniorem* intellige.

Theodericus Princeps adest coronationi Angl. Regis.

Theodericus Comes maximo apparatu traijcit in Angliam, ac Henrici Regis interest coronationi, quam ab Theobaldo Archiepiscopo Cantuariensi in totius Nobilitatis & Pontificum Anglicani regni consessu celebrari mandauerat. Erat autem Henricus Rex Patre natus Godofredo Comite Andegauensium, Sibyllæ Principis nostræ Fratre. *Meyerus & Marchantius.*

CHRISTI AN. 1156.

Monasterium S. Andreæ in Nemore fundatur.

HADR. 4. PAPÆ AN. 3.

ANNO 1156. Monasterium Sancti Andreæ, Ordinis Præmonstratensis, Diœcesis quidem Ambianensis, cæterùm in Artesiâ, æquabili ferè interuallo inter Hesdinense & Monstroliense opida situm, sumptu & labore Gulielmi à Sancto Audomaro, Castellani DE BEAVRAIN, & Morbecquij Toparchæ (hinc Morbecquienses Heroes ducunt originem) recentibus operis instauratur, quùm triginta ampliùs annos in Maresquellio (tunc Lannoyen-

se Cœ-

ſe Cœnobium vocabatur) anteà conſtitiſſet. Quippe generoſus Gulielmus, prioris loci motus habitudine, quem aquarum & paludum frequentiâ, incolentibus ſalubrem modicè redderet; atque ipſâ ædificiorum anguſtiâ iuſti Aſcetarum numeri incapacem: idipſum, quod hodieque ſupereſt, Cœnobium, ſpreto altero ſtruxit, annuiſque prouentibus ampliter ornauit; vndè loci fundator meritò celebratur. Nemori adſidet, quod Gulielmi Succeſſores eidem attribuere; vndè ei hodiè nomen Sancti Andreæ in Nemore. Iacet Gulielmus in Chori medio, ſub marmoreo Cenotaphio, cui inſculpta eius inſignia, cum epitaphio, quod legere vetat talium vorax antiquitas. At in Templi naui ad parietem eius Icon, ſimul & Ancarrani, primi ibì Abbatis parent: ſubiecto quodam vetere tetraſticho Gallicò; quod eſt tale:

Pour acquerir ſalut d'immortalité,
Durant la paix & tranquillité:
I'ay pour les loüanges de Dieu chanter
Prié l'Abbé & Conuent de Lannoy en ce lieu habiter.

Aliud alibì legi, quod huc producere ſuperſedeo.

Porrò hoc in Monaſterio hactenùs continuè vixerunt 33. ordine Abbates, hodiè R. D. Iacobo Vainetio octogenario ſuperſtite: quo cum ſi Doſtrelium triceſimum ſecundum & Dionyſium Pintum XXXI. Abbates coniunxeris, centum viginti ampliùs annos, tantùm tres eo in loco imperaſſe ſcies; vtpotè quorum quiſque non minùs 40. annos præfuerit. *Ex Monn. M S S. Cœnobij, & litteris D. Iacobi Campagnij, ibì hodiè Prioris.* *Abbates eiuſdem loci.* *Nota.*

Ludouicus Galliarum Rex, Alexiuam vetuſtum opidum, cum ſupremo in Ardam, Lilerium & Heſdinum aliaque Imperio, libera ac propria dimittit Morinorum Eccleſiæ. Alexander & Hadrianus Romani Pontt. in Milonis Epiſcopi eiuſque Succeſſorum poteſtatem tradunt omnia Monaſteria collegiaque Sacerdotum Diœceſis Morinenſis. *Meyerus ijſdem ferè verbis.* *Priuilegia & ditiones Morinēſi Eccleſiæ reſtituta.*

Eâdem tempeſtate, Godefrido tertio Brabantiæ Duce imperante; Louanium portis atque muris lapideis primùm roboratur; quùm abs anno 895. terrâ & ligno ſeptum conſtitiſſet. *I. Lipſius in ſuo Louanio l. 1. c. 5.* *Louanium muris lapideis primùm cingitur.*

Philippus Theoderici Principis Filius Elizabetham *Philippi Principis noſtri futuri nuptiæ.*

Rudolphi Viromandiæ Comitis Filiam in vxorem ducit; eorumq; nuptiæ Bellouaci celebratæ. *Affligemēse Chronicon.*

CHRISTI AN. 1157. *Theodericus tertiò petit Hierosolymam.* ANNO 1157. Theodericus tertiò Hierosolymam cum copioso exercitu & Sibyllâ Coniuge proficiscitur, Flandricarum rerum curâ Philippo Filio demandatâ; qui in parentum absentiâ, Simonem *de Oisy*, eius imperium detrectantem, ducto exercitu impetijt, atque * *Inciy* Castellum obsidione cinctum in deditionem accepit. *Chronicon Affligemense.* HADR. 4. PAPÆ AN. 4.

Philippo eius Fili Inciana Arx deditur.

Oisiacum municipium. Porrò * Oisiacum amplissimum est Artesiæ non procul Cameraco, municipium, perantiquo Castro, licet nunc in ruinis ferè stertat, illustre; loci situ genioque atque aëris amœnitate amabile: cuius Dynastiæ * triginta septem circiter turriti pagi subscribuntur. Iuxtim adsidet Ordinis Cistercienesis nobile Gynecæum, Senseto fl. irriguum, cui à * Viridario inditum est nomen. Id Oisiacenses Reguli, quorum varia Monumenta ibì cernuntur, vt in propinquo & amico loco exædificarunt, atque dotarunt, de quo *vide infrà ad annum 1232.*

Monasterium Viridariense, à quibus fundatur.

* Est Artesiæ, distat Atrebato milliaribus ferè sex; ad radices Senseti fl. versus Cameracum.

* Ex consuetudinibus Artesiæ; in quibus ijdem recensentur.

* Gal. *Abbaye du Verger.*

CHRISTI AN. 1158. *Obitus Milonis Episcopi Morinensis.* ANNO 1158. Milo Morinorum Episcopus, olim Abbas Sancti Iudoci in Nemore, Ordinis Præmonstratensis, vir vitę venerabilis & Religionis amator; postquàm Sedem Morinensem rexerat annis XXVII. migrauit ad Dominum. *Chronographus Affligemensis, & Iperius ijsdem verbis. Vide suprà ad annum 1120. & 1130.* HADR. 4. PAPÆ AN. 5.

CHRISTI AN. 1159. *Morinorū nouus tumultus in electione Episcopi.* ANNO 1159. In Morinis grande oritur, de surrogando nouo Præsule, certamen; adeò vt Bononienses adducti nescio quâ ratione, peculiarem sibi, ab Samsone Pontifice Remorum petentes Episcopum, veteri se Morinorum Ecclesiæ subducere contenderent. Quâ in seditione Milo patriâ Anglus, defuncti Milonis Nepos; Morinorum Archidiaconus atque Sanctæ Mariæ in Nemore Antistes, Teruannensis, Episcopus renuntiatus, Romam contendit, vti procul à tumultu per summum Pontificem consecretur. *Iperius; Affligemensis Chronographus; Demochares, &c. Vide suprà ad annum 1100.* ALEXANDRI TERTII PAPÆ AN. 1.

Sibylla Theoderici Vxor Religionis habitum Hierosolymis induit. Theodericus Princeps tertiò Hierosolimis reuertitur, relictâ ibì Sibyllâ Coniuge, quæ Religionis habitum apud S. Lazarum induta, ibìdem sancto fine quieuit. *Vide infrà ad annum 1165.*

AN-

Christi An. 1160. — Alex. 3. Papa An. 2.

ANNO 1160. (secundùm Chron. Affligem. at Meyerus scribit an. 1161.) Matthæus Theoderici Principis Filius, florentissimus adolescens, Mariam Rummensis Monasterij Antistitam, Stephani Anglorum Regis Filiam, eandemque iam Gulielmo Fratre defuncto, Bononiæ ac Moritonij Comitem, nullo exemplo, solo Henrici itidem Angliæ Regis (cui Maria Neptis erat) suasu, ex Monasterio elicit; nuptias cum eâ celebrat; factusque ad eum modum, tractus vtriusque Comes, simul geminæ prolis Idæ & Mathildis fit parens. Ob quod sacrilegium à Samsone Remorum Pontifice anathematis fulmine percussus, thorum dirimere est coactus. *Chronographus Affligem.*

Matthæi Elsatij Nuptiæ cum Virgine Deo sacrâ. *Ideò excommunicatur.*

Moritur Ioannes, tertius Henniacensis Monasterij Abbas, Successore Ingebrando. *Vide infrà ad annum 1169.*

Audomaropoli, infans biceps, quadrimanus, atque Hermaphroditus nascitur. *Iperius.*

Partus Monstrosus.

Christi An. 1161. — Alex. 3. Papa An. 3.

ANNO 1161. Fulbertus, Aroasiensis Monasterij tertius Abbas, quùm annos circiter vndecim sedisset, inque ijs varias molestias fuisset perpessus, dignitati tandem nuntium misit, obijt verò anno 1166. 6. Non. Oct.

Fulberto Lambertus Lotharingus genere, suffectus est, anteà Sancti Ioannis Valencenensis Antistes, qui quanquam honestus esset, & in litteris egregiè versatus, quia tamen in temporalibus parùm prouidus esset, post vndecim ferè annos parere alteri maluit, quàm diutiùs imperare.

Augusta illa candidi, secti & politi lapidis, Cameracensis Ecclesiæ Metropolitanæ Turris, in altum aëra ad stuporem erecta, suâ donatur coronide.

Christi An. 1162. — Alex. 3. Papa An. 4.

ANNO 1162. Corpus Sanctæ Monicæ, Beati Augustini Matris, ex Ostijs Tiberinis Aroasiam per Vualbertum eius loci Priorem transfertur, vt volunt Monachi Aroasienses. Vnde Ioannes Molanus in Natt. SS. Belgij 4. Maij de eâ translatione sic scribit. *Putant Aroasienses thesaurum hunc ad se delatum, quod testem habeant eius rei in Manuscriptis codicibus, Vualterum sui loci Priorem, qui sacras Reliquias se eò attulisse commemorat. Scripsit autem hæc ast summa:* Fulbertus Abbas in Arogomantia, misit me pro negotijs suis ad Curiam Domini Alexandri, quandò Imperium contra eum erat commotum. Cum autem Ostiæ à Canonicis ad Diuam

Corpus S. Monicæ an sit Aroasiæ. *Fundamentum Aroasiensium.*

Auream quærerem de Sanctâ Monicâ; dicebant eam sepultam esse in portu in antiquâ Ostiâ; & à se vocari Latinâ voce primam, ab Augustino Grecâ voce Monicam. Quibus intellectis quærere, & clàm effringere cogitaui. Quod quùm frangerem, tantâ odoris suauitate respersi sumus, ac si omnium pigmentorum genera sentiremus. Cùmque cogitarem Caput cum minoribus tantùm ossibus auferre: adiunxi aliud os, & sic singillatim omnia; quæ per diuersa pericula maris & terræ tuli in Aroasiam anno millesimo, centesimo, sexagesimo secundo, 12. Calendas Maij, vbi etiam miraculis sacra pignora claruerunt. *Objicient fortassè contra hæc Romani Maphæum Vegium Laudensem Martini Quinti Datarium, suis impensis ex Ostiâ, Monicam eò transtulisse; quòdque apud Augustinenses in Sacello Diuæ Monicæ, cuius officium scripsit, sepulturam acceperit. Exstare desuper Apostolicam Martini Bullam. Quibus ego, quòd nota & recepta sint, non reluctor: per me tamen licet Aroasiensibus, saluo vinculo pacis, in suo sensu abundare.* Hactenùs Molanus. Vide Baronij Notas ad Martyrologium Romanum, 9. Aprilis.

Argumentum in contrarium pro Romanis.

Aurea Cruces Bertinicis & Loensib[us] Legatæ.

Moritur Gulielmus Iprensis, Philippi Filius, amplissimo condito testamento, in quo duas aureas Cruces, vnam Loënsi, alteram Bertinico Asceterijs legat. *Meyerus.*

Balduin[us] Rex Hierosolymitanus Sibyllæ nostræ Frater gloriosè moritur.

Albericus Frater, eius successor.

Eodem anno 9. Kal. Martias, etiam morti, summâ in gloriâ obtemperat Balduinus Andegauensis, Hierosolymorum Rex, Sybillæ nostræ Frater. Hic enim multis inclytus victorijs, Notradinum Barbarorum Principem, mirâ felicitate ad Paneada op. fusum fugatumque Castris exuit, Gazam vrbem restituit, Ascalonem diù obsessam ad deditionem coëgit: Ægyptios fecit tributarios: Cæsaream Aretemque recepit. Successit in Regnum Almericus Balduini Frater. *Iperius.*

CHRISTI AN. 1163.

Ab Theoderico nostro quartùm illùc proficiscente, auxilia habet

ANNO 1163. Theodericus Princeps, copioso exercitu conscripto, Almerico Regi nouo suppetias laturus, Hierosolimam quartò proficiscitur. *Chronicon Aquicinctinum, & Meyerus, apud quem lege plura.* ALEX. 3 PAPÆ AN. 5.

Obitus B. Leonij Abbat. Bertinici.

Beatus Leonius, seu Leo, præclarus Bertinensis Cœnobij Antistes fato corripitur, atque in Beatæ Virginis Sacello, quod post triste illud anni 1152. incendium, nobiliter instaurarat, è regione Altaris sepelitur. Epitaphium eius est tale:

Virtus

Virtus Samsonis mel sumsit in ore Leonis,
Quod non mysterio posse carere scio.
Sic quoque dùm moritur noster Leo, mel reperitur
Eius in ore iacens, atque sapore placens.
Nam si perpendas mores Patris, atque sequendas
Eius virtutes, verbaque, mella putes.
O clarum stemma, de quo re splendida gemma
Et decus Abbatum contigit esse satum!
Qui dum templa, domos Regales, horrea, et hortos,
Multaque iura struis, proh dolor! ecce ruis.
Ante diem februi sexta suprema tui.

In Leonij locum scandit Godescalcus, Abbas Hamensis, atq; Godescalci Alciacensis Antistitis ex patre nepos. Hic Turonensi Concilio, Alexandri Summi Pontificis iussu coacto interfuit; in quo, & S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, quem magnâ veneratione ipse Alexander, totumque collegium excepere *Iperius*. *Godescalcus eius successor. Interfuit Concilio Turonẽsi cum S. Thomâ Cantuariensi.*

Radulphus quartus Montis Beati Eligij Antistes, communem mortalium viam ingreditur. Eius locum excipit Vuicardus, soloque præest anno.

CHRISTI AN. 1164. ANNO 1164. Godescalcus Atrebatium Episcopus, senio atque morbo grauatus Andreæ Pastorale munus resignat, indè ad Sanctum Martinum Laudunensis Diœcesis, vndè venerat, sese recipit. De quo sic in Atrebatensis Ecclesiæ tabulis: *Godescalcus post sui Episcopatus resignationem in multa patientia proprij corporis dolores sustinens in Ecclesia præfata B. Martini, apud Laudunum Clauatum, vbi priùs professionẽ fecerat in Christo dormiens, anno 1190. gremio suæ matris amplectitur.* Sic ibi. Eiusdem meminit Iperius hoc stylo: *Godeschalcus Atrebatensis Episcopus, capitis dolore grauatus Episcopatũ dimisit. Cui per suggestionem* Henrici Remorum Archiepiscopi Dominus Andreas Cisterciensis,* Abbas subrogatus fuit anno Domini 1157.* Et rectè is quidem si temporis supputum tollas. Quomodo enim Henricus Archiepiscopus potuit id, anno 1157. suggessisse, quùm anno demùm 1163. in illum dignitatis gradum fuerit ordinatus, vt notauit Demochares lib. 2. de Missæ Sacrificio, cap. 14. Et ipsius Henrici Antecessor nomine Samson, non ante annum 1161. dignitati renuntiauit, quo eum obijsse scribit Chronographus Affligemensis. Accedit quòd *ALEX. 3. PAPÆ AN. 6. Godescalcus Atrebatensem Episcopatum resignat Andreæ Abb. Cisterciẽsis Ordinis. Quædam difficultas expeditur.*

* Eius supra meminimus ad ann. 1131.
* Vide statim infrà hoc anno.

Meye-

Meyerus asserat eundem Samsonem in electione Milonis secundi, Morinorum Episcopi, quæ anno 1150. contigit, Remensis Archipræsulis partes sustinuisse, atque à Bononiensibus rogatum vti ijs peculiarem, tumultuantibus Teruannicis, annueret Pontificem: vti suprà ad ann. 1159. notauimus. Non ergo eiusmodi Henrici Remensis suggestio, anno 1157. potest adscribi: verùm aut anno 1163. quo defuncto Samsone Henricus successit; aut certè quo posui, nempè 1164. in eo secutus auctoritatem Chronographi Aquicinctensis, qui propior vidit; vt pote quem constat Mauritij Parisiensis Episcopi, & Philippi Augusti Galliarum Regis ætate anno scilicet 1190. & vixisse & scripsisse. Vide eiusdem Chronicon ad eundem annum: recens prodijt typis Verdussianis, operâ Aub. Miræi, Antuerpiæ excusum. Eius autem de Godescalco ad annum 1164. Hæc sunt verba: *Godescalcus Atrebatensis Episcopus, infirmitate capitis grauatus, Episcopatum dimisit: cui successit Andreas quidam Abbas de Ordine Cisterciensi, agente Henrico Remensi Archiepiscopo.* Sic ille.

Porrò de Andreâ Episcopo nostro, sic habent Ecclesiæ Atrebatensis tabulæ: *Andreas genere Parisiensis, Abbas* DE SARNAY, *Ordinis Cisterciensis, post Godescalcum, Regimen Ecclesiæ suscepit. Hic dedit Capitulo Altaria* DE CELESTI; DE DIOENCOVRT, DE SVASTRE, DE S. AMANDO; ET DE PVMMIERS, &c.

B. Ioscio Bertinensis Ascetæ moritur.

Beatus * Ioscio, Bertinensis Monachus, cultui Deiparæ singulariter adfectus mortalis angustiâ carceris liberatur. Eius natalem sic depingit Iperius: *Quidam * Cantuariensis Archiepiscopus de Româ veniens, in hoc Monasterio fuit hospitatus: crastinò sermonem conuentui fecit in Capitulo, & inter cætera, dixit, quòd in partibus Hierosolimitanis multi psallere consueuerunt quinque Psalmos, incipientes à singulis litteris nominis B. Virginis Mariæ, & in B. Virginis memoriam frequentare, scilicet* MAGNIFICAT. AD DOMINVM CVM TRIBVLARER. RETRIBVE SERVO TVO. IN CONVERTENDO. AD TE LEVAVI OCVLOS MEOS. *Et singulis Psalmis prætermittere* AVE MARIA. *Erat ibi præsens hic frater nomine Ioscio, Monachus noster, qui hoc pio cordi commendans, cotidiè post matutinos, hos quinque Psalmos decantare cœpit & continuauit. Quadam tandem nocte, circa festum Sancti Andreæ, dùm*

Quinque Psalmi in memoriam nominis Mariæ Virginis dici soliti.

* Ocibaldam Iocio.
* Theobaldum vocat Molanus in Natt. 10 Noueb

Sup-

Supprior noster chorum circuiret, Ioscio cum alijs non interfuit; sed ad lectum eius in dormitorio Supprior veniens, eum defunctum reperit. Vocati Fratres accurrunt; & de eius vultu discooperto, quinque flores Rosarum, vnum ex ore & linguâ, duos à naribus, & duos ex auribus exeuntes aspiciunt. Lætantes eum detulerunt in chorum, & manè diligentiùs intuentes, in rosa quæ de ore exibat, inuenerunt scriptum MARIA. *Tenuerunt ergo eum per dies septem, donec tres Episcopi conuenirent: Quorum vnus fuit Dominus Andreas Atrebatensis Episcopus, &c.* Sic Iperius. Eiusdem meminit Vincentius Beluacensis Episcopus, Iperio antiquior, qui ad annum 1244. speculum suum terminauit. Idipsum consule ad caput 116. aliosque qui in tempore variant: sed me hoc in anno tenet Andreæ ordinatio, siue successio, qui Ioscionis funus curauit. *Quinque Rosa post eius obitum diuinitùs apparentes.*

Fredericus Imperator Philippo Theoderici Pricipis Filio Cameracum tradit, quùm Aquisgrani Natalem Dominicum celebrat, atque summo apparatu Caroli Magni transfert Corpus: in cuius gratiam beneficij, Philippus se Cæsaris Beneficiarium profitetur. Indè Cameracum regressus, Theoderico Patri, Asiâ salutatâ in Flandriam domuitionem agenti, omnium ordinum Flandriæ splendore stipatus, gaudio lætitiâque subditorum vndique perstrepente, gratulabundus occurrit, & inducit domum. *Chronographus Aquicinctinus.* *Cameracum Philippo Theoderici Filio ab Cæsare traditur.* *Theoderici ex Asiâ reditus.*

Vuirinfridus, Eligiani Cœnobij Abbas, de medio tollitur: eiusque in locum surrogatur Vuicardus non fœliciorem sortitus fortunam, vt quæ ei non ampliùs singularis anni auram afflauerit. ALEX. 3. PAPA AN. 7.

CHRIST. AN. 1165. ANNO 1165. Sibylla Princeps nostra, acto Hierosolimæ, in Beati Lazari, decennio, pietate & abstinentiâ celebris, ibidem in Domino obdormit. *Chron. Aquicinct. & Marchantius.* Iperius scribit anno 1166. *Sibylla nostra Princeps in Asiâ moritur.*

Sanctus Thomas cognomento Beket, patriâ vt ferunt Bapalmensis, in Angliâ autem Cantuariensis Archiepiscopus, ab Henrico Anglorum Rege in exilium eijcitur: qui traiectâ* Morâ palude, Claromariscum appellit; indè ad D. Bertini contendit. *S. Thomas Cantuariensis exilium in Artesiam aduenius, eiusque hodiè ibi Reliquiæ.*

Sed & * Atrebatum Artesiæ Caput, sui præsentiâ fertur honorasse; ibique Missarum solennibus fuisse operatus; quùm in priore nostrâ Beati Nicolai ad fossas (vt vocant) Basili-

* Secundùm Meyerū; in Iperio lego *Meram.*
* G. Gazæus in Catalogo Episc. Atreb.

Basilicâ; exstatque ad Beati Antonij Altare, in tabulâ, antiqui characteris aliquale monumentum, quod est eiusmodi:

ICY S. THOMAS CELEBRA MESSE CERTAINEMENT.

Atreb. fons & calix. Appictâ Martyrij illius Historiâ, ex vetere in recentiorem, quam hodie frequentamus, Ecclesiam translatâ: tum etiam in B. Magdalenes alterâ Parœciâ, in quâ est fons lympidus, S. Thomæ nomine celebris, cuius aqua febricitantibus sæpè contulit sanitatem, immò & in augustiore Vedastinorum Templo, vbi hodieque excellens admodùm calix, ex puro, puto auro conflatus, asseruatur, quo ibidem sacris operans, fertur fuisse vsus.

Aquicincti vestes sacræ. Idem ad Aquicinctinum Cœnobium aliquandò diuertit, atque ibidem in Hospitij gratiam, vestes sacras coloris viridis reliquit. *Molan. 9. Octob.* Aliam eiusdem vestem vide suprà ad annum 1120. & infrà ad annum 1171.

Hollandi ab Philippo Theoderici Filio debellati. Philippus Theoderici Filius, cum Matthæo Fratre & Godefrido Comite Louaniensi, instructâ nauium ferè septem millium classe, in * Florentium Hollandiæ Comitem, qui id temporis terrâ marique Flandros incursionibus agitabat, magnis animis mouent expeditionem. Florentius etiamsi tantam vim piratarum conflauerat, vt totius maris imperium obtinere videretur, à nostris vndique circumuentus, potiundæ victoriæ spe abiectâ, sine vllo propè certamine, se suosque dedit Flandro. Hic Hollandum captiuum diuturniore, quàm cogitasset, custodiâ multauit. *Chronogr. Aquicinct.*

** Chronographus Aquicinct. scribit Theodericum.*

Teruanna Ostensio Corporis S. Maximi. Teruannæ Corpus Sancti Maximi, præsentibus Balduino Nouiomensi, ac Roberto Ambianensi Episcopis, per Milonem Morinensem ostenditur. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1166. *Obitus Beati Gosuini Abbatis Aquicinct.* ANNO 1166. Beatus Gozuinus siue Gosuinus, Aquicinctensis Cœnobij septimus Antistes, charitate, pace & Religione celebris, 7. Id. Oct. circa noctis medium, corpore spiritum soluit; quo in Beatæ Virginis æde, eoque loco, vbi orare assueuerat magno Ascetarum gemitu, tumulato, Alexander eiusdem loci Prior; fit & supremæ particeps dignitatis, idemque Gosuini prædecessoris sui vitam stylo illustrauit. *Chron. Aquicinct.* ALEX. 3. PAPA AN. 8.

Vrbanus tertius Abbas Caricampensis, defuncti Go-

suini fit consors, succedente Helselino, *Mon. eius loci.*

CHRISTI AN. 1167. ANNO 1167. *Ecclesia Sancti Bertini valdè infestatur à Theoderico Comite Flandrensi, astu & persuasione Roberti Ariensis Præpositi, eiusdem Comitis Cancellarij. Vndè Godescalcus Abbas & Fratres eiusdem Ecclesiæ animo consternati, & humano auxilio destituti, his in diè, pro tribulatione illâ clamorem ad Deum faciebant postrati, ad Missam scilicet & in fine completorij.* Chron. Aquicinct. ijsdem verbis. Verùm Ioannes Iperius Bertinensis Abbas & Chronographus, æquior est nostro Principi, totumque iniuriarum pondus in Roberti humeros conijcit; c.44. Chronici parte 3. pag. 131. De Roberti turpi exitu, infrà ad annum 1174. ALEX. 3. PAPA AN. 9. *Bertinensis Ecclesia ab Roberto Ariensi Præposito turbatur.*

CHRISTI AN. 1168. ANNO 1168. Robertus Ecclesiæ Ariensis Præpositus, inibì Sacerdotium, quod à Sancto Venantio nomen habet, instituit. *Bresinius.* ALEX. 3 PAPA AN. 10. *Arie Capella S. Venantij fũdatur.*

Theodericus Elsatius Princeps, peractis Flandriæ feliciter administratæ, quadraginta annis, Grauelingæ, quam condidit, expirat, ætatis anno LXIX. atque vvatenis, in B. Ægidij Cœnobio sepelitur adiuncto Epitaphio isto: *Obitus Theoderici Principis.*

Epitaphium.

HIC IACET SEPVLTVS DOMINVS THEODERICVS DE ELSATIA, COMES FLANDRIÆ; QVI QVATVOR VICIBVS TERRAM SANCTAM VISITAVIT; ET INDE REGREDIENS, SANGVINEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI * SECVM DETVLIT, ET VILLÆ BRVGENSI TRADIDIT, ET POSTQVAM FLANDRIAM ANNIS QVADRAGINTA STRENVE REXERAT, APVD GRAVELINGAM OBIIT ANNO DOMINI MILLESIMO CENTESIMO OCTAVO.

* *Vide suprà ad an. 1150.*

Liberos habuit, ex Suuahilde priore Coniuge atque Caroli Boni vidua Laurentiam: ex altera nomine Sibylla Balduinum, Philippum, Matthæum, Gerardum, Petrum, Margaretam, Gertrudem & Elizabetham. *Proles.*

LAVRENTIA ternas quaternasue nuptias ambijt, sed prolem nullam nisi ex vltimis cum Yuuano Comite Alostano contractis suscepit, cuius posteritas breui interijt. Laurentiam vita anno 1167. reliquit. *Marchantius & Bresinius.*

BALDVINVS in adolescentiâ obijt, eumque Flandri multis lachrymis sunt prosequuti. *Vide suprà ad an. 1150.*

PHILIPPVS ELSATIVS XVI.
FLANDRIÆ COMES.


HILIPPVS ELSATIVS communicatum prius à Patre Flandriæ Imperium, iam solus moderari auspicatur. Isabellam siue Elizabetham Rudolphi Viromandiæ Principis habuit consortem, ex quâ tamen nullam sobolem retulit.

MATTHÆVS maritalem thorum iniuit cum Mariâ Stephani Anglorum Regis Filiâ. Vide suprà ad an. 1160. Indè Leonoram Elizabethæ Fratriæ Sororem an. 1171. superduxit. Obijt autem anno 1174. atque in Diui Iudoci Pontiuensis iacet sepultus. *Bresinius*, *Meyerus*, *Marchantius*, &c.

GERARDVS, vixit in Beati Donatiani Brugensis Præpositus, atque Flandriæ Cancellarius; atque anno 1205. è vitâ decessit.

Nuptiæ Episcopatui Cameracensi antehabitæ.

PETRVS Episcopatum Cameracensem, ad quem electus erat, Philippi Fratris instinctu, vt sobolem excitaret, anno 1170. abdicauit, ductâ in Coniugem Niuernij Dominâ. Viuere desijt an. 1177. non sine veneni suspicione. *Iidem.*

MARGARETA, summâ quingentorum Florenorum (vide eius temporis aut inopiam pecuniæ, aut moderationem) annui prouentus, in dotem, quam Bapalma penderet, acceptâ, Balduini quarti Hanoniæ Comitis fœcundas nuptias experta est, atque Flandriæ Comitatum in rectam lineam reduxit. Eius sic meminit Aquicinctensis Chronographus ad an. 1169. *Balduinus Iunior, Filius Balduini Comitis Haginoensium, vxorem duxit Margaretam, Sororem Philippi Comitis Flandrensium; ex quâ genuit Balduinum, postea Flandriæ Comitem, & Constantinopolitanum Imperatorem, & hac via successio Flandriæ redijt ad verum hæredem, & rectam lineam.* &c. Etenim recta vterque stirpe à Balduino Lilano Flandriæ Comite oriundi sunt, Margareta Abneptis, Balduinus Atnepos, illa ex Roberto Frisio vsurpatore, hic ex Balduino Montano legitimo Principe, Lilani Filijs, originem procreationis elicuerunt. *Marchantius.*

Flãdriæ Comitat' in lineã rectam reducitur.

Porrò Margareta Mater fuit dicti Balduini, qui in Flandriam & Hannoniam successit, & Imperium Bizantinum

possedit: Philippi Marchionis Namurcensis: Henrici, qui post Fratrem in Oriente regnauit: Isabellæ, quæ Philippo Augusto Gallorum Regi iuncta, Occiduam Flandriam, seu Artesiam, à Philippo Elsatio Auunculo suo, in dotem accepit: Iolanthidis, quæ Petro Auxerræ Comiti, & Sibyllæ, quæ Gerardo Lutcemburgio Coniuges obuenerunt *Marchantius, Bresinius, &c.*

Gertrudis autem tertia Theoderici Filia, Montis Argij Regulum, sibi virum obtinuit. *Iidem.*

Denique Elizabetha in Messinensi Cœnobio per Athelam siue Adelam, Balduini Lilani Coniugem, anno 1065. constructo, virginitatem professa, eiusdem loci an. 1199. facta est Antistita. *Meyerus ad an. 1199.*

Gulielmus secundus Claromariscensis Cœnobij Præsul, actis in eâ Præfecturâ annis XX. vitæ nuntium mittit, in munia eius eunte Dauide, qui an. 1171. Bertinicis ob Arkensem agrum, molestias suscitauit. *Vide infrà ad annum 1171.*

CHRISTI AN. 1169. ANNO 1169. Milo secundus Morinorum Episcopus è viuis migrat, succeditque Desiderius Tornacensium Archidiaconus. *Demochares & Meyerus.* At Chronographus Aquicinctensis Episcopum Tornacensem vocat; verùm in serie Pontificum eius Diœcesis, nullum inuenio isto nomine donatum. ALEX. 3. PAPÆ AN. XI.

Henniacensium Monachorum ad hodiernum Cœnobiũ migratio. Henniacenses Monachi, sub Ingebrando tertio Abbate, ex Henniacenâ vrbe, ad eum locum migrant, in quo hodieque sedet Monasterium, Balduini Brochetij, cuius Henninium Ditio erat, piâ liberalitate eodem tempore constitutum. *Vide suprà ad annum 1040.*

CHRISTI AN. 1170. ANNO 1170. Godescalcus Alciacensis Antistes diem extremum claudit, atque VVarinus eius loci Monachus, inconsultis Bertinicis Successor eligitur: at ijs reclamantibus, *Noluit* (scribit Iperius) *eum* * *Episcopus confirmare, donec ipse VVarinus hîc professionem fecit, in manibus Domini Abbatis nostri. Quo facto Alciacenses eum elegerunt iam Monachum nostrum Bertinensem: sed eodem anno depositus fuit, & eius loco Dominus VVillelmus Hospitalarius noster huius Ecclesiæ.* Hactenùs ille. Vide suprà ad an. 716. & alibi. ALEX. 3. PAPÆ AN. 12. *Bertinicorum priuilegium in Alciacenses.*

* *Desiderius.*

CHRISTI AN. 1171. ANNO 1171. Balduinus * primus Marcolensis Antistes etiam fato percellitur, eiusque in Sedem surrogatur Mar- ALEX. 3. PAPÆ AN. 13.

* Vide suprà ad an. 1144.

Marcolēse Cœnobium einsque Ecclesia. tinus, eiusdem loci Prior, atque in festo Annuntiationis Dominicæ ab Andreâ Pontifice consecratur. Is multa bona Cœnobio attribuit sua prudentia parsimoniaque conquisita, totamque penè Ecclesiam à fundamentis erexit. *Antiquus eius loci Codex MS.*

Arka Bertinēsium diuinitùs vendicata. Dauid tertius Claromariscensis Monasterij Præsul, Bertinicos Ascetas, ob Arkensem agrum infestat: de quo sic Iperius: *Anno Domini* CIↃ.C.LXXI. *Dauid Pater** *Nicolai militis, tunc nuper in Claromarisco Abbas effectus, dicto Præposito instigante, conatus est in mediam terram nostram de Arkas aquæ ductus facere. Abbate nostro Fatribusque contradicentibus, arroganter est comminatus ab incepto opere non desistere, donec illud pro suo velle compleret. Sed virga cœlestis iræ de superbo vindictam sumsit. Crastino enim in pristinum opus aggressus, in medio suorum operariorum, cum equo calcitrante cecidit, & fracto crure, domum in lectica reportatur.* &c. Sic ille.

* Is Nicolaus Roberti Ariensis Præpositi, in Bertinicos factionē, cum Patre adiuuit.

Matthæ' Philippi Principis Frater thalamū instaurat. Matthæus Philippi Principis Frater, Maria Coniuge, Stephani Anglorum Regis Filia è viuis cedente, nuptias iterat cum Leonora Rudolphi Viromanduorum Comitis Filia, Elizabethæ Fratriæ Sorore. *Meyerus. Vide suprà ad annum 1160. & 1168.*

Andreæ Episcopi Atreb. obitus. Andreas Atrebatium Episcopus post varios labores exanclatos, terræ quod eius est, reddit, atque in Ecclesiæ suæ Choro tumulatur. *Ex tabulis Ecclesiæ Atrebatensis ad hunc annum:* Aquicinctensis Chronographus & Iperius, eius obitum, in annum 1173. differunt. Succedit Frumaldus Austrouanensis Archidiaconus, qui decimarum partes aliquot, ex Gomicurtiâ & Escuriensi villis legendas impertiuit.

Martyrium S. Thomæ Cantuariensis. Eodem anno (Baronius 1170. scribit) Sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, Martyrio coronatur; à quo mox aliquis hos fudit versus:

Annus millenus, centenus, septuagenus
Primus erat, primas quo ruit ense Thomas:
Quinta dies natalis erat, flos Orbis ab Orbe
Pellitur, & fructus incipit esse Poli.

Richardus VVassebutgius l. 4. Antiqq. Belg. Vide hîc ad annum 1120. & 1165, item Baronij Notas ad Mart. Rom. 29. Dec. Et I. Lipsij Monita & Exempla Polit. l. 1. c. 2. monit. 4. numero 4.

CHRISTI AN. 1172. | ALEX. 3. PAPAE AN. 14.

ANNO 1172. Godescalcus quondam Atrebatensis Episcopus, quique an. 1164. eam dignitatem Andreæ resignauit, in Diui Martini, ad quod se receperat, Monasterio, toleratam diù capitis ægritudinem, simul cum vitâ supplantat. *Chron. Aquicinct.*

Godescalti Episcopi obitus Atrebatensis obit.

Lambertus Aroasiensis Monasterij 4. Antistes, postquàm vndecim ferè annos præfuisset, officij pertæsus id dimittit: eique Euerardus, Bononiensis genere, Abbas S. Mariæ de Nemore surrogatur, vir ætate, & animi seueritate maturus, qui post quatuor annos, quùm quorundam Fratrum animos aduersum se commotos præsentiret, redditâ curâ suâ, anno 1177. relictis illis abijt, & apud Cluniacenses aliquamdiù commoratus, tandem in Monasterio Vrsicampi, Cisterciensi se regulæ mancipauit.

Aroasiensi Præfectura renuntiatur.

CHRISTI AN. 1173. | ALEX. 3. PAPAE AN. 15.

ANNO 1173. Tetboldus, primò Crispensis Cœnobij Prior, indè Abbas Cluniacensis, ac tandem Ostiensis Episcopus Cardinalis, Sancti Maximiani, qui vnus de numero Sanctorum Septem dormientium fuit, Brachium ex Transmarinis partibus, Vrbe Thessalonicâ, furtìm sublatum, Vedastino Cœnobio, piâ liberalitate impertit. Is qui adfuit, remque stylo digessit, sic de his loquitur: BRACHIVM S. MAXIMIANI, *qui vnus fuit & maximus Septem Dormientium qualiter & à quo in Franciam allatum; & quando & quomodo Ecclesiæ* nostræ collatum sit; scribere intendimus, nihil incertum vel fabulosum nostro cudentes eloquio; sed quæ nostris oculis vidimus, & manibus proprijs tractauimus constanter asserentes. Tetboldus igitur Prior Crispensis*, &c. Et post multa: *Tetboldus viro Nobili Philippo Comiti Flandrensi locuturus, in Ecclesiâ Sancti Vedasti, cum famulis suis, qui in Atrebato nati & nobis noti erant, quique ei in Reliquiarum ablatione cooperatores fuerant, diuertit. Meminisse iuuat boni hospitis & optimi amici. In Capitulo nobis consolationis verbum exhibuit; Ecclesiæ nostræ fraternitatem petijt & accepit; suos nobis transmarinos euentus tam iocundè quàm eleganter explicuit, & eiusdem sanctuarij partem, quam penes se habebat, se nobis daturum repromisit. Quem recedentem nos è vestigio duo Fratres insecuti, Brachium Sancti Maximiani, cum suâ carne miro fragrans odore, de eius in Ecclesiâ Crispensi honorandis manibus accepimus, & in Ecclesiâ Sancti Vedasti anno Verbi incarnati* CIƆ. C. LXXIII. *in Natali Apostolorum Petri & Pauli deferentes, post paucos dies, in bra-*

S. Maximiani Brachiũ latum Vedastinis.

* Hinc & ex seqq. patet horũ scriptorem, Monachum fuisse Vedastinũ.

cchio

chio argenteo recondidimus. Ex vetere Codice MS. Vedast. Cœnobij. De Septem Fratrum Dormitione, vide Censuram Baronij in Notis ad Martyrologium Romanum, 10. Iulij.

Aquicinctensium Reliquiæ sacræ.

Alexander Abbas Aquicinctensis varias Sanctorum Reliquias, ex diuersis Ecclesijs aggregatas, arcâ auro & argento, huic vsui, affabrè præparatâ, recludit. *Chronicon Aquicinct.*

CHRISTI AN. 1174. *S. Iacobi Apostoli Caput Vedastinis eripitur.* — ALEX. 3 PAPÆ AN. 16.

ANNO 1174. Philippus Princeps, Caput B. Iacobi Apostoli, Ioannis Euangelistæ Fratris, quod Ariensi B. Petri Basilicæ, nouis operis instauratæ, donandi studio, Vedastinis abstulerat, atque toto sexennio constanter vendicarat; tandem Alexandri Rom. Pont. monitis, & * Henrici Remorum Archiepiscopi, variorumque Principum cohortationibus precibusque expugnatus, priori restituit loco. Non deerat partibus suis Abbas Martinus; qui etiam in hæc verba scripsit ad Principem:

* Ludouicus 7. Galliæ Rex, illius erat Frater.

Grauis expostulatio Martini Abbatis Vedast.

PHILIPPO FLANDRIARVM COMITI, ILLVSTRI ET MAGNIFICO VIRO, MARTINVS ECCLESIÆ B. VEDASTI INDIGNVS MINISTER, ET CAPITVLVM B. VEDASTI, DIGNOS AGERE POENITENTIÆ FRVCTVS.

*Venerabilem * Abbatem Sancti Amandi, & quosdam potentes in consilijs vestris, nobis à latere vestro direxistis, obsecrantes ex parte vestrâ, vt iniuriam quam Deo & Ecclesiæ nostræ irrogastis, patienter ferremus, nullamque super hoc querelam vel in Domini Papæ, vel in Domini Archiepiscopi Curiâ faceremus: insuper & quod Ecclesiæ nostræ non tam rationis instinctu, quàm potestatis violentiâ rapuistis, vobis concederemus. Et iniuriam quidem quàm patienter tulerimus, satis vobis notum est, quomodo scilicet sine vllâ Ecclesiasticæ Censuræ reclamatione, clementiæ vestræ bonitatem expectauerimus. Sed & nunc quoque, sicut hactenùs quamuis cum multâ animorum grauitate & molestiâ, nobilitatis vestræ respectum ad tempus sustinebimus. Et insuper vt vos Deus de expeditione, quam aggressurus estis, sanum & incolumem, humiliatis hostibus, cum triumphi gloriâ reducat, & ad honorem Sanctæ Ecclesiæ, cor vobis pœnitens indulgeat, orabimus. Porrò eundem thesaurum vobis concedere, nostræ facultatis non est, vtpotè qui Deo & Sancto Vedasto, magnificâ Regum liberalitate collatus est. Si igitur eas Reliquias alij Ecclesiæ conferre, vel de ipsis Ecclesiam, quasi sub obtentu*

* Hugo vocabatur.

Religionis instaurare disponitis, neque inter nos & vos, neque inter nos & Ecclesiam, quæ eas contra Deum detentura est, pacem ullam ullo pacto futuram certissimè & indubitanter sciatis. Spiritus Consilij vobiscum.

Porrò relatum est sacrum hoc pignus in Beati Vedasti Monasterium tertio Nonas Ianuarij, rectè in Octauâ Beati Ioannis Euangelistæ. Quod quidem an Beati Iacobi Maioris sit, an alterius, ipse Princeps Philippus perlustratis postmodùm Hispanijs, fidele veritatis testimonium reddidit. Vndè Martinum & Ascetas, saltem sacri Capitis sibi partem darent, magnoperè rogauit; nec illi abnuêre. Itaque Arienses reuisens mirificè affecit, illâ ijsdem nouo munere impertitâ, quam maximo in cultu habent, & accolæ frequentibus venerantur votis. Martinus autem nouum atque ditissimum vas iussit apparari; in quod Petrus Tit. Sancti Chrisogoni Presbyter Cardinalis, Alexandri Papæ in Gallijs à latere Legatus, Frumoldo Atrebatensi Episcopo, & Eustathio Montis Eligiani Abbate, cum innumerâ omnium Ordinum multitudine, præsentibus, XII. Kal. Maij, in Octauis Paschæ, Sacras Reliquias plentissimè transposuit. Prodigia quæ Translationem (cui Philippus Princeps interfuit) & comitata & subsecuta sunt, plurimaque in vetustis Adyti Vedastini Codicibus leguntur, quæ hic producere nil necesse. Hactenùs ex perantiquo libro MS. qui magnâ curâ inter eius Cœnobij Monumenta præstantiora asseruatur; ex quo prolixiùs hoc nomine hausi, quòd Tholosates in Gallijs sacrum hoc pignus se habere prædicent. *Vide infrà ad annum 1336.*

Sacrum pignus redditur.

Ariensibus Canonicis eius pars conceditur.

Prodigia.

Matthæus Bononiæ Comes Philippi Principis nostri Frater, sagittâ letaliter vulneratus, paulò pòst vitâ defungitur, atque in Beati Iudoci sepelitur. *Chron. Aquic.*

Matthæus Philippi Principis Frater moritur.

Philippus graui dolore ob Matthæi interitum sauciatus, Petrum Fratrem, in Cameracensium Pontificem electum auocat; atque Equestri donatum dignitate cum Niuernensi Comitissâ connubij vinculo ligat; ex quâ vnica modò proles suscepta est nomine Sibylla. *Meyerus.*

Episcopatus ad Matrimonium transitio.

Robertus * *Præpositus Ariensis industriâ Philippi Flandriæ Comitis in Episcopum Cameracensem eligitur; nec ad dignitatem consecrationis eum venire permisit Deus; nam citò pòst, iussu Nobilis viri Iacobi de Auesnis in Condato, a* * *Lenonibus & vilibus car-*

**Vide infrà ad an. 1174. & 1171.*

** à Ribaldis, ait Meyerus.*

Iacobi Auesnensis in electum Cameracensem facinus.

tionibus ignominiosè perimitur. Iperius iisdem verbis.

Eum Robertum familiari Dæmone vsum fuisse scribit Meyerus.

An veri aut culpandum, atque Philippi Principis animaduersio.

Philippus Princeps ob Roberti necem grauiter commotus, collectum exercitum aduersus Iacobum Auesnensem ducit: At Henrici Archiepiscopi interuentu, simulatâ potiùs quam verâ, pace compositâ, in Flandriam reuertitur. Meyerus, & Chronographus Aquicinctinus, qui Iacobum iuramento se facti immunem testatum fuisse scribit. Egregiam Iacobi Auesnensis laudem vide in Molani Natt. SS. Belgij, 7. Sept. & Chron. Aquicinct. ad an. 1191.

Anselmi Comitis S. Pauli obitus.

Anselmus Campauenensis Fani Sancti Pauli Comes, mortem oppetit, relicto Hugone Successore. Hic ex * Iolende Coniuge, duas suscepit Filias, * Elizabetham, quæ in Comitatum successit, & Eustatiam. Porrò Elizabetha copulam Matrimonij iniuit cum Galtero Castillonio. *Vide infrà ad an. 1178. & 1197. & infrà ad an. 1205.*

Proles.

* Siue *Iole*, vt vocat Meyerus.

* Fortè *Elisam*, vt scribit idē Meyerus.

Alexander octauus Abbas Aquicinctensis fato extinguitur, eiusque partes excipit Simon, eiusdem loci Asceta. *Chron. Aquicinct.*

CHRISTI AN. 1175. Collegiū Canonicorum Fani S. Pauli erectum priuilegijs ornatur.

ALEX. 3. PAPÆ AN. 17.

ANNO 1175. Alexander Pont. Max. Collegio Sancti Saluatoris Canonicorum opidi Sancti Pauli, in eius Castro per Rogerum Comitem constituto, & varijs possessionibus priuilegijsque exornato, hoc diploma, quo suis iuribus solidè in æuum frui possint, impertit:

ALEXANDER SERVVS SERVORVM DEI, DILECTIS FILIIS PRÆPOSITO, ET CANONICIS ECCLESIÆ SANCTI SALVATORIS SITÆ IN CASTRO SANCTI PAVLI, EORVMQVE SVCCESSORIBVS CANONICE SVBSTITVENDIS, IN PERPETVVM.

Diploma Pontificium.

Quotiens à nobis illud petitur quod rationi & honestati conuenire dignoscitur, nos decet libenti animo concedere, & petentium desiderijs congruum impartiri suffragium. Eapropter dilecti in Domino Filij vestris iustis supplicationibus libenter annuimus, & præfatam Ecclesiam, in quâ diuino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, statuentes vt quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia impræsentiarum iustè & Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel

Principum,

*Principum, oblatione Fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Villam QVESQVE cum appendiciis suis, & quicquid ibi tam in terris quàm in decimis rationabiliter habere noscimini: In parœciâ Diui Pauli duas partes decimæ: in Castro ipso duodecim mansuras, Furnos & unum Cambam, sicut bonæ memoriæ * Rogerus Comes, Ecclesiæ vestræ pro anima sua remedio noscitur contulisse: Statuens vt de singulis aliis Cambis de atrio tres quarterias ceruisiæ habeatis, quotiens ibi cereuisia fiet: Duos molendinos apud Agnez, cum tertiâ parte decimæ eiusdem villæ: apud Morelcourt duas partes decimæ: in Pruniaco tertiam partem decimæ eiusdem villæ: Apud Floury tertiam partem decimæ eiusdem villæ: apud Bellum Quercum Altare cum duabus partibus decimæ: apud Fiez duas partes decimæ eiusdem villæ: apud Freuench Altare cum terrâ quam ibi prædictus Comes possidebat: apud Auream villam Altare cum suis & his villis, Ampliers, Territorium Maisuil, dimidium molendinum de Marcoina, medietatem vectigalis de Poupliers. In Castro Sancti Pauli vnam mansuram in quâ manet Custos vestræ Ecclesiæ. In Parochialibus autem Ecclesiis, quas tenetis, liceat vobis Sacerdotes eligere & Episcopo præsentare: quibus, si idonei inuenti fuerint, Episcopus animarum curam committet, vt de plebis quidem curâ Episcopo, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis Campanis, suppressâ voce, diuina officia celebrare. Sepulturam quoque illius loci liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, saluâ tamen iustitiâ Ecclesiarum illarum, à quibus corpora mortuorum assumuntur. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare. &c. Datum Anagniæ, VII. Cal. Aug. Indict. VII. Incarnat. Dominicæ an. 1175.*

Possessiones recensentur.

* Obijt 13 Kal. Iunij. Ex Martyrol. MS. eius Ecclesiæ.

In die Sancto Parasceues, Philippus Comes Flandrorum, cum numeroso Comitatu, Hierosolymam profecturus, Crucem accipit. *Chron. Aquicinct.*

ALEX. 3. PAPA AN. 18.

ANNO 1176. Princeps Elsatius Atrebati, ex lapide candido & quadrato, ædificat interiorem portam, quæ dicitur Rotunda villa *, in cuius structurâ, ad perpetuam

CHRISTI AN. 1176.

* Gal. Rotuille.

Atrebati porta Rotunda villa erigitur.

memoriam talia insculpta habentur:

TEMPORE PHILIPPI NOBILISSIMI FLANDRIÆ, ET VIROMANDIÆ COMITIS, FVNDATA FVIT HÆC TVRRIS A MAGISTRO VVILTRORO, TENVS ANNO 1176.

Dionysius Bersatius in Origin. Comitum Artesiæ.

Philippi Principis & Iacobi Auesnẽsis simultates nõdum sepultæ.

Controuersia inter Philippum Comitem & Iacobum Auesnensem exorta; circa Calendas Septembreis, Philippus sociante Balduino Hannone, Sororio, duas Auesnensis munitiones, quas in Viromandiâ habebat, cum summâ festinatione intercipit; quarum alterâ destructâ, alteram sibi retinuit. *Chron. Aquicinct.*

Bethuniense opidum incendio percutitur. *Ibidem.*

Mors Godescalci Bertinici Abbatis.

Godescalcus Bertinensis Antistes, anno Regiminis sui XIII. moritur, inque Capituli medio Sepulturæ mandatur. Eius Epitaphium est tale:

Hic recubat Dominus laus nominis est Godescalcus;
Cuius vita aperit tituli quod littera claudit.
Mundus obit iuueni, iuuenileque quodque senescit.
Mox sacli studio transcurso flamine Sancto,
Hic Sithiu votum tenet, & monachus fit, & inde
Migrat in officium Patris, huncque locum tenet, Idus
Quarta Septembris, tribus atque decem Pater annis;
Spe Sanctâ Comite decedit Virgo, senexque.

Simon 2. Abbas Bertinensis.

In eius dignitatem Simon, isto nomine secundus successit, vir venerabili vultu & staturâ eleganti. *Hic statim vt Abbas effectus est* (scribit Iperius) *ante portam Monasterij, super fluuium, pontem à fundamentis erexit, & quasi perpetuo opere consummauit, veteri iam ruinoso deiecto. Lauatorium aeneum, quod Godescalcus fecerat, hic Simon erexit ante ingressum Refectorij. Cameram Abbatis ad Australem partem Templi penitus destructam reædificauit; & in latere eius ad meridiem, Cœnaculum de Lignis, quod totius Curiæ speculum, plus continet pulchritudinis, quam vtilitatis. Fecit & piscinam seu viuarium in Australi parte Monasterij, iuxta viam Molendini, nobis benè conueniens. Et cum iuxta consuetudinem antiquam, semel in anno nuntius noster Coloniam iret pro reditibus nostris, nihil secum nisi pecuniam afferret; Abbas noster Simon, Sanctarum Reliquiarum auidus, missis nuntijs, diuersis temporibus, quatuor Corpora de Collegio vndecim millium Virginum, cum multis aliorum Sanctorum Reliquijs hic af-*

ferri

ferri, & Feretrum in quo ea recondidit, fieri fecit. Attulit & hic de veteri Monasterio Ossa Sanctorum Nerei & Achillei, cum Capillis & duobus Ossibus Beatæ Mariæ Magdalenæ, & in Feretro eburneo, supra maius Altare ad dexteram cum minoribus Feretris collocauit. Frontale Feretri Beati Bertini de auro & argento lapidibusque pretiosis honestè fieri fecit; Crucem quoque ligneam pulcherrimam fieri fecit cum Imagine Saluatoris, Beatæ Mariæ, Beati Ioannis, & Cherubim aliisque, ad repræsentationem Dominicæ passionis, arte sculptoriâ & pictoriâ mirè splendentibus, ad decorem domus Dei: & de Reliquiis, quas Dominus Bono Abbas noster de Monasterio Sancti Dionysii secum attulerat, & cum Corpore Beati Bertini collocauerat; Dominus Simon nunc de Feretro Beati Bertini reparato, tulit indè punctum vnius Clauorum Domini, quo Cruci fuerat affixus, & in Coronâ huius Imaginis Crucifixi, sub Cruce Chrystallinâ collocauit, cum portione notabili Ligni Dominici. Hactenùs Iperius.

Henricus Anglorum Rex, missis ad Philippum Principem nuntiis, nescio quibus verbis aut promissionibus illectum, ab itinere Hierosolymitano hoc anno detinuit. *Chron. Aquicinct.* *Differt Philippus expeditionē Hierosolymitanam.*

CHRISTI AN. 1177. ANNO 1177. Iacobus Auesnensis, pace ab Flandro, Hannonioque impetratâ, omnia sua bona recipit. *Meyerus.* *ALEX. 3. PAPA AN. 19.* *Pax inter Philippum & Auesnensem.*

Petrus Elsatius, Philippi Principis Frater, veneno, vt rumor fuit, tollitur è medio, Sibyllâ Filiâ vnicâ relictâ, sed breuis vitæ. Quamobrem Philippus Matthæo & Petro Fratribus extinctis, Margaretam Balduini Hannoniæ Comitis vxorem, hæredem inscripsit. *Idem.* *Petrus Philippi Frater moritur.*

Philippus Princeps rebus Flandriæ compositis, circa Festum Pentecostes, in Syriam, ad Cognatum suum Balduinum, Hierosolymorum Regem, atque Almerici Regis Filium proficiscitur. *Chron. Aquicinct.* *Philippus Hierosolymã proficiscitur.*

Eodem anno, IX. Cal. Aug. die Dominicâ Marchianensis Cœnobii Ecclesia, ab VVillelmo Remensi Archiepiscopo recens sacrato, eoque Sedis Apostolicæ Legato, præsentibus Frumaldo Attrebatensi, & Euerardo Tornacensi Episcopis, in honorem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli consecratur. *Chron. Aquicinct.* *Dedicatio Ecclesiæ Marchianensis.*

Eâdem tempestate quùm vehemens & luctuosa factio inter Alexandrum Pont. Max. & Fredericum Imp. regnum quoddam suum obtineret, tandem diuinâ adspirante clementiâ amicæ pacis fidus exsurgens, Ecclesiæ Chri-

stianæ gaudia sua reddidit. Chronographus Aquicinctinus historiam taliter depinxit: *Hoc eodem anno IX. Kal. Augusti facta est lætitia magna in vniuersali Ecclesiâ, quia discordia, quæ inter regnum & Sacerdotium per viginti annos fuerat exagitata, & magno scandalo toti mundo erat, auctore Deo, in hac die est pacificata. Christianus enim Archiepiscopus Moguntinus, qui & Cancellarius, & Primates regni cum Episcopis conuenientes, Fredericum Imp. ad domnum Papam Alexandrum, discalceatum, & Regijs ornamentis nudatum, in Venetiâ, in loco, qui Altus riuus nuncupatur, adduxerunt. Ipse verò cum tantâ humilitate, quod ei fuerat indictum, impleuit, vt illius exstitisse opus sine dubitatione credatur, de quo dicitur, Cor Regis in manu Dei, vbi voluerit, conuertet illud. Sanè quàm timoratum Deo, & obedientem Ecclesiæ & domno Papæ se curauerit exhibere, lacrymis pedes eius deosculando, & Regijs muneribus honorando, magnificè demonstrauit. Sequenti verò die, in festiuitate scilicet Sancti Iacobi Apostoli, domnus Papa cum Cardinalibus suis & Episcopis, Missam solenniter celebrauit, & prædictum Imperatorem à vinculo anathematis absolutum, Corpore & Sanguine Domini nostri Iesu Christi, in confirmatione vnitatis & pacis communicauit. Tota ciuitas lætatur, & Imperatorem muneribus honorans, conuiuijs vacat. Alexander Papa de pace receptâ, & de honore à Deo sibi collato gaudens, Epistolas ad omnes Episcopos Galliarum dirigit, continentes seriem huiusmodi:*

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, VENERABILIBVS FRATRIBVS, VVILLELMO REMENSI ARCHIEPISCOPO, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, ET SVFFRAGANEIS EIVS, ET DILECTIS FILIIS ABBATIBVS, IN REMENSI PROVINCIA CONSTITVTIS, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Cùm per auxilium, potentiam & fauorem carissimi in Christo Filij nostri Ludouuici illustris Francorum Regis, & regni sui, Sacrosancta Romana Ecclesia ac nobis recognoscamus gloriosa & magnifica beneficia prouenisse; dignum est & consentaneum rationi, vt illi & vobis, quorum auxilio potenter sumus in necessitatibus nostris adiuti, prosperos & felices pacis successus significemus: indubitatâ veritate tenentes, quòd post Deum idem Rex simul cum regno suo, cooperatus est honori, & exultationi Sanctæ Ecclesiæ, & ei magnum contulit incrementum. Quod quidem sicut verbo reco-

gnoscimus, ita opere & sermone, omni tempore, auctore Deo, recognoscemus. Notum sit autem sollicitudini vestræ, quòd charissimus in Christo Filius noster Fredericus, illustris Romanorum Imperator, per inspirationem diuinæ gratiæ, deposito vanitatis errore, ad viam veritatis conuersus, ad obedientiam Ecclesiæ & nostram, reuerenter & deuotè, sicut decuit, rediÿt, & illam B. Petro in nobis reuerentiam & deuotionem exhibuit, quam Antecessores eius nostris consueuerunt Antecessoribus exhibere, & se de cetero exhibiturum promisit. Super quo vtique laudes altissimo agimus, & consequenter Regi & regno gratias copiosas referimus, de eo quòd Ecclesiam & nos ipsos in tribulationibus & persecutionibus nostris nequaquam deseruit, sed vsque in finem magnificè iuuit & defendit. Monemus itaque dilectionem vestram & hortamur attentiùs, quatenùs Ecclesiæ & nobis in prosperitatibus congaudentes, in deuotione Beati Petri & nostrâ, sicut hactenùs firmiter perstitistis, perseueretis, & Regem, vt in eodem cum regno suo persistat, monere propensiùs & inducere studeatis. Data Venetiæ in Riuo alto, VI. Kal. Augusti.

Euerardus Aroasiensis Cœnobij quintus Abbas, curâ depositâ, in Cluniacensi Monasterio aliquamdiù delitescit: hinc Cisterciensi se Regulâ constringit.

Euerardo in Aroasiensi Præfecturâ succenturiatur Ioannes, patriâ Hamensis, vir eloquentiâ conspicuus. Verùm secundo Regiminis anno, postquàm à Lateranensi Concilio sub Alexandro Papâ habito, redijsset, coràm Fratribus, anno Christi 1179. 5. Id. Ian. Somnum mortis excepit.

CHRISTI AN. 1178. ANNO 1178. Elsatius Princeps, celebratâ Hierosolymis Paschali solennitate, maris veritus discrimina, per Hesperiam, Thraciam, & Pannoniam seu Saxoniam in Flandriam reuertitur, mense, vt quidam adnotant, Octobri. *Meyerus.* ALEX. 3. PAPÆ AN. 20. *Philippus ab Solymis reuertitur.*

Mortuo Iuone Comite Suessionum, eodemque Nigellæ Regulò. Iole eius vxor, Balduini, Comitis Hannoniæ Soror, transit in nuptias Hugonis, Sancti Pauli Comitis, ex quâ licet ampliùs quadraginta septem annos nata, Hugo Elisam & Eustathiam Filias suscepit. *Bresinius. Vide suprà ad annum 1174.* *Nuptiæ Hugonis Comitis S. Pauli cum Iolâ.*

Philippus Comes, Attrebati construit Xenodochium Sancti Ioannis in Stratâ, quod cum vxore Elizabethâ, amplis dotauit reditibus, illucque aliquot Sacerdotes indu- *Xenodochium S. Ioannis in*

xit, quos penes esset dispensatio temporalium & administratio Sacramentorum: & simul intromissæ aliquot mulieres sæculares, quarum partes forent pauperibus, ægris, peregrinis inseruire, atque necessaria administrare. *Bersacius.*

Itidem Castrum Alciacense.

Idem Princeps in Artesiæ finibus, ad Alciam fl. Castrum Alciacum * eleganti opere formâque, editâ in rupe condit; quò se à venatione reciperet, atque delectaret. *Bresinius.*

CHRISTI AN. 1179. *Nonnulla Diui Bernardi Reliquiæ Aquicinctinis Asceteis donantur.*

ANNO 1179. Simon nonus Aquicinctini Monasterij Antistes, in reditu ex Concilio Romano, Clareuallem diuertit, & Reliquias Beati Bernardi, ab eiusdem Cœnobij Abbate, precibus impetrat; quas Aquicinctum delatas, magnis honoribus affecit. *Chron. Aquic.* ALEX. 3. PAPÆ AN. 21.

Galterus Aroasiensis Cœnobij excellens, vel adolescens, Antistes.

Moritur Iacobus, Aroasiensis Monasterij sextus Antistes: eiq; Galterus, Cameraco ex Nobilibus parẽtibus oriundus, egregiæ indolis adolescens, anno ætatis suæ 17. Idibus Ianuarij consilio & astu est surrogatus. Is cùm omnium oculis gratiosus existeret, vtpote quem morum fragrantia, vitæ sanctitas, generis splendor commendabilem, ne dicam mirabilem prædicarent; post decimum tertium Præfecturæ suæ annum, non sine multo suorum eiulatu, diem clausit extremum. *Monn. MSS. eius loci.*

Ludouicus septimus Galliarum Rex & Elsatius Princeps, traijciunt in Angliam, Beati Thomæ Cantuariensis sepulcrum veneraturi. Indè regressi, de sponsalibus Philippi Delphini, & Elizabethæ Hannoniæ, seriò cogitant, ac paciscuntur, Ludouicus Rex etsi in viuis, Regni diadema Philippo Filio; Elsatius Flandriam Occiduam Elizabethæ Nepti, mox se cessuros.

Octauâ Calendas Nouemb. Philippus, Ludouici F. Remis ab Gulielmo Pontifice, Auunculo, in Galliarum Regem inungitur atque coronatur, Elsatio, quia Regni Comes esset, Regis gladium præferente.

CHRISTI AN. 1180.

ANNO 1180. Ludouicus Rex naturæ debitum soluturus, Philippi Filij tutelam Elsatio committit, ac moritur. ALEX. 3. PAPÆ AN. 22.

Hactenùs de Occiduâ Flandriâ Orientali coniunctâ: Sequitur eiusdem aberuncatio siue auulsio.

TOMI SECVNDI FINIS.

CHRO-

CHRONICON BELGICVM.


IN QVO
ARTESIENSIS
COMITATVS ORIGO
ET PROGRESSVS
EXPLICANTVR.

AVCTORE
FERREOLO LOCRIO
PAVLINATE.

TOMVS TERTIVS.



ATREBATI,
Ex Officinâ GVILIELMI RIVERII,
ſub ſigno BONI PASTORIS.
M. D. C. XIIII.





ARTESIENSIS COMITATVS ORIGO ET PROGRESSVS.

Anno ab Orbe condito ivxta LXX. 5788.
Ivxta vvlgatam et emendatam editionem, 5202.
Olympiadis 488. anno 2.
Ab V. C. secvndvm Varronem. 1931.
CHRISTI REDEMPTORIS NOSTRI, 1180.
Alexandri 13. Papæ, 22.
Impp. { In Græcis Alexii Commeni Ivnioris 1.
In Latinis Frederici Barbarossæ 28.

PHILIPPVS GALLORVM REX, PRIMVS ARTESIÆ DOMINVS.

Christi An. 1180.



Hilippvs Gallorum Rex, Ludouici VII. recens defuncti, Filius & Hæres, atque Elizabetha, Balduini, Hannoniæ Comitis, & Margaretæ Elsatiæ Filia, Philippi Elsatij, Flandriæ Comitis, ex Matre Neptis, sacro Matrimonij vinculo sociantur. Accepit Elizabetha in dotem ab Elsatio Auunculo Atrebatum, Sanctum Audomarum, Ariam, Hesdinum, Bapalmam, Lensium, cum Homagijs Bononiæ maritimæ, Sancti Pauli, Ghisnæ, Lilerij, Ardeæ,

Alex. 3. Papæ. An. 22. *Philippi Galliæ Regis & Elizabethæ Hannoniæ nuptiæ.*

Dos Elizabethæ Artesia.

Richeburgi, aliaque citra Fossam Nouam Aduocatiæ Bethuniensis loca, quæ singula ad posteros perpetui hæredij iure transmitteret. Hinc prima Comitatus huius origo, cum perpetuâ nominis & iurisdictionis ab Flandriâ distinctione. Hæc enim pars ab ipso Capite Atrebato, Atrebatesij, contractè Artesij siue Artesiæ nomen assumpsit. Quamquam non desint magni alioquin viri, qui aliundè petitum atque vetustius esse putent; nempè ab Adartensibus, vt *Ad* priore Syllabâ sublatâ, pro Adartenses vsurpatum sit Artenses, hinc Artesienses; vt in Alberto ab Adalberto factum. Eâ opinione ducitur D. Bartpolomæus Lintrensis S. T. D. Duaci. *De Adartensibus consule Molani Natales, Maij 12. in S. Rictrude.*

Vocis Artesiæ origo seu Etymon.

Bapalmæ nuptiarum solennia fuere peracta, Rogerus Laudunensis Episcopus, in Beati Nicolai, sacris operatus est: adfuere Hannonius, Elsatius, Namurcius, Claromontius, Suessionensis, Pontiuensis & S. Pauli Comites.

Vbi nuptiæ celebratæ.

Ab hoc thalamo quid augurer nescio; attamen non admodùm Gallis, nedùm Flandris placuit. De Gallis sic Meyerus. *Eas nuptias neque Matri Philippi Regis, neque eius Auunculis, Gulielmo Remorum Archiflamini, Henrico Tricassium, Theobaldo Carnutum, Stephanoque sacri Cæsaris Comitibus, Robertus Abbas placuisse est auctor.* Sic ille. Quod nec Flandris, post omnes Marchantius: *Illâ donatione, longum inter Gallos Flandrosque rixarum & bellorum seminarium excitauit; Flandriam deartuauit, ab eâque propensionem & societatem Artesiæ, & ceu vallum scutumque contra Francos præsecuit.* & paulò pòst: *Philippus Artesiâ aberuncatâ, in publicum nocuit, atque documento est, cautionem Legis Salicæ, Agrariæque esse necessariam, quâ prohibitum est Prouincias aut agros qui in Republica Dominio sunt, alienari citra Ordinum assensum, tum quòd Respublica instar pupillorum æstimanda sit, & ne præscribi quidem contra eam possit, vt in censurâ Themistoclis, & Catonis patuit: tum quòd Principes huiusmodi dissipatores sibi inutiles, publicè damnosi sint.* Hactenùs Marchantius.

Gallis & Flandris inauspicata.

Quid speciale Atrebatijs nostris exindè? quùm hactenùs ijs id honoris inhæsisset, vt Atrebatum totius Flandriæ esset Metropolis, vndè distichon:

Metropolis Flandris Atrebatum antiqua fuisse
Traditur, haud alibì fertiliore loco;

Nunc primùm solius Occidentalis esse cœpit, Orientali

Atrebatensis Oppidi honos & auctoritas imminuitur.

Flandriâ, Gandauum in Caput seu Opidum Princeps accessente.

Mouit huic donationi Elsatium, quòd prolis exspes esset, Elizabetham aluisset, Philippum Regem de Sacro fonte leuasset, communicato etiam nomine, eiusdemque gereret tutelam. Vndè Gulielmus Brito: *Cessioni Artesiæ quid mouerit Elsatium.*

Flandrensis Comes interea vir magnus, & acer
Consilio, genere illustris, & nominis alti;
Qui Regem puerum sacro de fonte leuarat,
Vndè suum Nomen, sicut mos exigit, illi
Indiderat. &c.

Addit Meyerus, id illum egisse, victum assiduis Ludouici septimi precibus atque assentationibus: Cæterùm in eiusmodi dotis vicem seu compensationem, Viromanduos, quos eâ tempestate dotales dumtaxat Elsatius possidebat, perpetuo iure tenendos accepisse; sed id compensationis Philippum Filium posteà irritasse.

Ijs peractis nuptijs Elizabetha iam nostra, in Gallias deducitur, & sacrâ Ascensionis Dominicæ die, in Sancti Dionysij, ab Vidone Senonum Archiepiscopo Oleo sacro inuncta, sumptâque cidari, Gallorum Regina salutatur. *Elizabetha coronatur Franciæ Regina.*

Simon Aquicinctensis Monasterij Antistes, communicato cum Fratribus consilio, Ecclesiam Sancti Saluatoris mense Septembri disijcit, quòd eius angustia tanto Monasterio non sufficeret. *Vetus Aquicinctensis Ecclesia deijcitur.*

Ingebrandus quartus Henniacensis Monasterij Abbas, Sedis & vitæ iacturam facit, atque in Beatæ Virginis Sacello terræ redditur; cuius dignitatem Lanuinus apiscitur; quâ ornatus Ecclesiæ suæ instaurationi plurimùm insudauit. *Vide infrà ad annum 1187.*

CHRISTI AN. 1181. ANNO 1181. Philippo Rege Viromanduos, quos Ludouicus Pater Elsatio, in Artesiæ compensationem cesserat, repetente, quòd in talibus donis adolescentiam suam circumuentam fuisse arbitraretur; contrà Elsatio fortiter reluctante, aliàs Flandriam Occidentalem sibi reddi postulante; exoritur flamma bellorum, quam non nisi quinquennium extinxit. LVCII TERTII PAPÆ AN. 1. *Exoritur bellum inter Elsatium & Regē.*

Ecclesiæ Aquicinctensis noua fundamenta, anno à primâ structurâ 103. iaciuntur; primumque lapidem cum cæmento, proprijs manibus, Balduinus, Hannoniæ Comes, posuit.

Ecclesia Aquicinctensis instauratur.

fuit. Dicat explicatiùs Aquicinctense Chronicon: *Anno* VERBI *Incarnati* CIↃ. C. LXXXI. *Indictione* XIV. *Luna* XIII. *concurrente* III. *Epacta, anno à primâ constructione Ecclesiæ centesimo tertio, mense Martio, die secundâ eiusdem mensis, id est, Feria secunda Dominicæ secundæ Quadragesimæ, iacta sunt fundamenta istius nouæ Aquicinctensis Ecclesiæ. Missa igitur de Sancta Trinitate celebrata, Simon Abbas assumptis duobus secum Abbatibus, Ioanne videlicet Sancti Amandi, & Nicolao Marcolensi, cum Sanctorum Reliquijs, Crucibus & thuribulis, & Cereis, cum tota congregatione, cappis solennibus induta, processit ad locum. Ibi aderat Balduinus Comes istius pagi*, cum multitudine militum, & aliorum Christi Fidelium. Primum lapidem in fundamento Comes manibus suis cum cæmento posuit, & in Ecclesia magnum gaudium fuit.* Sic ibì.

* sc. de Pecquicourt Cœnobio contigui.

Ioannes Montis Eligiani Abbas primus Mitrâ vsus.

Fit Episcopus Lugdunensis.

Albiniacensis Prioratus fit Abbatia.

Irritatur à Papâ.

Eustathius septimus Montis Eligiani Antistes, corpore exuitur, eique Successor nominatur Ioannes; de quo sic in Monn. MSS. eius loci: *Eustathio successit Ioannes, temporibus Lucij Papæ tertij, & Vrbani tertij, qui Vrbanus Ioannem Abbatem Mitra & alijs Pontificalibus insignijs decorauit; ac posteà eundem Episcopum Lugdunensem instituit. Huius etiam temporibus, cùm esset in curiâ Romanâ, Dominus Frumaldus Atrebatensis Episcopus, Albiniaco Abbatem instituit, confirmauit & benedixit, & in possessionem de facto induxit. Quo audito Dominus Vrbanus, totum processum Episcopi Atrebatensis irritauit*; & super hoc facto, Domino VVillielmo Archiepiscopo Remensi litteras Apostolicas destinauit.* Sic ibì. Sedit Ioannes annos decem.

* Obierat tunc Frumaldus.

Hugo de Couchy, præcipuus Eligiani Cœnobij fũdator.

Eidem Ioanni Abbati, Nobilis Eques Hugo *de Couchy*, Castellanus Cameracensis, atque Oisij Regulus, temporale eius Montis Dominium, cum potestate altæ iustitiæ, vt vocant, eximiâ pietate concessit; vndè meritò eiusdem Cœnobij fundator nominatur.

Chocquẽsis Ecclesiæ dedicatio.

Desiderius Morinorum Episcopus, Chocquensem Ecclesiam, quam, cum Monasterio, eius Ascetæ, prioribus & Ecclesiâ & Cœnobio bellorum iniuriâ funditùs dirutis, sub Milone Morinorum itidem Episcopo, extra pagum, locoque aptiori restituerant, in honorem Dei eiusque Virginis Matris Mariæ, & Beati Ioannis Baptistæ consecrat; de cuius Beati Ioannis Ossibus, pars satis magna ibì habetur. Vndè quotannis magnus illuc fidelium concursus, ac præsertìm die Natiuitati illius sacrâ. *Ex Monn.*

MSS.

MSS. *eius loci; vide ad annos 1120 & 1280.*

Albanus quintus Caricampensis Monasterij Abbas vitæ munera deponit, eiusque locum ingreditur Petrus, atque agit Abbatem, vix ampliùs septem annis.

Frumaldus Episcopus Atrebatensis 13. Galend. Maij, diem extremum claudit, atque in Templo suo, pro Altari Principe, honestâ conditur sepulturâ. *Ex tabulis eius Ecclesiæ*; Chronicon Aquicinctense eius obitum in annum 1183. differt; aitque Sedem Atrebatensem anno integro vacasse. *Moritur Frumaldus Episcopus Atreb.*

Septimo Idus Iunij, Audomaropoli in Sancti Bertini Templo Corpus Beati Folquini, per Desiderium Episcopum, præsentibus Philippo Comite, Simone Bertinensi, multisque alijs Prælatis, iàm tertiò transfertur, atque ex veteri scrinio in nouum Feretrum, quod Bertinensis Abbas fieri curauerat, honorificè deponitur, varijs comitantibus, subsequentibusque miraculis. *Iperius. Vide ad an. 855.* *Tertia Translatio Corporis S. Folquini.*

Simon Abbas Bertinicus, Templum suum, Beatæ Virginis Deiparæ Chirothecâ & Capillis, atque Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Reliquijs exornat. *Iperius.* *Chirotheca & Capilli B. Virginis Audomaropoli.*

CHRISTI AN. 1182. LVCII 3. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1182. Martij 25. Atrebati moritur Elizabetha, Philippi Elsatij vxor, inque Templo Cathedrali, ante summum Altare sepelitur. Cuius quidem sepulturæ locus quùm anteà nesciretur, detectus est anno 1600. quùm eodem in loco sublato pauimento, humus sepeliendo Matthæo Moullartio Episcopo nostro foderetur: tunc enim reperti Elizabethæ Cineres, cum laminâ plumbeâ in quâ sic incisum: *Elizabetha Elsatij Comitis vxor moritur.*

ANNO DOMINI CIↃ. C. LXXXII. OBIIT ELIZABETHA, VXOR PHILIPPI, FLANDRIÆ ET VIROMANDIÆ COMITIS, FILIA VERÒ RVDOLPHI, VIROMANDIÆ COMITIS, QVÆ IN PRÆSENTI SEPVLCRO QVIESCIT.

Petrus, Cisterciensis Monasterij Abbas, religione atque doctrinâ nobilis, Atrebatensis Ecclesiæ, vno omnium calculo, Pontifex nominatur, Hunc Willelmus Remorum Archiepiscopus, Veronæ in Italia in Beati Martyris Zenonis Ecclesiâ, Concilio ibidem Lucij Papæ & Frederici Imperatoris, cui Petrus intererat, vrgente consecrauit. Ex tabulis Eccl. Atreb. *Petrus Episcopus Atrebatensis. Concilium Veronense.*

Robertus, Bethuniensis Aduocatus, Coquensis Monasterij dotationem confirmat, datis litteris, in quibus se

Dei gratia Betmuntensem Advocatum scribit: Vnde quis meritò conijciat nullius tum fuisse Clientem seu Beneficiarium, & merum in vrbem & ditionem suam habuisse imperium.

Christi An. 1183. Lucij 3. Papæ An. 3.

Anno 1183. Elsatius Princeps Idam Bononiæ Comitem, suam ex Matthæo Fratre Neptem, Bertulpho Zaringiæ Duci tradit vxorem.

Ida Bononiæ Comes Neptis Elsatij.

Beatus Bernardus Pœnitens, sanctitate vitæ memorabilis, cùm se, ex Dei reuelatione morti propinquum esse intelligeret, perceptis Ecclesiæ Sacramentis; atque in Beati Bertini indutus Monachum, ex hac vitâ migrat feliciter. Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij, eius vitam sic depingit: *Fuit Prouincialis Magatonensis, quæ subest Episcopo Narbonensi, litterarum omninò expers, & tamen cum litteris sui Episcopi, quas etiam Metropolitanus sigillo munierat, pœnitentiæ caussâ, totum ferè Orbem peragrauit; Terram Sanctam tertiò lustrauit. Tandem in Sancti Audomari Vrbe receptus est, à quodam VVilhelmo: vbi, sicut decreuerat, permansit. In litteris scriptum erat generatim iniunctam fuisse pœnitentiam septennem propter horribilia peccata. Sed vitæ scriptor asserit se audiuisse, quòd consensum præbuerat in necem Domini sui temporalis, quem subditi occiderant, eò quòd illos iniustis exactionibus affligebat. Quatuor singulis annis Quadragesimas ieiunabat; tribus diebus Hebdomadatim pane & aquâ contentus erat. Eadem ei parsimonia fuit sextis Ferijs & in Vigilijs Apostolorum. Stans ferè semper orabat. Pedibus nudus erat; Vinculis ferreis quinque stringebatur, videlicet circa collum, pectus, lumbos, brachia & crura. Cilicio & loricâ sub vestibus vtebatur. Lectum habebat ex lapidibus. Cum autem se ex Dei reuelatione morti propinquum esse intelligeret, postquàm suscepit & Ecclesiæ Sacramenta, & Bertinensis Cœnobij habitum, feliciter requieuit, anno 1183. Corpus autem primùm in exteriori Ecclesiâ positum est, deindè ob miraculum editum, ad Chorum delatum: & postremò detractis ferro, loricâ, & Cilicio, in Ecclesiâ Sancti Bertini*, Sepulturæ traditum. Hactenùs ex historiâ à Ioanne quodam descriptâ, iubente id Simone Abbate, eius nominis secundo, qui Beatum virum in Monachum assumpsit.* Hucusque Molanus 19. April.

B. Bernardus Pœnitens, Audomaropoli moritur.

** Sacello S. Catharinæ.*

Lucius tertius Romanæ Ecclesiæ Summus Pontifex, multifarias Mareolensis Cœnobij possessiones, simul & priuilegia, dato diplomate 14. asserit, ex quo libuit sub-

sequen-

ſequentia excerpere, & Lectori meo offerre:

LVCIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, DILECTIS FILIIS MARTINO ABBATI, ET CANONICIS ECCLESIÆ MAREOLENSIS &c.

Statuimus vt &c. *illibata permaneant; in quibus hæc duximus exprimenda: Locum ipſum, in quo præfata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentÿs ſuis. Altare de Mareolo cum ſuis appenditÿs, Curtem* DE SOMCAMP, *cum ſuis appenditÿs; partem decimæ* DE SALTI; *Altare* DE SOMBRIN; *Altare* DE VVARLVISEL, *Altare* DE NOELLE, *Altare* DE VVENDIN LE VIEZ, *Altare* DE VVINGLES *cum ſuis appenditÿs, tàm in manſis & hoſpitibus, quàm in aquis & mariſco; Altare* DE BONOFONTE, *Curtem* DE MERVILLE, *cum ſuis appenditÿs; terram* DE BAILLOEVL, *de quâ dantur ſub annuo cenſu, pondera butyri; Curtem* DE RISKEPOLT, *cum ſuis appenditÿs, tàm in aquis, quàm in Mariſco; Allecia quæ in Bolonienſi Prouinciâ Eccleſiæ veſtræ debentur; antiquas verò & rationabiles conſuetudines, libertates quoque & immunitates, ab Archiepiſcopis & Epiſcopis Eccleſiæ veſtræ indultas & hactenùs obſeruatas ratas habemus, eaſque futuris temporibus manere decernimus illibatas. &c.* Et paulò pòſt: *Inhibemus etiam vt infrà fines parœciæ veſtræ, nullus ſine aſſenſu Diœceſani Epiſcopi & veſtro, Capellam ſiue Oratorium ædificare præſumat, ſaluis priuilegÿs Romanorum Pontificum &c.* Et poſt pauca: *Sepulturam quoque loci ipſius liberam eſſe decernimus, vt eorum deuotioni & extremæ voluntati, qui ſe ibi ſepeliri deliberauerint (niſi fortè excommunicati fuerint, vel interdicti ſint) nullus obſiſtat, ſaluâ tamen iuſtitiâ Eccleſiarum illarum, à quibus mortuorum Corpora aſſumuntur. &c.* Hactenùs ibì.

Mareolẽſis Cœnobÿ priuilegiũ.

Altaria & Poſſeſſiones.

Haleces.

Libertates.

Sacella qui ædificanda.

Ius Sepulturæ.

Eodem Martino ſedente ex anniuerſarijs defunctorum, quos ſibi beneficos Mareolenſis Eccleſia experta fuerat, Religioſorum conuictui prouiſum fuit, vt ſequitur, punctatìm ex vetere MS. deſumpto ſtylo: *Hÿ ſunt obitus, in quibus Dominus Martinus Abbas, conſenſu totius Capituli ſui plenariam refectionem piſcium & vini Fratribus conſtituit: videlicet magiſtri Gilleni, Domini Balduini Abbatis noſtri: Mariæ* DE VIMMY; *Aluiſi Epiſcopi; Ioannis* HVKEDEV; *Agathæ, Matris Abbatis Martini, & Adæ Patris eius: Hugonis* DE ARMENTIERS; *Stephani Presbyteri* DE BERNEVILLE; *Matthæi Decani; Andreæ & Godeſcalci Epiſcoporum, Albrici Sacerdotis, VVillelmi de Capella; Herberti* FIKET. *De dono Balduini* DE

Obitus quorumdam in eodem Monaſterio celebrandi.

BOVVENIES, in Festo omnium Sanctorum & sequenti die, & in Natali Domini habemus pisces & vinum. Ex dono Rogeri Præpositi, in Festo S. Bertiliæ similiter pisces & vinum; quæ refectio post eius mortem, in eius fiet obitu. In Festo S. Amandi pisces & vinum. In Annunciatione Dominicâ pisces & vinum. In Pascha pisces & vinum. In Ascensione, pisces & vinum. In Pentecoste, pisces & vinum. In Festo S. Ioannis Baptistæ, pisces & vinum. In Festo SS. Petri & Pauli, pisces & vinum. In Assumptione & Natiuitate Beatæ Mariæ, pisces & vinum. In Festo S. Augustini, pisces & vinum. Item Balduinus DE BOVVENIES *dat nobis sex mencoldos auenæ, in horreo nostro accipiendos, pro refectione Fratrum in piscibus & vino, in Festo Sanctorum Iacobi & Christophori. Post obitum eius hæc refectio erit in eius obitu. Ex dono Sasguualonis* HVKEDEN, *in Festo SSS. Trinitatis habemus vinum & pisces, quæ refectio post eius mortem in eius fiet obitu. Ex dono Gerardi Sacerdotis de Ablain, habemus in Festo Sancti Martini vinum & pisces; quam refectionem prouidebunt Fratres* DE SOMCAMP. *Ex dono Arnulphi Sacerdotis de Capellâ, habemus vinum & pisces in Festo Sancti Nicolai. Ex dono Adonis quatuor refectiones habemus vini & piscium; primam in anniuersario ipsius; secundam Patris eiusdem Sasguualonis; tertiam Matris Sanctæ; quartam vxoris Mariæ.* Hactenùs ibi.

Vsus piscium & vini.

Hæretici Atrebatî cremantur.

Atrebati, alijsque in locis quidam hæretici deprehensi, atque quæstione habitâ conuicti, ignibus cremantur.

CHRISTI AN. 1184. *Diuortiũ Philippi Regis & Elizabethæ.*

LVCII 3. PAPÆ AN. 4.

ANNO 1184. Philippus Rex, durante atque inualescente immeritâ in Elsatium, Elizabethæ Reginæ Auunculum simultate, cogitato diuortio, socialem thalamum dehonestat. Quam maritalis imprudentiæ labem (iuuenis nempè iuuenum consilio aurem præbuerat faciliorem) prudens Elizabetha pietate condiens, Siluanecti tolerat: donec adunato iterùm thoro connubij leges ambo recepere, & tenerrimi amoris glutino coaluere. Hinc spe pacis stimulante, itur Rotomagum, Henrico Anglorum Rege, & Balduino Hannonio rem vtrimque curantibus. Verùm non æquæ Galli leges, omne pacis speratum abrupêre. Indè tamen Induciæ vel quartùm intercesserunt.

Elizabetha Siluanectum diuertit.

Reuocatur.

Induciæ inter Regem & Elsatiũ.

Philippus Comes stantibus Inducijs, honestam Legationem ad Iberos transmittit, ac Macthildem, Hidelphonsi, Lusitanorum Regis Filiam sibi vxorem deposcit & impetrat. Eas nuptias Henricus Angliæ Rex, Elsatij Conso-

brinus æstimatur conciliasse. Auri argentique, omnisque generis opulentiæ plurimum Macthildem secum in Flandriam comportasse scriptores testantur. Elsatius mense Augusto Brugæ Regiâ magnificentiâ nuptias celebrauit. *Iperius Meyerus, &c.*

Elsatius thalamũ instaurat cum Macthilde Lusitanâ.

Philippus Rex, Parisiensis opidi Senatores, seu Scabinos, instituit; pomœrium admodùm dilatat, & muris circumuallat *; Vincennensem syluam, alendis feris, ducto vallo adparat; Iudæos, quos in Regno reperit, partìm igni consumit, partìm Gallijs eliminat. *Vide infrà ad annum 1425.*

*Vide infrà ad an. 1357.

Philippus Rex Lutetiæ Magistratum instituit; Vrbem dilatat. &c.

Martinus, 44. Vedastini Cœnobij Antistes, 29. annis eâ in dignitate completis, senio & infirmitate grauis, onus dimittit; succenturiante Henrico, qui vix quinque mensibus imperauit. Obijt Romæ, atque ibidem in Constantini Baptisterio primùm sepelitur, indè transfertur Cluniacum. Illum secutus est Ioannes, 46. Vedastinorum Abbas, charitatis laude clarus, cuique ideò (habet eius loci Chronicon) infirmorum demandata erat cura, priusquàm Abbas inauguraretur. Is etiam à Summo Pontifice aliquot obtinuit diplomata, quibus pleraque confirmat, atque inter cætera, vsum Tunicæ & Dalmaticæ, eum ornatum vsu Pastoralis annuli augens.

Tunica, Dalmatica, & Annuli vsus Vedastinis conceditur.

Silua-Ducis in Brabantiæ Campiniæ vrbs primaria, ab Godefrido Duce construitur; vndè tritum illud Chronographicum:

GodefrIdVs dVX è sILVa feCIt opIdVM.

I.B. Grammayus in Taxandriâ c.2.

VRBANI TERTII PAPÆ AN. 1.

CHRISTI AN. 1185. ANNO 1185. Balduinus Hannoniæ Comes, Gallorum precibus sæpè pulsatus, fœdus cum Rege genero suo ferit contra Elsatium. Quod vt intellexit Elsatius, incredibile quantum ferro & igni Hannonia vapularit; donec interuenientes postliminiò Induciæ feruentem Elsatij animum, velut affusis aquis, nonnihil mitigauerunt.

Inter Elsatium & Hannonium Sororium inimicitiæ.

Pyratę, numero 80. Philippi Comitis iussu (quòd Macthildi, è Lusitaniâ ad Flandros velificâti, opes non paucas extorsissent) fixis in Oceâni conspectu patibulis, indignantibus quâquam Gallis, infami supplicio moriuntur. *Oudegherstius.*

Pyratarum supplicium.

VRBAN. 3. PAPÆ AN. 2.

CHRISTI AN. 1186. ANNO 1186. Recrudescunt inimicitiæ inter Gallum & Elsatium; & coactis vtrimque copijs, Elsatius Flammiuomum Draconem mirè ac superbè fabricatum, medijs

Eædem inimicitiæ refricrauescunt inter Gallũ & Flandrũ.

in Castris pro militari vexillo circumtulit. Quid tandem? Principum iras atque simultates innocens populus vt satis luit, pax tandem terminauit.

Draco Flammiuomus.

Pax inter vtrũque.

Elsatius, Vrbano tertio Pont. Max. ex opido Mediolanensi (quod Saraceni obsidio vallabant) in Romanam Sedem restituto: parte Crucis Dominicæ ab ipso Pontifice donatur; quo pignore, Ariensem Sancti Petri Ecclesiam, in quam intimè erat affectus, * locupletat. Insuper ibidem decem Canonicorum præbendas, vt vocant, tonsuræ simplicis instituit, quas Decemuirorum Canonias appellitant: item alteras sex simplicis itidem tonsuræ, à LOVVREDRACH nomen mutuantes; quarum quidem collatio penes eius Ecclesiæ Præpositum manet. Contulit denique idem Princeps alias sex præbendas Sacerdotales; de quarum collatione, ita in Decretalibus lib.2.tit.20.c.40.

Ariensis Ecclesia Sacerdotia.

* Vide ad an. 1174.

An Præpositi sit conferre.

INNOCENTIVS * TERTIVS, ATREBATENSI EPISCOPO ET DEDIMENSI, ET VRSICAMPI ABBATIBVS.

* Sedere cœpit an 1198. & Decretales compilauit.

Dilecto Filio Ariensi Præposito nobis innotuit, exponente, quòd cùm caussam quæ inter ipsum & Comitissam Flandrensem, super donatione sex præbendarum Sacerdotalium agitatur; vobis Episcope ac Abbas Dedimensis & Atrebatensi Decano duximus committendam; idem Præpositus citra litis contestationem propósuit, quòd testimonium Decani necessarium erat sibi in caussâ prædictâ, cum de iure suo, non nisi per ipsum & alium vniculum tantùm testem, fidem facere posset: vnde postulauit vt in caussâ ipsâ pro eo procederetur excluso, vel supersederetur in negotio, quousque substitueremus alium in loco eius. Vos autem petitionem eius admittere recusastis; quin immò post appellationem à præbendarum ipsarum donatione, suspendistis eundem. Ne igitur ob testis defectum, eius iustitia valeat deperire, te Abbas Vrsicampi, loco ipsius duximus subrogandum, mandantes, quatenùs, si est ita, suspensione Præpositi relaxatâ, in caussâ, iuxta prioris mandati tenorem, ratione præuiâ procedatis.* Hactenùs ibi; cætera ex Ludouico Bresinio. Vide ad ann. 676. 1055. & 1174.

Littera Pontificia.

* Mactbildem intelligit, quæ ab Elsatij morte. vixit Flãdriæ vsufructuaria ann.27.

Cæterùm priuilegio isti aliud accessit, Breuiarij, officijque proprij vsus; quùm Cathedralibus Ecclesijs (Monachorum enim excipio) nec tamen omnibus id honoris ferè seruatum sit, quarum Filiæ seu Collegiales illæ, seu Parœciales, & ex ordine cæteræ, imitentur officij diurni pensum,

Officium illi cum Breuiario proprium.

sum. Interim non hæc Sancti-Petri, & typis etiam vulgandi auctoritatem affuisse, eccum Canonicorum Apographum:

Ne Venerabilium turba Sacerdotum celebratissimi Collegij, famatissimæ Ecclesiæ Diui Petri, in Aria Morinensis Diœcesis, suo frustraretur voto, quod quidem naturale sapientes censent, OMNIA BONVM APPETERE: *Nos Præpositus, Decanus, & Capitulum dictæ Ecclesiæ, cupientes id muneris præfatis Sacerdotibus relinquere, ad laudem & gloriam Summæ & Indiuiduæ Trinitatis, ac Matris intemeratæ Domini nostri Iesu Christi, Apostolorum quoque Principis Petri, prælibatæ Ecclesiæ, seu Collegij & vrbis Ariensis, singularis Patroni atque Protectoris, hoc præsens Breuiarium suprà dictæ Ecclesiæ, summâ cum diligentiâ & solertiâ, partibus suis in omnibus, tam in Psalmis, Legendis, Responsorijs, quàm etiam regulis, singulisque quibus opus erat, multâ lucubratione doctissimorum, ab omnibus mendis abstergere fecimus, illudque postmodùm calcographica arte, in multa volumina transfundendum curauimus, Anno ab Incarnati Saluatoris nostri Iesu Christi Natiuitate* CIↃ. CCCCC. XIV. *Die Octobris.* Atque de Ariensi Ecclesiâ hactenùs

Desiderius Episcopus Morinensis, VVillelmo, Remorum Archiflamine, S.R.E. Cardinale & Apostolicæ Sedis Legato, annuente, Monasterium S. Columbæ in Blendecqua iuxta Audomaropolim exædificat, moxque aduocatis Cisterciensis Ordinis Virginibus incolendum tradit: quibus dotandis ditandisque Dominus Balduinus *de Fraye*, Morinensis Ecclesiæ Canonicus, Personatum (vt vocant) contulit, quem in dicta Blendecqua possidebat. Antistitarum quæ hac ætate præfuerunt, sola hæc supersunt cognomina: *Monasterium de Blendecque fundatur.*

N. *du Magny*,
N. *du Tailly*,
N. *de France*,
N. *de Blondel*, &c.

Quæ verò hodiè principatur, Franciscæ *de Hermines* portat nomen; eique Ariæ contigit feliciter nasci, quam alma salus sospitet: nempè ei debemus, quæ de Blendecqua vides, ô Lector. Addo hîc ab olim B. Virginis Icunculam, cui ab lætitiâ cognomen*, varijs signis inclaruisse, & in hanc tempestatem perennasse.

* Gal. S. Druon.
* Est hodiè Principatus.

Beatus Drogo* Artesius, ex villa ESPINOY*, parenti- *S. Drogo Artesiensis.*

bus nobilibus & diuitibus oriundus, plenus meritis, ex hac vitâ, in Beatorum consortium euolat. Eius sic meminit Molanus in Natalibus: *Natus est in villa*, ESPINOY *dicta, ex parentibus nobilibus & diuitibus, sed posthumus puer & Cæsar. Quùm nundùm natus, Patrem amisisset, inter diros parturientis matris dolores, consilio obstetricum, per maternum latus est eiectus sicque natus est vtroque parente orbatus. Quod quùm decennis intelligeret, sæpiùs contristabatur, recogitans se, Maternæ necis occasionem esse. Ad pubertatis autem annos perueniens, cum Abraham peregrinari elegit, & ad villam* SEBOVRCH, *in finibus Hannoniæ sitam peruenit, vbi circiter sex annis gregem Deo deuotæ Matronæ Elizabeth* LA HAIRE *pauit, omnium animum suâ simplicitate & morum bonitate ad se trahens. Quùm verò ad virilem peruenisset ætatem, ad limina Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, atque ad alia famosa loca peregrinatum abijt. Tandem fatigationibus oppressus, ruptisque ventris pellibus, iuxta Ecclesiam* DE SEBOVRCH, *Cellulam construi curauit, in quâ reclusus, solo pane hordeaceo, & aquâ alebatur. Accidit partem Ecclesiæ, eiusque Cellulam, flagrante igne, absumi, quùmque euocaretur, remansit flexis genibus, se Dei voluntati committens: & ignis nihil mali ei intulit. Vndè plebs deuota mox aliam Cellulam viro Dei ædificabat. Quùm autem annis ferè quadraginta quinque, in ea reclusione fuisset, multæ sanctitatis & patientiæ exemplar, in senectute bonâ, bonorum suorum præmia recepturus, migrauit è corpore, anno 1186.* Et paulò pòst: *Claruit infinitis propè miraculis, sanando potissimùm arenosos, calculosos, & quorum interiora, ruptis ventris pellibus, ad inferiora descenderant.* Hactenùs Molanus, 14. Iunij. Est autem ESPINOY, Latinè spinetum, celebris Artesiæ pagus, Principatus titulo decorus, in quo Sacellum honoribus Sanctorum Drogonis & Petri à Luccemburgo sacrum, eoque in solo erectum, quod eidem Drogoni dicitur hæreditarium fuisse, & in quo, cæso Matris vtero, prodijt in lucem; vbi Festum eius celebratur secundâ Iulij.

Eius partus funestus. *Peregrinatur.* *In Hannonia Cellulam figit.* *Miraculum.* *Moritur.* *Claret miraculis.* *Eius locus Natalitius, Espinoy, hodiè Principatus.* *D. Petrus Luccemburgius.*

Hugo, Oisij Regulus, atque Arcis Cameracensis Præfectus, pernicioso quorumdam persuasus consilio, Petrum Atrebatensem Episcopum, Cameracensi in viâ obuium, annulo Pontificio, atque equo spoliat, caussatus, ex primo Pontificis in Cameracense opidum ingressu, ea sui iuris esse. Quæ tamen postmodùm, facti pœnitens restituit, atque

Hugo Oisiacẽsis Episcopo nostro iniurius.

in Val-

in Vallecellensi Monasterio, adstantibus vtriusque Ordinis proceribus non paucis, eiusmodi exactioni nuntium perpetuum misit. *Ex Monn. MSS. Andreæ Herby Can. Atreb. Vide ad annum 1157.* *Culpam agnoscit.*

Ioanne 46. Vedastinorum Abbate ex hac vitâ erepto, alter cognominis Ioannes, fungendis iisdem muneribus, opportunus velut successor nominatur. De illo sic Chronicon: *Ioannes Vigilariam apud nos primam agens, fama nominis exteros perpulit, vt eum sibi Abbatem excirent. Ita Haynocurtensis factus Abbas. Sed eum, destituti Pastore, ereptum sibi, dolentes nostri, postliminiò sibi, accinere, reuersumque primariâ auxere dignitate, anno 1186. Hunc multi petiere controuersys, eo tamen ferè exitu, vt in compositionem, communi sententia, partes venirent. Excitatum incendium maiores intulit molestias: cum maxima enim ciuitatis parte, Monasterium communibus inuolutum flammis, an. 1189. (quibusquam anno 1188.) decima quinta Septembris. Maxima tamen indè Ioannis est laus, quòd anno circiter, quo superfuit infortunio, Templum egregiè instaurarit, indignus qui mortem tam citò oppeteret, quùm necdum quartus ab initâ dignitate esset exactus. Cùm incisa tenerè vena, aut ea fortuitò rupta, tanta pertinacia, quicquid latebat sanguinis effluxit, vt eo destitutum Corpus, in quo vitalis animæ sedes esse censetur, anima id gelidum aspernata refugerit.* Hæc ibi.

Ioannes Vedastinus Monachus, fit Abbas Haynacurtensis. Postmodùm Vedastinus. Templũ Vedastinum instaurauit. Vena aperiendæ ad cautelam exemplum.

Hugo Campauenensis, Fani Sancti Pauli Comes, Blangiacensi Asceterio possessiones restituit, quas à maioribus suis temerè vsurpatas acceperat. Quod factum, ratum fixumque habuerunt Gualterus anno 1209. Guido, Gallorum Regi à poculis, anno 1316. alijque eiusdem tractus Comites. *Blangiacensi Monasterio bona restituuntur.*

CHRISTI AN. 1187.

ANNO 1187. VIII. Idus Aprileis, Caput Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Henniacensis inchoatur, Lanuuino V. Abbate prima fundamina iaciente. GREGORII OCTAVI PAPÆ AN. I. *Ecclesia Henniacensis.*

Octauo Idus Septembris, Ludouicus, Gallorum hoc nomine octauus Rex, & Sancti Ludouici, atque Roberti primi Artesiæ Comitis Pater futurus, Parisijs feliciter nascitur. *Tilletius.* *Natalis Ludouici 8. Gall. Regis.*

Leprosi Henniacenses à Summo Põtifice potestatem accipiunt construendi sibi Oratorium, & Sacellanum, quem vellent, constituendi. Reclamante Lanuuino & Fratribus appellatum est ad ipsum Pontificem. Is Petrum Episco-

pum

Hierocomij Henniacensis Oratorium.

pum Atrebatensem,& Abbatem Sancti Vedasti iussit hanc litem dirimere; quibus Iudicibus sic tandem conuentum est, vt Oratorium construerent Leprosi; sed Capellanum institueret Abbas, quemcunque vellet ex suis Canonicis. Sic dictum mense Octobri, anno 1187. *Balduinus de Glen Abbas Henniacensis Tract. MS. de eiusdem loci Abbatibus, eodem ferè stylo.*

Simon Abbas S. Bertini Praefecturam resignat.

Ioannes S. Bertini Abbas.

Simon 45. Bertinici Cœnobij Antistes, quadrimi circuitus febri, quam Saturni filiam dixit antiquitas, vulgò quartanam vocamus, quatuor ampliùs ante obitum annos correptus, atque labentibus simul moribus inutilis, Ascetarum adhortatu, sarcinam deponat, aliàs vel inuitus facturus: tandem prouentu annuo non illiberaliter sibi reseruato, Ioannem Iprensem, Lobiensis Cænobij insignem Monachum, ex consensione singulorum substituit successorem quem eodem anno Desiderius Morinorum Episcopus, die translationi Sancti Benedicti festo consecrauit. Præfuit Ioannes magnâ cum laude, annos tres & quadraginta. *Iperius.*

Collegiū Canonicorum S. Saluatoris in Opido S. Pauli.

Eâdem tempestate Canonicis Fani Sancti Pauli, Decanus ab Desiderio Episcopo præficitur, aliaque ordinantur, vt ex his eius litteris patet:

DESIDERIVS, DEI GRATIA, MORINENSIS EPISCOPVS, OMNIBVS CHRISTI FIDELIBVS, AD QVOS LITTERÆ ISTÆ PERVENERINT, SALVTEM IN EO, SINE QVO NON EST SALVS.

Eorundē quædam Altaria, quibus assignata.

Vniuersitati vestræ liqueat, quòd quùm venerabilis & dilectus noster T. Ambianensis Episcopus, accepisset in mandatis à felicis memoriæ Vrbano Papâ, vt ad Ecclesiam Sancti Saluatoris in Castro Sancti Pauli accederet, & ea quæ in eadem Ecclesia minùs ordinata deprehenderet, ad honorem Dei corrigeret, & in melius mutaret, nec non & contentionem Canonicorum illius loci inter Mansionarios & foraneos ortam, diligentiùs sedare studeret, nos secum sollicitudinis huius participem dignatus est aduocare. Quod quùm factum esset, ordinauimus ibi quod ad cultum Dei ibidem considerauimus statuendum beneficium vniuersum, quod de Altari de Aurea-villa & DE FREVENS* in Diœcesi Ambianensi institutis, & de Altari DE VVACHIN percipiunt in Diœcesi Atrebatensi, eis qui nocturnis & diurnis officijs assidui essent, cotti-*

* Gal. Orville. al Orreauille.

* Est opidulum Comitat* S. Pauli.

dianis

diani esse stipendijs erogandum: residuum verò beneficiorum, omnibus Canonicis, aequalibus portionibus conferretur. Et vt ordo Ecclesiae illius, & statuta nostra meliùs seruarentur, Decanum eis assignauimus, taxatâ solicitudini illius, de Ecclesiae beneficijs certâ portione, &c. Decan.

Philippus Rex, Tornacum venit, primusque omnium Francorum Regum, Tornacenses in suam tutelam accipit & patrocinium. *Meyerus.* Tornacẽses in tutelâ Regi Gall.

CHRISTI AN. 1188. ANNO 1188. Bello inter Francos & Anglos ardente, Richardus Angliae Regis Filius, terminandis controuersijs Francorum Regem ad singulare certamen quùm prouocasset: Elsatius, vt se Comitem Regni, eiusque ac Regis propugnatorem facto testaretur, suum ipse corpus pro Rege obiecit, inque arenam duelli generosissimè descendit, detrectante tum duellum Anglo; qui quidem meritò pro victo haberi debebat, si Iurisconsultorum sententiae obtemperatum fuisset. *Meyerus.* CLEMENTIS TERTII PAPAE AN. 1. Inimicitiae inter Gall. & Ang. Reges. Duellum finiendis ijs prapositum.

Ingens ad sacram militiam in Galliâ, Belgicâ, alibì fit apparatus. Belgarum primus signa sustulit Iacobus Auesnensis, septem armatorum millibus stipatus, quem magnis copijs statim secuti Dani, Frisij, Hollandi, Flandri, &c. *Idem.* Elsatij fides & virtus. Apparatus ad sacram militiam.

Mareolenses Ascetae possessionum suarum confirmationem ab Clemente Pont. Max. impetrant, vt ex eius litteris patet, datis Romae 11. Id. Febr. Pontificatus eius anno primo. In ijs ita lego: *Decimas* DE HERLIES, DE VVARLVISEL, DE VVENDIN, *&* DE NIGELLA, *& terragium etiam eius loci, quod à B. de Hinniaco emptionis titulo adquisistis, & sextam partem decimae* DE MERICOVRT, *sicut ea quae legitimis estis titulis assecuti, & iustè ac sine controuersiâ possidetis; vobis, praesentibus litteris confirmamus.* Mareolensis Monasterij bona confirmantur.

Hâc ipsâ tempestate, magna coaluit societas, inter dicti Coenobij, & Sancti Amandi in Eluone, Sancti VVinoci in Bergis, & Sancti Ioannis Baptistae Chocquensis Antistites & Monachos; vt ex vet. Monn. MSS. colligitur.

Beatus Eligius, vetus ille Flandrorum Apostolus eodem temporis & horae articulo, duobus Fabris Ferrarijs, vni Bethuniae, alteri Bebriaci (inter quae interuallum est passuum ampliùs mille) sub noctem apparet, & vt Cereum illum toto Belgio memoratissimum (qui etiamnùm visitur, pompis solemnibus circumfertur, ad* Apparitio S. Eligij. Cereus Bethuniensis prodigiosus.

* Gal. Beuury.

 sacra

Sodalitas charitatis apud Bethunienses.

sacra accenditur, neque vllâ tamen sui parte deperire perhibetur) formarent, commonefacit. Quam rem quùm diligentissimâ inquisitione cognouisset ROGON, *ad Diui Praiecti, in suburbijs occiduis Bethuniensibus Prior, singulari vitæ sanctimoniâ præditus, auctor fit, vt sodalitas quædam, velut* ETAREIA KAI PHRATRIA, *Charitatis & Christianæ in defunctos pietatis institueretur; ad cuius legitimam & politicam administrationem, quotannis* XXI. *ex honestissimo Ciuium ordine deliguntur, qui communibus suffragijs Præpositum & quatuor viros creant, quos maiores nominant, qui se duces præbeant, & cæteros pro suâ auctoritate, sese subsequi cogant, in ædium mortualium penetralia; indè cadauera exportare, & sandapila ad sepulturam efferre, quocunque morbi genere, etiam pestilenti extincta, modò in Sodalitatem nomina dederint, & intra statos opidi limites mortui deprehendantur. Et annis propè ab hinc quadringentis* [*] *vsu & longinqui temporis periclitatione est compertum, nihil vnquam contagionis ex adfectis Corporibus contraxisse eos, qui tam pium Christianæ charitatis munus exercerent.* Andreas Hoyus in Bethuniensis opidi descriptione, ijsdem verbis.

Est ea miraculosa.

[*] hodie 422.

Prioratus S. Praiecti iuxta Bethuniam.

Porrò dictus Sancti Præiecti (vulgò S. PRY) Prioratus, tùm pendebat ab illo Sancti Petri, in Abba-villâ, Picardiæ opido. Verùm temporis lapsu, commutatione factâ cum Bertinensibus, qui TOVRBESSEN & BEVVREGHEN Prioratus suos, in agro Bononiensi sitos, Petrensibus cesserunt, is Sancti Præiecti Bertinensium iurisdictioni accessit. *Ex litteris D. Antonij Denys Artesiensis Cameræ hodiè Consiliarij.*

Translatio Corporis Sancti Ranulphi Martyris. *Vide suprà ad annum 710.*

CHRISTI AN. 1189. Elizabetha Gall. Regina, Artesiæ Domina, ex partu moritur.

CLEM. 3. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1189. Elizabetha, Philippi Augusti, Gallorum Regis Coniunx, primaque Artesiæ Domina, quùm Parisijs geminos enixa esset, partus doloribus extinguitur. Iacet in Cathedrali Beatæ Virginis Basilicâ, structo ad id Sacello nouo, & Sacerdotijs duobus ex Regali censu inibì constitutis, ad Sacrificium pro eius requie iugiter offerendum. Eius manes sic prosecuti sumus:

Vt Baptisma tuos, Isabella, sacrauit amores,
Atque Dionysi Regina ad Templa vocaris,
Præsule Guidone; exultìm tua Gallia gestit,
Et læto Artesij plaudunt sub murmure campi.

Ast

Ast auulsus ager quùm Flandris tollitur, & te
Denatam agnouit Lutetia, Lilia pallent
Aurea, Pleumosiosque infecit lachryma voltus.

CHRONICON.

Gen. 2. *SI Ita tIbI fVtVrVM erat, qVId neCesse fVIt*
tIbI thorVs, ELIzabetha?

LVDOVICVS GALLORVM REX SECVNDVS ARTESIÆ DOMINVS.

CHRISTI AN. 1189. ANNO 1189. LVDOVICVS, Philippi Augusti, & Elizabethæ Filius, defunctâ Matre, vix trimus, Artesiæ Dominus agnoscitur eo sexu primus. Ceterùm ne nescias, Lector, Paulus Æmilius, & qui eum secuti, Guicciardinus, Iperius, Gerardus Haillanus, alij, Ludouicum hunc, primum Artesiæ Comitem faciunt. Æmilij, libro sexto de gestis Francorum, in Philippo Augusto Rege, sunt verba: *Hæc Regio, Comitatus institutus est, Atrebatiumque Comitatus dictus; ac primus Atrebatium Comes creatus Ludouicus Regis* * *Filius.* &c. Sic ille. Verùm quibus adductus auctoribus, aut rationibus ita scripserit, nisi aut temporis anticipatio, aut titulorum Domini & Comitis confusio, vel fortè Catachresis intercedant, ingenuè fateor, nescio: scio autem quid communior & firmior habeat sensus. *Vide infrà ad annum 1237.* CLEM. 3. PAPÆ AN. 2. *An hic Ludouicus fuerit prim* *Artesiæ Comes; an solum Domin*.*

* *sc. Philippi Augusti.*

Atrebatum simul cum Beati Vedasti Monasterio, grande, luctuosumque incendium perpetitur: in quo Ioannis Abbatis reluxit solertia, qui mox, quasi imminentis obitus sui præscius, Templum Vedastinum egregio opere instaurauit. *Meyerus, Georgius ab Tempsecâ Brugensis, Chronic. Vedastin.* *Atrebatiũ, & B. Vedasti Monasterium incẽdũtur. Vedastinum Templum instauratur.*

Philippo Elsatio, quià esset Princeps Alostanus, Ecclesiæ Cameracensis tutela & patrocinium defertur; ipsique eo nomine certus numerus frumenti, in singulos annos attribuitur. *Meyerus.* *Elsatius tutor Ecclesiæ Cameracensis.*

CHRISTI AN. 1190. ANNO 1190. Elsatius, Flandriæ Comes, paratis Gandaui, quæ ad sacrum bellum erant necessaria, Machthildi vxori Principatus gubernationem tradit, & pulchro cinctus milite, pergit in Germaniam, Italiam, Siciliam, ac CLEM. 3. PAPÆ AN. 4. *Ad sacrũ bellũ proficiscitur.*

Eius de Rege Albaniæ victoria.

tandem in Syriam appellit: vbi castra in barbaros mouens, Nobilionem Albaniæ Regem & Mahumetanæ legis sectatorem, propriâ manu interfecit. Is porrò Nobilio in Luteo scuto Leonem nigrum, pedibus anterioribus in dextrum scuti angulum insurgentem præferebat: quibus ex hoste cæso raptis insignibus Elsatius, veteribus Saltuariorum Flandriæ * obliteratis, deinceps est vsus, atque ad Successores Flandriæ Comites, eadem transmisit. *Heuterus.*

Noua Flandriæ insignia.

*Vide supra ad an. 792.

Hugo Comes & Xenodochium Fani S. Pauli.

Fuit eâ in expeditione Hugo Anselmi Campauenensis Filius, Fani Sancti Pauli Comes, qui priùs ac iter arriperet, plurimas possessiones Xenodochio eiusdem opidi attribuit, ratasque cum Iolende Coniuge eas omnes habuit, quas maiores sui eidem loco concesserant.

Ioannes 47. Abbas Vedast. moritur.

Ioannes 47. Vedastinorum Antistes morte corripitur, illi alter Ioannes, cognomine *de Haymonquesnoy*, successit, qui difficili licet tempore, tamen prudenter Monasterij curam obiuit,

CHRISTI AN. 1191.

CÆLESTINI TERTII PAPÆ AN. I.

Philipp⁹ Elsatius moritur.

Familiaris fuit S. Bernardo.

ANNO 1191. Philippus Elsatius, in expeditione transmarinâ, obsessâ Ptolemaide, siue Acrâ, ciuitate Syriæ, quæ paulò pòst à Christianis expugnata est, postquàm Flandriæ annos 24. præfuisset, peste extinguitur; ibidemque in suburbio, & Cœmiterio Sancti Nicolai sepelitur, donec ab Mathilde vxore, ad Clareuallense Burgundię in Lingonensibus Cœnobium (ob Sancti Bernardi Philippo familiaris memoriam) transmoueretur. *Bersacius, Iperius, Marchantius.* Is Philippus Princeps anno superiore, pro obitu suo (vt loquuntur Ecclesiæ Atrebatensis monumenta) suarumque vxorum celebrando, quicquid possidebat in districtu Episcopi Atrebatensis, in Eleemosynam contulit Episcopo Atrebatensi.

Eius in Ecclesiā Atreb. liberalitas.

Margareta Elsatia, Philippi Soror, fit Flandriæ Comes.

Margareta Elsatia, Hannoniæ Comes, defuncti Philippi Fratris propinquitate atque testamento, eius sexus prima Flandriam adipiscitur, seruatis interim ijs Mathildi vsufructuariæ, quæ ab Philippo marito erant attributa. Ea enim Balduinus Margaretæ Coniux, reclamante licet vxore, noluit attingere. *Marchantius, Chronicon Aquicinct. &c.*

Desideri⁹ Morinēsem abdicat Præfecturā, Lamberto succēturiante

Desiderius, Morinorum Episcopus, ob decrepitam ætatem curâ solicitudineque pastorali soluitur, & Lambertus, patriâ Brugensis, Remorum Cancellarius, Teruan-

nensium Episcopus acclamatur. *Democharès.*

Ioannes Decanus Atrebatensis, in Pontificem Cameracensem assumitur. *Chron Aquicinct.*

Ioannes Montis Eligiani 8. Antistes, modico temporè, curâ Lugdunensis Cathedræ, quàm ob præclaras, quibus eminebat, animi dotes, Summus Pontifex ei concredide-rat, toleratâ, è viuis tollitur; & exindè duos totos annos vacat Sedes Eligiana.

Martinus Mareolani Cœnobij secundus Abbas, itidem moritur. Is Monasterij Ecclesiam, quam penè totam à fundamentis excitarat, hoc ipso anno, à Petro Atrebatium Episcopo dedicatam quùm vidisset, duodecim indè diebus euolutis, sc. IV. Nonas Iulij, mortem, sicut paulò antè optauerat; oppetiuit. In cuius defuncti locum VValterus suffectus est, atque ab eodem Petro sacratus, decem per annos imperauit, diutiùs regnaturus, si facilem polyporum quorundam lenocinijs aurem non accommodasset. Quo factum vt ab ipso Petro Sede exauctoratus, rerum istarum immunis, quinquennium adusque mortem traduxerit. *Ex vetere Codice MS. eius loci.*

Ioannes Decanus Atreb. fit Episcop. Camerac.

Ioannes Montis Eligij Abbas fit Lugdunensis Episcopus.

Ecclesia Cœnobij Mareolensis cõstruitur & consecratur.

Assentatores malæ turba.

CHRISTI AN. 1192. ANNO 1192. Philippus Augustus Rex, Oriente non sine vitæ discrimine lustrato, Occiduum Galliarum Regnum reuisit. Audiamus Iperium: *Rex Franciæ* (inquit) *lecto decumbens, postquàm conualuit, vt æmulorum dolos euitet, repatriare disposuit. Mandauerat enim ei Philippus, Flandriæ Comes, antequàm moreretur, vt Rex se saluaret, quia in eius necem coniuratio facta fuit. Rex igitur Francorum Ducem Burgundiæ, loco sui, super exercitum suum constituens, & Baronibus valedicens, abscessit; Romæque Papâ salutato, in Franciam reuersus est circa Natale Domini* CIↃ. C. XCII. Hactenùs ille. Meyerus id refert ad ann. 1191.

CALIS. 3. PAPÆ AN. 2.

Philipp. August. ex Oriẽte in Gallias reuertitur.

Lanuuinus quintus Henniacensis Monasterij Antistes, fato correptus, in Sanctæ Mariæ Sacello tumulatur, eiusque in locum assumitur Simon; qui Aroasiensis simul & istius continuit Præfecturæ dignitatem, doctrinâ eloquentiâque clarus.

Simon Henniacensis & Aroasiẽsis Cœnobiorũ Abbas.

Per hæc tempora, Gandauenses Leonem argenteum, coronâ aureâ redimitum, atro scuto adsurgentem pro insignibus sumunt; dimissis ijs, quæ hodiè eorum Procomites gerunt: scutum nempè pullum sursum, seu in capite argen-

Insignia Gandauensium & eorũ Procomitum.

to discriminatum. *Oudegherstius.*

Castellania Cameracensis. Arces Oisiacensis & Hauricbortia. Balduinus Hannoniæ Comes Peronam fide publicâ accedit ad Regem Philippum, quo cum, solidâ pace initâ, in eius verba iurauit, deque Castellaniâ, vt vocant, Cameracensi, Castellis Oisiaco & Haurichorte, Ioanni Cameracensi Episcopo præstitit iuramentum: *Meyerus ijsdem ferè verbis.*

CHRISTI AN. 1193. *Philippi Regis secunda nuptiæ. Iis perperam irritatis, tertiæ tentantur.* ANNO 1193. Philippus Rex Ambiani nuptialem thalamum instaurat cum Ingelburgâ, Danorum Regis Filiâ, in præuigilio Assumptæ Deiparæ, eaque postridiè coronata est, adstantibus Gulielmo Remorum, Petro Atrebatensium, Ioanne Cameracensium, Theobaldo Ambianorum, Lamberto Morinorum, ac Stephano Tornacensium Episcopis. Hanc tamen Rex, breui post tempore, falsâ iuratâ cognatione repudiauit, atque Mariam Morauiensem superinduxit. Chronographus Aquicinctinus de eiusmodi repudio sic disserit: *Octogesimo & secundo die post has nuptias, quorundam consilio, apud Compendium, Rex cum suis Archiepiscopis, Episcopis, & Baronibus colloquium habuit. Ibi quidam consurgentes, consanguinitatem inter primam Reginam & secundam iurauerunt. Quo iuramento Rex accepto, absque vllâ dilatione & consilio dimisit eam.* Sic ille: vide infrà ad annum 1200. & 1201. CAELES. 3. PAPÆ AN. 3.

B. Richardus Aquicinctinus. *Richardus, Beatæ memoriæ Conuersus Aquicinctensis, moritur, & in Monasterio sepelitur. Huius viri mira fuit cibi & potus abstinentia, lectus nullus aut durus, vestis abiecta, compassio erga pauperes & Monachos claustrales eximia.* Idem ijsdem verbis.

Gregorius in nonum Eligiani Montis Abbatem assumitur, nec ampliùs biennio partâ gaudet dignitate.

CHRISTI AN. 1194. *Margareta Elsatia Flādriæ Comes moritur.* ANNO 1194. Margareta Elsatia, Flandriæ & Hannoniæ Comes, vitæ nuntium mittit, atque Brugis in Sancti Donatiani, vbi tria Sacerdotia fundauerat, sepulturæ mandatur. Appensa ad eius Cenotaphium tabella sic habet: CAELES. 3. PAPÆ AN. 4.

HÆC FVIT MARGARETA, VXOR BALDVINI, COMITIS FLANDRIÆ ET HANNONIÆ, PRIMI MARCHIONIS DE NAMVR, MATER ELIZABETH, SANCTISSIMÆ FRANCORVM REGINÆ, FILIA THEODORICI, ET SOROR PHILIPPI, COMITVM FLANDRIÆ, HÆC FVIT PLVRIMORVM MERITORVM, PRÆCEL-

LENS IN OMNI OPERE BONO CVNCTAS MVLIERES VIVENTES TEMPORE SVO. OBIIT XVII. CAL. DECEMB. ANNO DOMINI CIↃ. C. XC. IV. MENSE NOVEMBRI. REQVIESCAT IN PACE. *Meyerus.*

Margaretæ in Flandriæ Comitatum successit Balduinus Filius, qui postmodùm Græcorum Imperator est dictus; tenuitque annos vndecim, donec in Græciâ, in obsidione Hadrianopoleos fuit interemptus. *Vide infrà ad annum 1205.* — *Succedit Balduin⁹ Filius.*

Desiderius Morinorum Episcopus, curâ Pastorali ante triennium Lamberto resignatâ, è medio tollitur. *Demochares.* — *Moritur Desideri⁹ Episcop⁹ Teruanensis.*

Ioannes 48. Vedastinorum Antistes, similiter moritur, atque Henricus ætate grauis rebus præficitur. — *Item Ioãnes Vedastinus & Simon Henniacensis Abbates.*

Eosdem Desiderium & Ioannem statim insecutus est Simon, Henniacensis Monasterij sextus Abbas, eius in partes eunte Balduino, qui posteà Syluam Ongniacensem * pensis nummis Monasterio suo comparauit, anno sc. 1198. *Telodiensis.* — *Silua Ongniacensis.*

* Gal. *d'Ongny.*

In Ciuitate Atrebatensi, quidam Clericus & Soror eius, ob rectum homicidÿ incendio sunt adiudicati. Frater & Soror ad stipitem ligantur, & ignis in circuitu eorum copiosus accenditur, in Balduini-monte, astante innumerâ præsentiâ populi. Mulier cum valido cordis clamore, & ineffabili contritione, & oris confessione, Sanctam Mariam Dei Genitricem inuocans, & idem Fratrem facere admonens. Illo in flammis mortuo, meritis beatissimæ Dei Genitricis Mariæ liberatur ab incendio. Mira res, facies eius & loquela non est immutata, capillus eius nec pilus adustus, nec etiam odor incendÿ remansit in eâ. Cùm autem inquireretur ab eâ saluationis modus, dicebat speciosissimam Dominam secum fuisse, & ab igne extraxisse. Post hæc in Ciuitatem ad Ecclesiam Beatæ Mariæ liberatricis suæ reducitur, tota penè Ciuitas congregatur, & in præsentiâ Domini Petri* Episcopi, & Cleri, laudes omnium attolluntur, & tam grande miraculum nostris temporibus inauditum, à præfato Reuerendo Episcopo auctorizatur. Actum hoc anno apud Atrebatum in solemnitate Spiritus Sancti.* Chronicon Aquicinctinum, ijsdem verbis. — *Mulier Atrebati in medÿs flãmis illæsa, ope B. Mariæ Virginis.*

* Gal. *Baudimont*; est hodiè suburbiũ Ciuitatis Atreb. in quo priscæ vrbis cernuntur vestigia.

* Nota contra eos, qui Petrum Episcopum an. 1193. obijsse scribunt. & vide infrà ad an. 1203.

CHRISTI AN. 1195. — CÆLES. 3. PAPÆ AN. 5.

ANNO 1195. Balduinus Hannoniæ Comes, Balduini Flandriæ Comitis Pater, Margaretam Elsatiam Coniu- — *Mors Balduini Hãnony.*

gem,

gem, altero post anno, ad fatum subsequitur, susceptis ex illâ Liberis;

Eius Liberi.

BALDVINO, Flandriæ & Hannoniæ Comite, qui & Imperium Bizantinum possedit:

PHILIPPO, Marchione Namurcensi; quem Philippus Rex, die Sancto Pentecostes, Equestri insigniuit dignitate;

HENRICO, qui post Balduinum Fratrem, in Oriente regnauit, atque toxico deceptus, anno 1217. interijt:

ISABELLA, quæ Philippi Augusti Galliarum Regis,

IOLENDE, siuè IOLENTHIDE, quæ Petri Auxerræ Comitis;

SIBYLLA, quæ Gerardi, Lutcemburgij, Lignij, Barensis Dynastæ, in nuptias transierunt. *Chron. Aquicinct. Marchantius, Bresinius, &c.*

Balduini Iunioris Nuptiæ.

Porrò Balduinus, viuente adhuc Patre, Mariam, Henrici, Campaniæ Comitis (qui Acone Syriæ opido, fortuito lapsu ex fenestrâ, obijt anno 1197.) Filiam duxerat vxorem. *Chron. Aquicinct.*

Sibylla autem & Gerardus Lutcemburgensium Reguli, radix seu origo Lutcemburgensium Ducum fuere, à quibus etiam posteà deriuati Comites Fani Sancti Pauli. *Bresinius.*

Renitentibus Flādris, Sacramentum dicit Philippo Regi.

Balduinus statìm à Patris fato ad Regem profectus, in eius verba Sacramentum dixit, Flandris non paucis tumultuantibus, qui cum Anglis iungendum fœdus, ac armis repetendam à Gallo Artesiam censebant; quam absque publici consilij decreto, reclamanteque populo, Philippus Comes alienasset. *Meyerus.*

Campus Eleemosynæ, silua, & Xenodochiū Eligianorū.

Eubertus, Carinchij Toparcha, Eligiano Cœnobio Campum-Eleemosynæ, vt vocant, dono tradit, cum silulâ ei contiguâ, eâque in gratiam pauperum Hospitio excipiendorum.

Raynaldus Mōtis Eligiani Abbas.

Moritur Gregorius, Montis Eligiani 9. Abbas; Raynaldo Successore relicto, qui earum rerum, inhibente morte, bienniò diutiùs non est potitus.

Vni⁹ decrementum, alterius incrementum.

Is Raynaldus, ære alieno, suprà quàm ferrè poterat, grauatus, suffragantibus cæteris eiusdem Monasterij Religiosis, eas siluas, quas iuxta VVAVRECHIN possidebat, Balduino Henniacensi Abbati, pensis nummis, in perpetuum tradidit. Litterarum transactionis initium ita habet: *Quòm humanæ vitæ cursus, torrentis more præterfluens,*

quanto-

quantocius è medio tollat memoriam præsentium; & peruicax malitia per singulos dies cumulatiùs excrescens, &c.

Tantâ violentiâ sæuit Africus, vt templa, turres, arbores, terræ æquauerit. *Immanis ventorũ tẽpestas.*

CHRISTI AN. 1196. ANNO 1196. Robertus, natione Anglus, Aroasiensis Cœnobij Monachus, eiusdem loci decimus Antistes consecratur. Huius tempore, Domus Aroasiana, ære alieno grauata, multas possessiones distraxit ac vendidit. Quod quùm Robertus ferè per quadriennium fortiter sustinuisset; tandem cumulo malorum superatus, dignitati renuntiauit. CALIS. 3. PAPÆ AN. 6. *Aroasiẽse Cœnobium ære alieno grauatũ.*

In Galliâ, Germaniâque, tanta fames grassatur, vt quampluribus contingat interire. *Nam triticum* (verba sunt Chronici Aquicinctini) *quadraginta vel quinquaginta solidis venundabatur, quod pro quatuor aut quinque ante hanc pestem dabatur.* Sic ibì. *Fames.*

Nec minùs iterùm grassatur tempestas ventorum: vndè triuiales hi versus: *Venti iterùm.*

Turbine ventorum fit magna ruina domorum,
Fabrica multarum confringitur Ecclesiarum;
Decidit & cuncti generis radicitùs arbor,
Clade famis diræ plures cœpere perire,
Sauijt in miseros nimiùm quæ quinque per annos.
Sexdenis solidis emptus tritici corus vnus.

CHRISTI AN. 1197. ANNO 1197. Cantipratense Monasterium iuxta Cameracum, tamen in Artesiæ solo, fundatur, atque Canonicis Beati Augustini institutum sequentibus, incolendum traditur: cuius Fundatorem Chronicon Premiacense Gallicum MS. fuisse prodit Ioannem quendam, pietatis laude celebrem, qui hoc nomine locum illum, ab Hugone Oisiacensis Dynastiæ Castellano impetrauit, Rogerio, Cameracensi Episcopo annuente: vbi ædibus Monastico vsui ritè adparatis, idem Ioannes, Fratribus aliquot adunatis, Sancti Augustini Regulam, ad institutum Victorini iuxta Parisios Monasterij, est professus. Addit idem Chronicon, aliquot Virgines idem propositum simul fuisse amplexatas; quæ loco in eâdem Abbatiâ communicato, sub eodem Antistite, Religionis vota emisere: à quo vna earum, quæ Virginibus præesset, constituta est Priorissa, nòmine Iuetta. Oratorium autem Virginum diuer- CALIS. 3. PAPÆ AN. 7. *Cãtipratẽse Monasteriũ fũdatur.* *Vtrique sexui cõmune.*

sum fuit ab Odeio Monachorum. Cæterùm census & victus communis. *Hactenùs ex Chronica Premiacensi, & litteris R. V. Nicolai Guisij, Camerac. Eccl. Canonici. Vide infrà, ad annum 1214.*

Thomas Cantipratanus.

Id Cœnobium eximio splendore illustrauit Thomas Cantipratanus, Cameracensis Ecclesiæ Episcopus Suffraganeus, qui circa annum 1254. floruisse traditur. De quo sic Ioannes Tritthemius libro de scriptoribus Ecclesiasticis: *Ioannes de Cantiprato, natione Brabantinus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Alberti Magni quondam (vt ferunt) discipulus; vir deuotus, & tàm in diuinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, ingenio promptus, eloquio Scholasticus, fertur quædam præclara scripsisse volumina, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis deduxit. E quibus extat opus de Apibus mysticis, quod prænotauit* BONVM VNIVERSALE, *lib. 2. De rerum naturâ lib. 1. Vita Sanctæ Christinæ lib. 1. & cætera quæ non vidi. Claruit sub Rodulpho Imperatore, anno Domini 1270. Et sunt qui scribant eum Græci sermonis habuisse peritiam, & libros Aristotelis, quorum iam vsus in Scholis est, transtulisse.* Hactenùs illè. Eius vitam latè & pleno stylo deduxit R. D. Georgius Coluenerius, Duaci S. T. Doctor & Professor, de cuius cognomento sic prodit: *Vt liberiùs soli Deo vacaret, curis sæcularibus valedicens, ad Apostolicam Beati Augustini Regulam, tanquam securiorem salutis portum se conferens, factus est Canonicus, vt vocant, Regularis, Religiosissimi Cœnobij Cantipratensis, quod in suburbijs Cameracenæ Ciuitatis situm est. Ab hoc Cœnobio, nunc bellorum iniurijs diruto, dissipatoque, adhæsit ei hæsitque in perpetuum Cantipratani appellatio. &c.* Hæc Coluenerius, qui Cantipratani opus de Apibus, diligenter expurgauit, & notis illustrauit.

Eius opera.

Vnde illi Cãtipratani cognomen.

Corpus Sancti Hadulphi Episcopi Atrebatensis, nouâ thecâ, ab Henrico, Vedastini Cœnobij Abbate donatur, adiectâ eiusmodi scriptione: *Anno Verbi Incarnati 1197. Indictione xv. Epactâ nullâ concurrente II. S. Romana Ecclesia præsidente Celestino tertio, VVillelmo autem Remorum Archiepiscopo, imperante glorioso Romanorum Imp. Henrico, apud nos verò regnante fortissimo Francorum Rege Philippo, pugnante item contra nos potentissimo Rege Anglorum Richardo, reconditum est in isto Feretro, ligatumque in duobus pannis Corpus Beatissimi Confessoris Christi Hadulphi, Cameracensis & Atrebatensis Epis-*

copi, à D. Henrico Abbate Sancti Vedasti, ipso die depositionis eius, sc. XIV. *Calend. Iunij feliciter. Amen.*

Istam porrò testificationem legere licuit anno 1602. quando R. D. Philippus Cauerelius, hodiè Abbas Vedastinus, adstantibus R. D. Bonauenturâ *le Febure*, Mareolensi in Artesijs Abbate, varijsque grauibus Religiosis in thecam argenteam nouam illud ipsum sacrum Pignus transtulit.

Eadem tempestate, quùm in Henniacensi Monasterio, Mulierum Conuersarum, vt vocant, numerus excresceret, quæ suaui Religionis, ibì tunc admodùm florentis, odore, illectæ, agminatìm confluebant; vt tanto numero repagulum obijceret Petrus Atrebatium Episcopus, ne earum caussâ, res Monasterij attritæ, retrò lapsæ ferrentur, eiusmodi Diploma, Balduini Abbatis rogatu, conscripsit: *Henniacẽsis Monasterij Mulieres Conuersæ certo numero definiũtur.*

PETRVS DIVINA PATIENTIA, ATREBATENSIS ECCLESIÆ MINISTER HVMILIS, OMNIBVS QVIBVS ISTAS LITTERAS VIDERE CONTIGERIT, ÆTERNAM IN DOMINO SALVTEM. *Diploma Episcopi Atrebatẽsis.*

Nouerit vniuersitas vestra, quòd dilecti nobis in Christo, Balduinus Abbas, atque totus Conuentus DE HENNIN, *propter grauamina eiusdem Domus vnanimi consilio atque consensu statuerunt, vt deinceps nullam mulierem recipiant in Sororem, donec numerus earum, quæ modò ibì sunt, Conuersarum, ad senarium numerum sit redactus. Præterea quùm ad senarium numerum peruentum fuerit, nullam recipere poterunt, nisi aliquam illarum sex decedere fortè contingeret; & ea quæ recipietur, loco illius succederet, talis, vndè euidens vtilitas Ecclesiæ proueniret. Veruntamen tres Nobiles Mulieres decreuerunt excipiendas,* DE HENNIN, *de Montiniaco**, *de Burcello, Dominas; quas sine damno Domus suæ, & sine periculo non possent repellere, si ipsæ fortè, vel aliqua illarum, Religionis habitum, in eâdem Domo, ducerent assumendum. Constitutionem autem prædictam se firmiter obseruaturos prænominatus Abbas atque Conuentus vnanimiter concesserunt, sub interminatione Anathematis districtiùs inhibentes, ne quis deinceps constitutionem præsumat transgredi supradictam. Nos etiam ad petitionem ipsorum, constitutionem ipsam approbauimus, & in scriptum redactam, sigilli nostri testimonio duximus confirmandam. Datum anno Incarnationis Domini* CIↃ. C. XC. VII. Sic ibì.

* Dicta est Matia, Domina *de Montigny.*

Asso Montis Eligiani Abbas.

Asso, Raynaldi Eligiani Abbatis muneribus surrogatur, & annos vndecim perseuerat.

Nuptiæ Elizabethæ & Eustathiæ Filiarum Hugonis Comitis S. Pauli.

Elizabetha, Hugonis Campauenensis, Sancti Pauli Comitis Filia, Galteri Castillonij thalamo sociatur, Patre adhuc superstite. *Bresinius.*

Et paulò pòst, Eustathia, eiusdem Elizabethæ Soror, coniugale etiam vinculum stringit, cum Ioanne Sugellæ Regulo.

CHRISTI AN. 1198.

INNOCENTII TERTII PAPÆ AN. I.

Balduin' Flandriæ Comes Artesiã armis repetit.

Audomaropolim, Ariam, aliaque opida occupat.

Atrebatum frustrà tentat.

ANNO 1198. Bello inter Francos & Anglos ardente, Balduinus, Flandriæ Comes, recuperandæ de Gallo Occidentalis Flandriæ occasionem adesse ratus, in Anglorum partes concedit; ictoque cum illis fœdere, Regias inuadit ditiones; agros, vicos, castella, ad-vsque Compendium, prohibente nemine incendit: Peronam & Royam ad deditionem compellit, indè Audomaropolim cingit obsidione; adactosque commeatus penuriâ opidanos, in deditionem recipit; quorum secuti exemplum Arienses, in Comitis fidem redeunt. Hinc obsidetur Atrebatum: verùm quùm operam falleret Princeps, recedit; atque Gandauum repetens, agrum Cameracensem & Tornacensem populabundus percurrit. *Chron. Aquicinct. Meyerus.*

Ioannes Abbas Bertinicus, videns se à Nobilibus & vicinis oppressum, qui pro suis seruitoribus & familiaribus, prabendas Monachales importunè petebant; à Domino Papâ Innocentio priuilegium impetrauit, vt illas & consimiles, possit auctoritate Apostolicâ reuocare, & Fratrum vsibus applicare. Iperius ijsdem verbis.

Bertinēsium rebus consulitur.

Alciacēsis Cœnobij Abbates ex Bertinico Cœnobio assumendi.

Idem Innocentius Pontifex eorundem Bertinensium priuilegium confirmauit, quo iam ab olìm Alciacensis Cœnobij Abbati defuncto, solus ille succenturiabatur, qui ex Sancti Bertini Monasterio fuerat assumptus; vt liquet ex hoc diplomate ad Petrum aut fortè Radulphum, Atrebatium Pontificem transmisso; quod etiam videre licet ad finem libri quinti Decretalium. Illud itaque sic habet:

INNOCENTIVS PAPA, SER. SERV. DEI, EPISCOPO ET CANTORI ATREBATENSI.

Abbate Sancti Siluini Alciatensis viam vniuersæ carnis ingresso, quùm eiusdem loci Monachi elegissent quendam, de ipsius Ecclesiæ gremio in Abbatem, & confirmationem electionis à Morinensi Episcopo nequiuissent aliquatenùs obtinere, eam à Sede Apostolicâ petierunt. Caterùm procurator Monasterij Sancti Bertini

proposuit

propoſuit ex aduerſo, quòd quùm ſecundùm approbatam conſuetudinem, & priuilegia Romani Pontificis, Abbates Alciatenſes debeant de Monaſterio Sancti Bertini ſemper aſſumi; eiuſmodi electio erat non immeritò reprobanda, vtpotè contra conſuetudinem diuturnam, & contra priuilegium Sedis Apoſtolicæ attentata: & Alciatenſes Monachi debeant de iure compelli, vt de Monaſterio Sancti Bertini perſonam idoneam ſibi eligerent in Abbatem, &c. Et infrà: *Nos igitur depoſitionibus teſtium diligenter inſpectis, inuenimus eſſe probatum, quòd à quadraginta annis & infrà, Monachi Alciatenſes Abbatem ſibi de Sancti Bertini Monaſterio elegerunt.* Et paulò pòſt; *Et quùm quâdam vice Guarinum Alciatenſem Monachum elegiſſent; eius electio robur habere non potuit; donec apud Monaſterium Sancti Bertini profeſſione factâ, poſt aliquantum temporis, quandò ſcilicet eiuſdem loci Abbati & Conuentui placuit, in Alciatenſem exſtitit Abbatem aſſumptus. Ex priuilegijs quoque Romani Pontificis argui poterat, Alciatenſem Abbatem fore de Sancti Bertini Collegio eligendum. Nam priuilegio Paſchalis Papæ huiuſmodi priuilegium apparet inſertum:* SVBROGATIONEM ABBATIS PENES MONASTERIVM SANCTI SILVANI APVD ALCIATENSES MONACHOS, IVXTA PRÆTERITI TEMPORIS MOREM, IN VESTRA SEMPER CONCEDIMVS DISPOSITIONE CONSISTERE. *In priuilegio etiam Caliſti, huiuſmodi capitulum inuenitur:* PORRÒ IVXTA PASCHALIS PAPÆ DECRETVM, ABBATIS SVBROGATIONEM PENES ALCIATENSES, NON ALIVNDE, QVAM DE VESTRO MONASTERIO FIERI, APOSTOLICA AVCTORITATE DECERNIMVS. Et poſt multa, Innocentius tandem concludit; *His igitur diligenter auditis, Monaſterio Sancti Bertini adiudicamus huiuſmodi dignitatem, vt quoties Alciatenſi Monaſterio Abbatis electio imminet facienda, Alciatenſes Monachi, de Monaſterio Sancti Bertini perſonam idoneam ſibi eligant in Abbatem: ità videlicet vt tandiu Monaſterium ipſum, hâc honoris valeat prærogatiuâ gaudere, donec ibidem viguerit obſeruantia regularis, vt perſonæ idoneæ inueniantur in illo, qui poſſint in Abbatem aſſumi.* Hactenùs ex 5. Decretalium, tit. 40. c. 25.

Littera Apoſtolica.

CHRISTI AN. 1199. — INNOC. 3. PAPA AN. 2.

ANNO 1199. Menſe Februario Peronæ ad Somonam fl. pax initur inter Philippum Regem & Balduinum Comitem, quâ Balduino reſtituuntur opida Sancti Audoma-

Pax Peronensis inter Regem & Comitē.

ri,& Aria, cum Homagijs Ghisnæ, Ardeæ, Lilerij, Richeburgi, & Gorguæ, & quicquid Aduocatiā Bethuniensi citra fossam nouam complectebatur, quæ omnia Flandriæ redierunt. Reliqua autem Artesiæ, scilicet Atrebatum, Bapalma, Lensium, Hesdinum, cum beneficijs Fani Sancti Pauli ac Boloniæ Philippo Regi, in vsum Ludouici Filij dimissa sunt. *Bersacius in Origin. Com. Art. Iperius, Chron. Vedast. & Aquicinct. Meyerus, &c.*

Id noster Meyerus Iacobi Pronepos, sic loquente Balduino celebrauit:

Ausus ego Gallum Mauorte lacessere Regem,
Artesium mihi quòd reddere nollet agrum.
Nec malè successit: Somona grassabar ad vndas,
Cædibus inque viros, ignibus inque domos.
Cepimus hîc Arceis, emunitamque Peronam,
Inque meas venit Roya subacta manus.
Hinc Audomaropolim, Somonæ regressus ab orâ,
Ac Ariam domui, finitimosque locos.
Rigiacum frustrà nostris tentauimus armis,
Peruetus Artesij quod Caput Orbis erat.
Ardua præcipites vallabant mœnia fossæ,
Quæ tutabatur Martia turba virûm.
Compulit obsidium motis me soluere castris,
Propugnans muros fortiter illa suos.
Protinùs vt turmas in Flandrica rura reduxi,
Pax mihi cum Gallo conciliata fuit. &c.

Præpositura S. Michaëlis iuxta Atrebatum. Olim appendix Ecclesiæ S. Crucis quæ Atrebati.

Hæc Philippus Meyerus in Elogijs virorum illustrium.

Henricus Vedastinorum 49. Antistes, Diui Michaëlis Præposituram, ex humili Sacello, appendice olìm Ecclesiæ Parœciæque Sanctæ Crucis opidi Atrebatensis, erigit in ampliorem istam dignitatem, locum recreationi Fratrum, & senum infirmitatibus commodum arbitratus; in eamque proindè rem, subductos à Mensâ conuentus, ei loco asscribens. *Chron. Vedastinum.*

Aliquot Messinēsis Cœnobij Antistitæ.

Obit Agnes, sexta Messinensis Cœnobij Antistita; eiusque partes excipit Elizabetha, Theodorici Elsatij Comitis Filia. Meyerus libro septimo Annalium Flandriæ, in quibus, varijs locis septem recenset, quæ hoc ordine præfuere:

Prima, Frisildis: Sedere cœpit anno 1065. rexitque ann. 10.

2. Natalia, anno 1075. præfuit annis 25.
3. Ogina, Roberti Frisij Comitis Filia, anno 1101. rexit annis 40.
4. Ælis, anno 1141. præfuit annis 22.
5. Beatrix, anno 1163. rexit annis 18.
6. Agnes, anno 1181. præfuit annis 18.
7. Elizabetha.

Vide suprà ad annum 1065. INNOC. 3. PAPA AN. 3.

CHRISTI AN. 1200. ANNO 1200. Balduinus pace cum Rege firmatâ, votum expeditionis emittit, quam postmodùm in barbaram Religionem est exsecutus. *Meyerus.* *Votum Balduini pro sacro bello.*

Interfuit iterùm Hugo Fani Sancti Pauli Comes, vbi cedere fato ei contigit anno 1202.

Petrus Cardinalis Diaconus Sanctæ Mariæ, ab Innocentio Papâ missus Legatus, venit in Galliam, litteras Philippo Regi deferens, in quibus præceptum continebatur Apostolicum, vt Ingelburgam venerabilem Reginam, falsò consanguinitatis iuramento disiunctam, legitimè sibi resociaret, quòd si acquiescere nollet, Anathematis vinculo subiaceret. Chronicon Aquicinctinum ijsdem ferè verbis. Vide suprà ad annum 1193. & infrà ad annum 1201. *Summi Pôtificis ad Philippum Regem Legatio, vt Ingelburgam vxorem legitimã reuocet.*

Henrico Sancti Vedasti Abbate, ob senium & infirmitatem, Pastoralem curam abdicante, Raymundus Beati Dionysij Abbas alienis opibus inhians, Vedastinam Præfecturam arripit; obitque peregrinâ omninò licentiâ, Pastor verè Mercenarius, lac de ouibus immaniter exprimens, eoque lautè genio indulgens; thesauros Ecclesiæ corrasit, tantâque insaniuit libertate, vt Innocentius Pontifex isto honoris gradu, vt indignissimum spoliari mandauerit. Chron. Vedast. ijsdem verbis. *Raymũdi Abbatis Dionysiani in Monasterium Vedastinum violentia.*

Albertus, Castri Dom-Martinensis Comes, moritur, relictis liberis Reginaldo, Bononiæ Comite, & Hugone Comite Pontiuensi, qui Comitatus, per vxores ijsdem obtigerunt. *Aub. Miræus in Chronico.*

INNOC. 3. PAPA AN. 4.

CHRISTI AN. 1201. ANNO 1201. Octauianus Episcopus Ostiensis, & Ioannes Cardinalis Velitrensis, iussu Innocentij Papæ venerunt in Gallias; quorum operâ Philippus Rex tandem adductus est, vt dimissâ Mariâ Morauiensi Ingelburgam iustam & legitimam vxorem reduceret. *Chron. Aquic. Meyerus. &c. Vide suprà ad annum 1193. & 1200.* *Philipp⁹ tandem Summo Pontifici paret, ac Ingelburgam reuocat.*

Ludouicus Philippi Regis primogenitus, & Artesiæ

Domi-

Ludouici Artesiæ Domini Nuptiæ cum Blācâ Castellanâ.

Dominus, Patre, Ioanne Anglorum Rege, Balduino Flandriæ Comite, multâq; aliâ Nobilitate præsentibus, Blācam Alfonsi Castellæ Regis, ex Leonorâ Anglicanâ Coniuge Filiā, matrimonij vinculo sibi deuincit. *Iperius, Tilletius. &c.*

Præposi. tus Ecclesiæ S. Saluatoris in oppido S. Pauli.

Paulopoli, Collegialis Ecclesia Sancto Saluatori nuncupata, Præpositura dignitate refulget, vt indicant Hugonis litteræ, hoc anno, cuiusdam Cambij caussâ conscriptæ; sic enim illæ habent:

Quoniam vita hominis breuis est, labilisque memoria: ea quæ memoriter tenere, rata atque inconcussa permanere volunt, antiquorum auctoritas scripto commendare consueuit. Ego itaque Hugo, Comes Sancti Pauli, & Iole vxor mea, notum fieri volumus tam præsentibus quàm futuris, quòd voluntate & consensu Generorum meorum, Galteri de Castellione, & Ioannis, Domini de Sugellâ, * *& Filiarum mearum Elizabeth & Eustathiæ, concambium, fecimus cum Ecclesiâ Sancti Saluatoris de S. Paulo, super molendino quod habebat apud Manilium,* * *in hunc modum: assignauimus Thesaurario prædictæ Ecclesiæ, quicunque fuerit ille, quatuordecim sextarios frumenti, ad mensuram Sancti Pauli, percipiendos, vnoquoque mense vnum, & in Natali duos, & in Pascha duos, de multurâ melioris frumenti quod moletur ad molendinum in medio Burgo*, *assensu etiam & conniuentiâ Domini Lamberti, Morinensis Episcopi: Præpositi Ecclesiæ S. Saluatoris; & consilio ac deliberatione Balduini Betani, & totius Capituli Morinensis; & Petri Thesaurarij, & Canonicorum de S. Paulo. Rogauimus etiam Dominum Episcopum & Capitulum Morinense, vt super hoc cōcambio facto, & firmiter tenendo, scriptum suum facerent autenticum; & super prædictis terminis, solutio illorum quatuordecim sextariorum frumenti redderetur, personæ nostræ excommunicationi, & Castrum nostrum de Sancto Paulo, interdicto subijcerentur. Quòd si molendinum illud aliquo casu à multurâ cessare, siue frangi aut dirui contigerit, quicunque fuerit Thesaurarius, frumentum illud de paratissimis reditibus nostris, terragio, vel grangiâ recipiet, & habebit. Vt autem permutantia ista & excambium sana & illibata permaneant, & ne permutari possint in posterum, præsentis scripti patrocinio communiri fecimus, & sigilli mei & vxoris meæ nec non & prædictorum Generorum nostrorum & Filiarum nostrarum appensionibus sigillorum confirmati. Actum anno Domini 1201. mense Ianuario.*

Thesaurarius eiusdem Ecclesiæ.

Molendinum medij Burgi, in S. Paulo.

*Vide suprà ad an. 1197.

* Gal. *Maisnil.*

*Sedebat ad vetus lauacrum publicū; hodiè nihil eius superest; lauacro tamen persistente, sex pedes alto, & totidem tribus æneis optimas aquas euomēte.

Moritur Simon, Aquicinctensis Cœnobij II. Abbas; eique Adam succedit.

Vrbs Antuerpiensis, quæ olim Burgum seu Castrum (cuius hodiéque muri & fossæ apud Ædem Sanctæ VValburgis spectantur) cum adiunctâ intra fossas veteres regione complectebatur, prolato, sub Henrico I. Brabantiæ Duce, pomœrio, amplior redditur. *Vide infrà ad annum 1543. & 1567.*

Vrbis Antuerpiensis amplificatio.

CHRISTI AN. 1202. ANNO 1202. Mense Martio, ab Balduino decernitur, vt deinceps Comites tantidem vinum emant, quanti populus; quùm soliti essent totâ Flandriâ, non pluris emere tribus denarijs. *Meyerus.*

INNOC. PAPÆ AN. 5.

Quo pretio Flandriæ Comites vinũ emere soliti.

Robertus, Crescequij * iuxta Terüannam Regulus, Ædiculam Beato Andreæ Apostolo sacram, non procul Ariâ, ad Lacquettam fl. quatuor eiusdem opidi Clericis, sæculum fastidientibus incolendam, cum modico prædio attribuit. Vbi Monastices habitum induti, Beati Augustini Regulam, ad Victorinorum Parisiensium, quibus olìm suberant, exemplum, professi sunt. Porrò auctis temporis lapsu piorum (in quibus Balliolani nostri Heroës eluxerunt) Eleemosynis, is locus Prioratus titulum assumpsit; atque Gregorius IX. Pont. Max. misso diplomate Congregationem approbauit; Sedere is cœpit anno 1226.

* *Gal. Cresseque.*

Initia Prioratus S. Andreæ iuxta Ariã.

PRIORVM CATALOGVM, QVI HACTENVS REXERVNT, BREVITER *hîc subtexam.*

Eiusdem loci Priores.

1. IOANNES, rexit annis 28.
2. Fulco, annis 13.
3. Nicolaus *de Berghes*, annis decem, posteà cessit, Ordinem Dominicanũ Berghis ingressus.
4. Ægidius.
5. VVillelmus de Ariâ.
6. Balduinus de Castello.
7. Guido *Destreen*, dictus *Hannebiert.*
8. Gerardus *de Mory.*
9. Bar-ptolomæus de Cameraco.
10. Iacobus *Guisart.*
11. Radolphus, obijt circa annum 1346.
12. Andreas de Bosco; rexit an. 46. obijt an. 1392.
13. Ioannes de Bosco
14. Henricus *Dandres*, obijt an. 1420.
15. Iacobus *de Fontaines.*
16. Petrus *Bauberel.*
17. Henricus *de Lespine*, vixit circa an. 1464.
18. Rogerius *le Douch.*
19. Iacobus *le Fer.*
20. Iacobus *Guiselin*, obijt

anno 1520.
21. Nicolaus *Bernard*, rexit ann.30. obijt an.1550.
22. Franciscus *de Croix*, rexit ann. 20. obijt anno 1571.
23. Laurencius *le Petit*, annis 10. obijt an. 1581.
24. Ioannes *Broude*, ann. 13. obijt an. 1596.
25. D. Nicolaus *Galiot*, hodiè superstes.

Ex litteris Martini Carpentarij, eo in loco Monachi.

Gandauensis opidi incrementum.

Gandauense opidum, industriâ atque beneficentiâ Comitis Balduini, suprà quàm cuiqam est credibile, multiplicatur. *Vide Meyeri Annales ad hunc annum, & hîc infrà ad annum 1228. 1278. & 1357.*

CHRISTI AN. 1203. *Radulph⁹ Episcop⁹ Atreb. titulo S. Sabinæ Cardinalis.*

INNOC. 3. PAPÆ AN. 6.

ANNO 1203. Petrus, Atrebatium Episcopus, vitâ defungitur, eique Radulphus, origine Gallus, atque Atrebatensis Ecclesiæ Archidiaconus Successor renuntiatur. Illum Innocentius Pont. Max. Romæ consecrauit, & Cardinalium Collegio, sub titulo S. Sabinæ accensuit.

Ius Regale ab Philippo Rege redemit.

Porrò Radulphus, eo ipso tempore, quo in Episcopum Atrebatensem est assumptus, IVS REGALE, vt vocant, ab Philippo Illustri Rege redemit, vtì amplè docet hoc eius Diploma, quod in Cathedralis Ecclesiæ pariete, ad alam sinistram verbis ijsdem legitur:

Philippi Regis Diploma.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS, PHILIPPVS DEI GRATIA FRANCORVM REX.

Est Episcopi Atreb. Sacerdotia Templi sui conferre.

Nouerint vniuersi præsentes pariter & futuri, quòd vacante quocunque modo Sede Atrebatensi, medio tempore Capitulum Atrebatense reseruabit penes se, ad opus Episcopi, qui substituetur ibidem, omnia Regalia & omnes reditus & prouentus Regalium, & quicquid ad Episcopatum dignoscitur pertinere: ita quod nos, nec in res, nec in homines Episcopi, nec in eorum res, pro aliquo, quod ad Regalia pertineat, manum mittemus; & si medio tempore aliquam præbendam, vel plures præbendas vacare contigerit, similiter reseruabuntur substituendo Episcopo, ab ipso conferendæ postmodùm, quùm ad electionem fuerit peruentum. Canonici prædictæ Ecclesiæ liberè poterunt eligere, non requisitâ à nobis, vel à Successoribus nostris licentiâ eligendi; sed Electum suum confirmatum nobis præsentabunt, vt nobis Fidelitatem faciat; sicut alij Episcopi nostri facere consueuerunt. Quia verò Radulphus, ipsius Ecclesiæ Electus, & Canonici Atrebatenses nos humiliter rogauerunt, vt intuitu Dei, expeditionem & exercitum nostrum, ipsi Electo, & suis*

* *Nota contra eos, qui Radulphum an. 1093. in Episcopum Atreb. assumptum scribunt; & vide ad ann. 1094.*

Successo-

Successoribus quictaremus; nos timore Dei, & ob remedium animi nostræ, ipsi Electo, & eius Successoribus, illud in perpetuum remisimus & quictauimus. Has autem prædictas libertates, Episcopo & Ecclesiæ Atrebatensi in perpetuum concedimus, retentâ tamen nobis procuratione nostrâ, quam Episcopus Atrebatensis nobis debet singulis annis, si ad locum illum accesserimus. Quod vt perpetuum robur obtineat, sigilli nostri munimine, & Regij nominis Charactere inferiùs annotato, præsentem paginam præcepimus roborari. Actum Parisijs, Anno Incarnati Verbi CIↃ. CC. III. *Regni verò nostri* XXV. *astantibus in Palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa. &c.* Sic ibì.

Balduin⁹ Comes expugnato Bizantio Imperator salutatur.

Balduinus Flandriæ Princeps, Hugo Fani Sancti Pauli Comes, Reginaldus Bononiensis, Gulielmus Bethuniæ Aduocatus, cum Bar-ptolomæo Fratre alijsque innumeris, in Græciam proficiscuntur; atque Bizantio à nostris expugnato, Balduinus omnium Suffragijs, Constantinopolitanus Imperator acclamatur. *Iperius, Meyerus, &c.*

Maria, Balduini Vxor, moritur.

Maria, Balduini Vxor, quæ cum Nigellano, Brugensis opidi Præfecto, in Syriam præcesserat, ac post varias iactationes, marisq; pericula, Ptolemaïda appulerat, morbo, dùm ibì virum operitur, contracto, vitâ defungitur.

Ecclesia Aquicinctensis frequẽtatur.

Monachi Aquicinctini, instauratam à Simone Abbate Ecclesiam, dominicâ in Palmis primùm ingrediuntur. *Chron. Aquic. Vide suprà ad annum 1180. 1181. & 1201.*

INNOC. 3. PAPA AN. 7.

VVillelmus XI. Abbas Aquicinctin⁹.

CHRISTI AN. 1204 ANNO 1204. Adamus Aquicinctini Monasterij Abbas, Simonis, vt ad annum 1201. notaui, Successor, pedum & vitam dimittit; eique surrogatur VVillelmus, ordine vndecimus Antistes.

Libri Decretaliũ ab Innocẽtio Papa conscribũtur.

Eâdem tempestate Innocentius Pont. Max. Decretalium libros conscribere adoritur; iussurus posteà æternam earum obseruationem. *Palmerius in Chronico.*

Fuit namque Innocentius (vt ex Genebrardo id adnotem) *doctissimus Theologus & Iurisconsultus, multasque Epistolas Decretales de rebus arduis scripsit, vt in libris quinque Decretalium plura ipsius rescripta reperiantur, quàm omnium aliorum simul Pontificum.* Hæc ille.

INNOC. 3 PAPA AN. 8.

Balduini Constantinopolitani casus, morsque dirissima.

CHRISTI AN. 1205. ANNO 1205. Balduinus Imperator Constantinopolitanus, Flandriæ Comes, in obsidione Hadrianopolitanâ, à Græcis capitur. Eius casum Nicetas Ghoniates, qui tùm in obsessis erat, eumque oculis arbitratus est, sic de-

 pingit:

In eius Imperiũ Henricus Frater succedit. pingit: *Balduinus Imp. Constantinop. Castris ad Hadrianopolim positis, à Ioanne, Mysiæ Præfecto circumuentus, capitur. Cumque annum vnum & menses quatuor carceris molestias tulisset; Tyrannus ei manus pedesque abscindi iussit, reliquo Corpore in vallem proiecto, ac triduo pòst exanimato.* Hæc Nicetas.

In eius Comitatum Ioãna Filia. Balduino in Imperium successit Henricus Frater; in Flandriæ verò Comitatum Ioanna eius primogenita: quâ sine liberis defunctâ, Margareta Soror, altera Balduini Filia, Principatum assumpsit.

Balduin' historiæ & antiquitatis, maximè quæ ad Patriam spectabãt studiosus. De Balduino in Aduaticorum Annalibus legitur, eum litteratis aliquot viris demandasse negotium, vt tam Flandriæ quàm Hannoniæ historias, leges, & consuetudines, quam verissimè possent, scriptis proderent. Fuit idem auctor, maximâ ex parte, Sodalitij Sacerdotum B. Mariæ Curtracensis. Vsus est publicis in litteris hoc titulo:

Eius Pietas, Titul', Sigillũ. BALDVINVS ROMANORVM IMPERATOR, SEMPER AVGVSTVS, A DEO ELECTVS.

Sigillo autem aureo. *Bersacius, Meyerus.*

Hugo S. Pauli Comes, Constantinopoli moritur. Hugo Campauenensis, Sancti Pauli Comes, Constantinopoli moritur: quo ex opido per Caricampenses Monachos in Artesiam relatus, in eorum Cœnobio, à Maioribus suis constructo, iuxta Capituli limen, sub marmoreo lapide sepultus esse creditur. *Caricãpi sepultus.* *Bresinius & Monn. MSS. eiusdem Cœnobij. Vide suprà ad annum 1174.*

Galterus Castilloni' Comes S. Pauli. Hugoni successit Galterus Castillonius, Elizabethæ Campauenensis, Hugonis Filiæ & hæredis, maritus. *Vide suprà, ad annum 1197.*

CHRISTI AN. 1206. ANNO 1206. Raymundus Vedastino Cœnobio per Summum Pontificem exigitur*, atque Odo eiusdem loci quinquagesimus primus Antistes consecratur. Is domi Nosocomeion, Haspris verò Xenodochium, quibus infirmi & peregrini acciperentur, construi curauit. A Summis Pontt. Innocentio tertio, Honorio tertio, & Gregorio nono, quibus ob pietatem, & prudentiam notissimus erat, quamplurima tulit diplomata, quibus Monasterij res solidiùs firmarentur. Imperauit annis duobus supra viginti. *Chron. Vedast.* *INNOC. 3 PAPÆ AN. 9.* **Vide suprà ad an. 1200.*

Odo 51. Abbas Vedastinus. *Nosocomeiõ Vedastinũ.* *Hasprarũ Xenodochium.*

Robertus, Aroasiensi Abbatiâ spontè dimissâ, fit quartus Mareolensis Cœnobij Abbas: vbi quùm per annum præfuisset, rursùs priori Præfecturæ est redditus.

Guido Archiepiscopus Remorum Gandaui moritur, cui ad Sancti Bauonis adiectum est hoc Elogium. *Guido Remorũ Pontifex, Gandaui moritur.* *INNOC. 3. PAPÆ AN. 10.*

Grandis Gandauo debetur honor; quia Bauo
Sanctus prostrauit illum, quem nullus amauit.

Huius anni Chronographicum.

*Nonne Chronograph*ICVM ? *sat habes: est nosse potestas.*

CHRISTI AN. 1207. ANNO 1207. *Roberto ad Aroasienses regresso, Petrus natione Anglicus, Aroasiensis Canonicus, priùs Abbas de Dondeluillâ & de Valencenis, in gubernationem nostræ Ecclesiæ successit. Tempore istius contulit Ecclesiæ nostræ in Eleemosynam Domina Margareta* LIEFRARDE, *Decimam* DE BLAVINCOVRT, *quam à Domino Matthæo* DE AVSSY *milite emerat, sicut in chartis nostris super his confectis pleniùs continetur. Iste Abbas quùm Ecclesiam nostram per quatuordecim annos rexisset, spontaneâ voluntate Abbatiam dimisit, anno 1221. atque ad locum professionis suæ rediJt: atque in eodem loco paucis viuens annis enutritus, in senectute bonâ, in pace quieuit senex & plenus dierum.* Ex vetusto Codice MS. Cœnobij Mareolensis, ijsdem verbis. *Possessiones accessere Cœnobio Mareolensi.*

Obit Lambertus, Morinorum Episcopus, patriâ Brugensis, Cancellarius priùs Remensis, XII. Cal. Iunias, Successore Ioanne secundo. *Meyerus.* *Mors Lamberti Morinorum Episcopi. Ioannes Successor.* *INNOC. 3. PAPÆ AN. 11.*

CHRISTI AN. 1208. ANNO 1208. Asso vndecimus montis Beati Eligij Abbas, morte corripitur: eiusque in locum sufficitur Desiderius, Canonicus & Decanus in Lilanâ Sancti Petri Æde. Sedit annos XII. & menses tres; quibus collabentibus, disciplinam Monasticam in integrum restituit. Vineam intra Monasterij septa non infrequentem plantauit, quo cottidiè tam meridie, quàm vesperi quisque Monachus suâ vini portione non careret; cuius quidem liberalitatis primus ipse auctor. Vndè in beneficij memoriam, in eius sepulcri circuitu, vineæ gemmiferæ sculptæ hodieque visuntur. *Desiderius Abbas Montis Eligiani. Vineam intra Monasterij sui septa plãtauit. Quâ caussâ. Quid in eius sepulchro ad memoriam.*

VVillelmus vndecimus Aquicinctensis Cœnobij Antistes, transit ad regimen Monasterij Sancti Amandi. Quo facto Aquicinctinis Simon 12. Præsul donatur. Is inceptam ab auunculo suo Simone, nono Abbate, Ecclesiam feliciter consummauit, & duobus campanilibus, cum duodecim campanis studiosè insigniuit. *Chron. Aquic.* *Simon Aquicinctinus Antistes. Ecclesiam structuram absoluit.*

Ortâ eodem tempore dissensione, de creando Archipræsule Cantuariensi, Ioannes Angliæ Rex, Stephanum

Electum Ecclesiæ eius Pontificem, eiusdemque Suffraganeos, cum Monachis Cantuariensibus, multisque alijs Templorum ministris, Regno expulit: qui postquam in Flandriam appulissent, vix credibile est quantâ humanitate, ab Ioanne Abbate Bertinico sint accepti. *Meyerus.*

Stephanus Electus Cãtuariæ Archiepiscopus, & Regno ab Rege pulsus à Bertinico Abbate excipitur.

ANNO 1209. Sententia excommunicationis in Ioannem Angliæ Regem per Summum Pontificem lata, à Radulpho Episcopo Atrebatensi, atque Odone Vedastino, Abbate, Iudicibus à Papâ delegatis, Atrebati enuntiatur præsentibus Gulielmo Londinensi, & Eustathio Heliensi Episcopis. *Iperius.* INNOC. 3. PAPÆ AN. 12.

CHRISTI AN. 1209. *Ioannes Angliæ Rex à Papâ excommunicatur. Radulphus Episcopus Atreb. & Abbas Vedastinus sententiam proferũt.*

ANNO 1210. Philippus Namurcensis, Ioannæ Principis Flandriæ patruus, Mariam Philippi Regis Filiam ducit vxorem. *Meyerus.* INNOC. 3. PAPÆ AN. 13.

CHRISTI AN. 1210.

Lambertus Claromarensis Antistes sopitis quibusdã controuersijs, cum Ioanne Bertinico Abbate paciscitur. *Iperius.*

ANNO 1211. Ludouicus Philippi Augusti Primogenitus, Artesiæ Dominus, antiquas Atrebatium leges & consuetudines confirmat, misso diplomate, quod ex Gallico, sic latinum fecimus: INNOC. 3. PAPÆ AN. 14.

CHRISTI AN. 1211. *Atrebatium antiquæ Leges & Cõsuetudines, cõfirmãtur à Ludouico Principe.*

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

Nos Ludouicus Regis Franciæ Primogenitus, omnibus tàm præsentibus, quàm futuris notum facimus atque declaramus quòd antiquas leges & consuetudines Ciuium Atrebatensium approbauerimus atque confirmauerimus; & de facto, approbamus & confirmamus volentes & districtè præcipientes, vt eædem firmæ & inconcussæ permaneant, scilicet:

Quicunque Ciuis Ciuem, siue in Vrbe siue extra vrbem, occiderit, iudicio scabinorum Atrebatensium capitis reus dictus, capite multator.

Quicunque quodcunque alterius membrum mutilauerit, à Scabinis Atrebatensibus reus dictus, an talione, an .... luat, nostræ voluntati reseruator.

Quænam illa.

Si cum moderamine inculpatæ tutelæ vulnus inflixerit, innocens absoluitor.

Quicunque, iudicio Scabinorum Atrebatensium confirmante, raptum commiserit, ei caput amputator; nisi fortè Mulier, cui vis

illata

illata est, eidem desponsari voluerit; quod tamen arbitrij nostri esto.

Scabini Atrebatenses quarto-decimo quoque mense renouantor.

Renouandis hæ Leges obseruantor.

Mensibus 14. euolutis, emigraturi Scabini, dicto priùs Sacramento, Quadrum-viros probitate & fide spectatos eligunto.

Quatuor Electi, præeunte etiam Sacramento, alios quatuor, famâ & fide integros assumunto.

Et hi Electi, præmisso etiam Sacramento, alios quatuor spectatæ Fidei & vitæ renuntianto.

Atque ita Scabini duodecim instaurantor, qui & Menses quatuordecim continuantor.

Nulli vel Germani, vel Sororij, aut Generi in hunc Ordinem simul ascribuntor.

Quod etiam Ciuitatis Prætori, seu Maiori commune esto; cuius nec Germanus, nec Sororius, nec Gener in sacrum Senatorum Concilium admittitor.

Ioanna Comitis Flandriæ Imp. Filiæ cum Ferdinando nuptiæ.

Philippus Ludouici Pater easdem Leges atque consuetudines confirmauit. *Ex Archiuis opidi Atreb.*

Initæ maiorũ.

Ferdinãdus ab Ludouico Peronã abire prohibetur.

Ioanna, Balduini Constantinop. Filia, Flandriæ Comes, Parisijs in manus venit cum Ferdinando, Sanctij Lusitaniæ Regis Filio. Quod dùm peragitur, Philippus Rex nullum non mouet lapidem, quo Aria & Audomaropolis opida, * in vsum Ludouici Filij, & hæredum eius è lineâ Isabellæ Matris prodeuntium, reliquis Artesiæ partibus iungerentur. Quod vt facturum se dixit Ferdinandus, cum Ioannâ Coniuge & Mathilde, properauit in Flandriam, deducente eum Peronam vsque Ludouico Regis Filio, qui veritus ne factum mutaret, clausis eum portis ibi distinuit, magnâque celeritate in Artesiam contendens, Ariam atque Audomaropolim, repentino perculsa metu, nullisque munita præsidijs occupauit. Ferdinandus, magno vir animo eâ affectus ignominiâ, graue in Gallos concepit odium, adeò vt nunquàm posthac fidendum illis existimaret. Ludouicus intereà Ariam atque Audomari Fanum maximis operibus firmiora multò, atque anteà erant, effecit, validissima apud Audomarenses eductâ ad Portam Bononicam Turri, quâ ingressus in opidum egressusque liber peculiarisque sibi pateret. *Bersacius, Meyerus, Marchantius;*

* Vide suprà ad an. 1193. & 1199.

Ludouic⁹ Primogenitus Ariam & Audomaropolim inuadit.

Eadem opida firmis operibus munit.

Turris Bononic. in S. Audomaro.

Ferdinandus nihil non in Gallum cogitans in Flandriam Orientalem penetrat.

chantius, Ioannes Dauffayus in Apologiâ MS. de vera successione ad Ducatum Burgundiæ, Comitatus Artesiæ, Burgundiæ, &c.

Hæc vt ab Ludouico sic in Artesiâ fiunt, Ferdinandus, Vxore Ioannâ febricitante, cum Mâcthilde Amitâ Duaci relictâ, in penitiorem contendit Flandriam. Ibì res hoc anno & seqq. gestas, ex Meyeri Annalibus collige.

Trãslatio S. Lietberti Ep. Atreb.

Translatio Corporis Sancti Lietberti Attrebatensis atque Cameracensis Episcopi, ab Albrico Remorum Archiepiscopo.

CHRISTI AN. 1212. *Bochardi Auesnensis cũ Margareta, Ioãna Sorore nuptiæ. Bochardi doctrina.*

ANNO 1212. Bochardus Auesnensis, Iacobi Filius, in manus venit cum Margaretâ, Ioannæ Flandriæ Principis Sorore, Balduini Imp. Filiâ. Fuit admodùm in Latinis litteris versatus; adeò vt Aureliæ in Gallijs, ius Ciuile aliquandò fuerit magnâ cum laude professus. *Meyerus apud quem lege plura quàm hoc anno, tum 1215.* INNOC. 3. PAPÆ AN. 15.

CHRISTI AN. 1213. *Ioannes Anglorũ Rex cum Summo Pont. paciscitur. Anglia & Hybernia Romanæ Ecclesiæ, vectigales.*

ANNO 1213. Ioannes Anglorum Rex, pace cum Pandulpho Pontificis Romani Legato compositâ, excommunicationis vinculo solutus, pulsos Episcopos, cæterosque Ordinis Ecclesiastici viros, in Angliam reuocat, Angliamque & Hyberniam Sedi Apostolicæ in æuum facit vectigales, pollicitus pro Angliâ septingentas, pro Hyberniâ trecentas auri puri puti Marchas quotannis se pensurum. *Meyerus, Genebrardus in Chron.* INNOC. 3. PAPÆ AN. 16.

Nascitur bellum atrocissimũ inter Regem Gallorum & Ferdinandum Comitẽ.

Inter Philippum Regem, & Ferdinandum Comitem, luctuosæ admodùm tragœdiæ exsurgunt; adeò vt tota Flandria & Artesia, cædibus, rapinis, incendijs conspurcatissimæ desolatissimæque, ad extremum properare excidium declamarentur. Artesiæ nostræ ab Ferdinando hæc accessere. Appetente vero Ferdinandus ex Angliâ, milite auroque abs Rege Ioanne instructus, vbi requertisset; subitò Fanum Audomari adoritur, quod quùm in deditionem accipere se posse desperaret, spem furijs pauit; suburbana omnia loca, sacra, prophana diripuit, & iniectis ignibus absumpsit: Circumpositos vicos, Templa, Arces, ne vnius commiserans, euastauit; quoscunque potuit apprehendere, hos ferro, illos laqueo multauit. Modico tempore, ad furendum magis interiecto, Atrebatum vsque plenâ irâ debacchatus est; eamque toti Atrebatesio eluuiem infudit, vt nihil prorsus, extra munitiones maiores, saluum reliquerit. Sochetum opidulum Atrebato

ter mille passibus abiunctum, penitùs euertit. Lensium obsedit; sed id tantùm, præsidiarijs se egregiè defensantibus. Housdanum*, opidulum olim, hodiè municipium inter Fanum Pauli & Bethuniam, situm, excepto Monasterio, totum combussit. Castellum, cui Pulchra domus* nomen erat, solo tenus deleuit. Ad Ariam tres sedit Hebdomadas; lentibus prælijs, magnisque oppugnationibus, grauia damna intulit; opidum tamen, à Francis viriliter propugnatum, ad Furiarum suarum Catastrophen adijcere non potuit. Quare talium satur, vasa quùm conclamasset, Orientalem Flandriam reuisit, & Gandauum pedem intulit; vbi non remissior sæuijt tempestas. *Consulantur Flandriæ Chronographi, alijque scriptores.*

Moritur Ioannes 2. Episcopus Morinorum, eiusque in locum Adamus, Parisiensis Archidiaconus, substituitur. *Demochares.*

Aquicinctensis Monasterij Claustrum ab Simone Abbate construi cœptum. *Chron. Aquic.*

ANNO 1214. Septimo Calendas Augusti, Otho Imperator, memorabili prælio victus est à Philippo Galliæ Rege, apud Bouinas. Capti atque in Galliam abducti qui pro Othone steterant; Ferdinandus, Flandriæ Comes; Rainaldus, siue Reginaldus, Bononiæ Comes, alijque. Ferdinandum Parisijs in Luparâ, Rainaldum Peronæ in turri asseruari Rex iussit. Pugnam istam Bouinensem Heroïco carmine descripsit Gulielmus Armoricanus. Eandem latè diduxere Chronographi & Historici, qui pasim occurrunt. Ad rationem temporis pertinent veteres hi versus:

In quarto decimo post annos mille ducentos,
Flandrenses Franci capiunt, belloque retentos
Ferrum quinque domat Comites. Monumenta ruinæ
Huius erunt olim Tornacus, Ponsque Bouinæ.

Ferunt Bethuniensium Annales, & conformiter Meyerus, Robertum, Gulielmi Bethuniensis Aduocati Filium, paternâ successione priuatum fuisse, quòd dicto in prælio ad Othonis & Ferdinandi partes transfugisset. Huic tamen sententiæ repugnat Dunense Chronicon, eam enim defectionem non Roberto sed Danieli Roberti huius Filio tribuit. Audiamus illud, si placet. *Anno 1200. regnante*

*Gal. Housdain.

Vide infrà ad an. 1271.

*Gal. Beaulieu.

CHRISTI AN. 1214.

Sochetū opidulū euertitur.

Lensium tentatur.

Housdanum deletur.

Etiam Pulchra Domus.

Aria obsidetur; at vbi frustra, Ferdinādus in Flandriā reuertitur.

Adamus Morinorum Episcopus.

INNOC. 3 PAPA AN. 17.

Prælium Bouinense.

Ferdinādus Comes captus Parisiis in Luparâ recluditur.

Robertus an Daniel Bethuniensis, in Castris Ferdinādi militarit.

 Philip-

Philippo Rege Francorum Conquæstore, Augusto dicto; fuit Gulielmus de Bethuniâ Aduocatus, & eius Filius Robertus, apud Balduinum Comitem Flandriæ & Hannoniæ, Græcorum Imperatorem magnæ æstimationis. Qui Robertus ex Filiâ Balduini Castellani de Nouo Portu, Danielem reliquit, præcipuum auxiliatorem Fernandi Comitis Flandriæ; contra præfatum Regem Philippum. Vnde operâ ipsius Danielis, quadringentæ naues prædicti Regis perierunt: licet tandem Fernandus Comes, bello* DE BOVINES *captus fuerit, &c.* Sic ibì: Attamen Meyero magis accedam, quia receptior eius sententia: & certior, vt varijs ex locis Annalium eius apparet. *Nota.

Porta S. Nicolai Atrebatis. Inscriptio ad illam latina.

Eodem anno Atrebati, Porta Sancti Nicolai cum geminis hinc indè turribus, pulchro firmoque opere construitur, vt indicat, eí ad futuram memoriam addita inscriptio, quæ extùs, vrbem subeuntibus, occurrit:

ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ CIↃ. CC. XIV. TEMPORE DOMINI PHILIPPI ILLVSTRIS FRANCORVM REGIS, ET EIVS PRIMOGENITI D. LVDOVICI, CONSTRVCTA FVIT HÆC PORTA, PER MANVM ET OPERAM MAGISTRI PETRI DE ABBATIA, QVÆ VICVS EST IN CIVITATE ATREBATENSI.

Altera Gallica, in quâ de Bouinensi prælio, & Comitibus 5. captiuis.

Altera Rythmis Gallicis, conuersa ad vrbem facie Gotthico legitur charactere; in quâ Bouinensis pugnæ memoria. Quam proindè huc etiam producere, venerandæ Antiquitatis gratiâ, operæ pretium duximus. Ita ergo habet:

Maistre Pieres de l'Abeye
Fit de ce œuure la Maistrie.
En apres l'Incarnation
Iesu, ki sofri passion,
Eut XII. cent & XIV. ans
Que ceste Porte fait eltans,
Fu quant Syre de cest Pays
Estoit Messyre Lovveys,
Li Fieu Felipe le buen Roy.
Flamenc li fisent maint desfroy.
Mais DS le Roy tant onora,
Que as gens que lo luy mena,
Cacha de camp en mains d'un ior,
Othon le faus Empereor:

Et prit

Et prit V. Cuentes auec luy,
Ki li orent fait maint anuy.
Si ert de vengier desirans,
Li vn ot, nom li Cuens Fernans,
A qui ert Flandres & Haynaus.
Et li autres fu Cuens Raynaus,
De Dantmartin & de Bologne:
Et li tiers fu d'otre Cologne,
Si ert de Tinkeneborc Syre:
Li quart fu Cuens de Salebire.
Ce fu Guillaumes Longespée,
Qui por la guerre ot mer passée.
Frere estoit le Roy d'Angleterre,
Ki ia ot nom Iohans sans terre:
Et li quins fu li Cuens de Lus,
Et trois cent Cheualiers & plus,
Que mort, que pris sans nul delay,
Entre Bouines & Tournay.
Auint ceste chose certaine,
El mois de Iuil vne Depmaine,
V. iors auant Aoust entrant,
Et droit XXXVI. ans deuant &c.

Eâdem temporis tempestate, Virgines Cantipratenses (de quibus ad annum 1197. diximus) loco emigrant, atque Premiacensi donantur Gynæcæo, Fratribus id loci liberè cedentibus atque abdicatâ Abbatis Cantipratani Præfecturâ, in Episcopi Cameracensis tutelam atque patrocinium concesserunt. Iis post Iuettam Priorissam, Elizabetha data secunda moderatrix, Priorissæ titulum, in Antistitæ siue Abbatissæ dignitatem commutari à dicto Pontifice impetrauit, à quâ cæteræ in hunc diem eo titulo sunt potitæ. *Chron. Premiacense MS.* *Virgines Cantipratenses migrant Premiacum; à quo deinceps nomen assumpserunt. Prima earum Abbatissa.*

CHRISTI AN. 1215. ANNO 1215. Romæ, in Concilio Lateranensi Bochardus Auesnensis (de quo ad an. 1212. iam dixi) ab Summo Pontifice, sacris & piorum communione interdicitur, donec Margaretam Constantinopolitanam, quam fraudulenter abduxerat, Ioannæ Sorori, Flandriæ Comiti restituat. *Meyerus, apud quem plura, & horum caussa tùm hoc anno, tum 1212.* HONORII TERTII PAPÆ AN. 1. *Bochardus Auesnensis excommunicatur.*

Atrebati, in minoris fori meditullio, elegantissima Py-

Pyramis Atrebatensis.

ramis construitur, in quâ reclusus est sacer ille Cereus, de quo in Lamberto Pontifice nostro diximus, ad annum 1105. *Vide infrà ad annum 1421. & Mariam Augustam nostram lib. 4. c. 89. vbi plura.*

Ioannes Henniacensis & Aroasiensis Abbas.

Balduinus septimus Henniacensis Monasterij Abbas, vitâ defungitur, inque eius munera iuit Ioannes, eo nomine secundus, Vallis-Cellæ Monachus; qui simul hoc & Aroasiense Monasteria gubernauit.

CHRISTI AN. 1216. *Ludouic⁹ Princeps noster, solo anno Angliæ Rex.*

HONO. 3. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1216. Ludouicus Princeps, Regis Philippi Primogenitus, in Angliam copioso cum exercitu traijcit, atque expulso Ioanne, Anglorum Rex salutatur. Verùm altero pòst anno, Ioanne, veneno, vt putatur, extincto, odio Anglorum in amorem conuerso: Henricus Ioannis Filius in Regem arcessitur. Itaque Ludouicus, vrgente etiam Valone Summi Pontificis Legato, dignitati cedere, & in Galliam, classem reducere compellitur. *Bersacius, Chron. Aquicinct. Meyerus.*

Ida Comes Bononiensis moritur.

Ida Bononiæ Comes, cuius maritus Reginaldus siue Rainaldus Peronæ captiuus detinebatur, in Flandriâ moritur, atque Bononiæ sepelitur. Vnicam ex Rainaldo reliquit prolem & hæredem, Macthildem (Meyero Mariam) nomine, quam Franciæ Rex Philippo Hirsuto, Filio suo conciliauit vxorem. *Iperius & Miræus in Chronicis.*

CHRISTI AN. 1217. *Ad Ferdinandi mariti liberationē Ioanna frustra laborat.*

HONO. 3 PAPÆ AN. 3.

ANNO 1217. Ioanna Flandriæ Princeps, per Honorium 3. Pont. Max. per Episcopos Tornacensem, Cameracensem, & Morinorum omnibus numeris laborat Ferdinandum virum liberare, sed nihil promouet, iurante Rege, per scipionem Sancti Iacobi, vt moris illi erat, se viuo nunquam liberatum iri. *Meyerus, Oudegherstius, &c.*

Ioannes Aroasiensis & Henniacensis Antistes, moritur. Illi in Henniacensem succenturiatus est Sedem Richardus, seu VVicardus, qui Marcoli anno 1228. Translationi Sanctæ Bertiliæ interfuit: in Aroasiensem verò Bartholomæus, qui tres solummodò præfuit annos.

CHRISTI AN. 1218. *Macthildis Lusitana mors.*

HONO. 3. PAPÆ AN. 4.

ANNO 1218. Macthildis Lusitana, Ferdinandi Comitis Amita, Furnis prid. Non. Martias fato concedit. Eius funus primò in Dunense Cœnobium delatum est, posteà verò in Burgundiam ad Claram-Vallem. Adam, Morinorum Pontifex, testamenti eius executor permagnam egenis atque sacris ædibus pecuniam distribuit. *Meyerus.*

Eodem

Bochard. Auesnensis moritur. *Margareta cum Gulielmo Dāpetrā Nuptiæ.*

Eodem anno, Bochardo Auesnensi defuncto, Margareta, Ioannæ Principis Flandriæ Soror, Gulielmo Dampetræ, Burgundici Sanguinis viro, nobili quidem, sed rerum non admodùm affluenti, vxor collocatur.

Calculorū lusus.

Sacerdos in Rubroch dum calculis ludens, Sancto Bertino malam imprecatur pestem, accepto diuinitùs colapho, concidit, triduumque velut exanimis iacuit. *Iperius.*

Otho Imp. moritur.

Otho Cæsar moritur apud Brunouicum, clade ad Bouinas acceptâ nobilis.

S. Iacobi Xenodochium Atrebati.

Atrebati, Nicolaus *de Rullecourt*, Sarrâ Coniuge in vota manibus pedibusque eunte, Beati Iacobi Xenodochio, quod iuxta Sancti Auberti parœciale Templum tunc sedebat, (Nunc seruit locus vsui prophano) possessiones sustinendis, & accipiendis pauperibus impertit. Audiamus, si placet, ex vetere Monumento MS.

GVIDO, DOMINVS D'INCY ET DE VVARNCOVRT, *notum facio, quòd Nicolaus* de Rullecourt, *homo meus, concedente Sarrâ Vxore suâ, & Anselmo & Ioanne Filijs, dedit Decimam, & vendidit terragium, quod de me tenebat, apud* Rullecourt, *Hospitali Sancti Iacobi, prope Sanctum Aubertum, in Atrebato, quorum omnem iustitiam liberè reddidi, etiam præfato Hospitali. Actum 1218. mense Februarij.*

Fratres Sancti Iacobi rexere.

Id quidam Religiosi, Fratres Sancti Iacobi nuncupati, sub Priore administrabant, vt ex litteris Theodorici *d'Trechon*, Regi Gallorum à Consilijs, datis 22. Martij an. 1303. patet; quo tempore, Frater Nicolaus, Prioris muneribus fungebatur. *Ex Archiuis opidi Atrebatensis. Vide infrà ad annum 1228.*

HONO. 3. PAPÆ AN. 5.

Nono Kal. Ian. Monachi Aquicinctini nouum Ecclesiæ suæ Chorum subeunt, Euerardo Ambianensi Episcopo præsente. *Chron. Aquic.*

CHRISTI AN. 1219. *Ludouici aliorūq; ad sacrā militiam profectio.*

ANNO 1219. Ludouicus Primogenitus, noster Princeps, Galterus Fani Sancti Pauli Comes, alijque innumeri, ad sacram militiam, alacerrimis animis proficiscuntur.

Damiata expugnatur. *Hierosolyma paucis saluis euertitur.*

Damiatâ, Ægypti vrbe per Leopoldum Austriæ Ducem expugnatâ, Conradinus, Saracenus Saphadini Filius, Hierosolymam, de eâ retinendâ desperans, muris nudatam, penitùs euertit, præter Templum Domini, Ecclesiam Sancti Sepulchri, & Arcem; quam Turrim Dauid appellant,

quibus solis, victus Religiosorum virorum precibus, pepercit. *Genebrardus*, *Meyerus*, *&c.*

Aquicinctinis Abbatibus ius Mitræ, Annuli, aliorūq; conceditur.

Simon hoc nomine secundus Aquicinctensis Abbas, ius Mitræ & annuli, ab Honorio Pontifice sibi, suisque Successoribus impetrat, atque Sacerdotis & Altaris ornamenta benedicendi. Hinc in Pontificijs litteris ad Simonem, sic legitur: *Eapropter, dilecte in Domino Fili, tuis precibus fauorabilius annuentes, quò Religionis obseruantiâ, & honestate vitæ, nobis te reddis meritò chariorem; ad decus & honorem nobilis Aquicinctensis Ecclesiæ, tuis preces, Mitræ ac Annuli vsum, tibi & Successoribus tuis, de nostrâ concedimus gratiâ liberali; nec non Altaris & Sacerdotis ornamenta benedicendi. &c.* Sic ibi. Vide Cantipratanum de Apibus lib. 1. c. 6. p. 3. & in illum Georgij Coluenerij S. T. D. notas, ad calcem operis.

Trinitarij Atrebatenses.

Trinitarij, quos de Redemptione Captiuorum Fratres appellamus, Gulielmi Scoti, tertij Sanctissimæ Trinitatis Ordinis Generalis instantiâ, & piorum Eleemosynis, in Beati Vincentij, Atrebatensis opidi Suburbio, Cœnobium consequuntur; cuius Templum Hugo Viennensis, Archiepiscopus Bisuntinus, præsentibus Hannibale Neapolitano, & N. Claromontano Cardinalibus, alijsque Primaribus viris, anno 1346. Dominicâ Octauam Apostolorum Petri & Pauli insequente, consecrauit. Claustrum verò elegantissimo opere construxit Ioannes Godartius, Ordinis eius Vicarius Generalis, anno nimirum 1547. obijt autem anno 1551. Iacet in Templi sui Odeio. Vir fuit suâ ætate famæ præstantis, velut & Frater Iacobus Burgesius* Atrebas; quem eo in Cœnobio, idem Godartius Monachum vestiuit, qui varijs operibus editis, & amicitiâ atque familiaritate magnatium, eruditionis & pietatis commendatione, sibi comparatâ, Duaci Cattuacorum desijt esse in viuis, anno sæculari, 1600. etiam tùm Ordinis sui Vicarius Generalis. Eam dignitatem in dicto Atrebatium Cœnobio hodiè tuetur R. P. Paulus *de Telu*, patriâ Duacenas; Aprilis penultimâ, an. 1611. Vicarius Generalis, visitator atque Commissarius Prouinciarum Franciæ, Campaniæ, Picardiæ seu Germaniæ Inferioris, & Normanniæ renuntiatus. De his ex occasione; nunc ad Chronicon reuertamur.

Eorum Tēplum. *Dedicatio.* *Claustrū.* *Ioannes Godarti⁹.* *Iacobus Burgesi⁹.*

* *Gil. le Bourgeois.*

Cœnobium Franciscanorum in Lensiensis opidi subur-

bio, per Beatum Pacificum construitur, & pòst paulò, Pontio Pontifice nostro sedente, in Sancti Saluatoris, iuxta Atrebatum etiam suburbio, velut & Valencenis, eodem Auctore, alia duo eiusdem Ordinis surrexerunt. De quibus sic ferè Molanus: *Lensy in Artesiâ, obitus Patris Pacifici, qui ante conuersionem, erat sæcularium cantionum curiosus inuentor, ab Imperatore coronatus, & indè Rex versuum dictus. Sed cùm in Castro Sancti Seuerini Beatum Franciscum prædicantem audisset, sæcularibus pompis omninò contemptis, Beato Patri professione adhæsit. Propter quod videns eum vir Sanctus ab inquietudine sæculi perfectè ad Christum conuersum, Fratrem Pacificum appellauit. Hic postmodùm in omni sanctitate proficiens, primus in Franciâ Ministerij gessit officium. Per quem inibi multi conuentus sunt erecti; inter quos Lensensis, Atrebatensis, & Valencenensis. &c.* Et paulò pòst:

Obijt autem Pacificus Lensy, siue Lendij; vbi in suburbio tenue est, sed peruetustum atque primum Regionum harum Cœnobium Franciscanorum; in cuius Ecclesiâ, extra Chorum, vetustissimum cernitur monumentum, cum huiusmodi inscriptione;

SVB HOC LAPIDE RECONDITA SERVANTVR OSSA SACRA BEATI PACIFICI, ORDINIS MINORVM, QVI IPSE PRIMVS FVIT PROVINCIÆ FRANCIÆ MINISTER.

Hactenùs Molanus in Natt. x. Iulij.

Desiderius Montis Eligiani duodecimus Antistes, corporeo carcere liberatur. Illi suffectus est Richardus de Saliaco, vir prudentiâ vitæque probitate memorabilis. Monasterij sui Ecclesiam qualis hodièque superest à fundamentis excitauit: Petrum de Collomedio Sancti Audomari Præpositum, in Canonicum & Fratrem recepit; qui Petrus posteà in Archiepiscopum Rotomagensem electus, tandem ab Innocentio quarto, Albanensis Episcopus est factus, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.

CHRISTI AN. 1220. ANNO 1220. Martij 25. Radulphus, Episcopus Atrebatensis moritur, atque in templo suo, Augusto sepulcro æneo donatur, addita eiusmodi inscriptione:

Quem sculptura premit, Præsul Regale redemit:
Non facit Antistes, discretos mors tua tristes;
Nam Cæli Ciuis meritorum pondere viuis.

Radulphi in locum ascendit Pontius, Atrebatensis Ar-

Cœnobiũ Frãciscanorũ iuxta Lẽsiũ Beatus Pacific⁹. Ante cõuersionẽ cantionũ inuentor curiosus Conuertitur & B. Francisco adhæret. Primus Franciæ Minister. Varios Conuẽtus erigit. Moritur Lensy. Epitaphium. Richard⁹ de Saliaco Mõtis Eligij Abbas. Eius Ecclesiã cõstruxit. Petrũ de Collomedio Monachum induit, posteà summis auctum apicibus. HONOR. 3. PAPÆ AN. 6. Radulph⁹ Episcop⁹ Atreb. moritur.

Potius ei succedit. chidiaconus, præclaris virtutum dotibus vir cumulatus, atque in pauperes admodùm liberalis. Episcopij Sacellum *Sacellum Episcopij Atreb.* exstrui curauit, ac varia Ecclesiæ suæ contulit ornamenta.

CHRISTI AN. 1221. *Trāslatio Corporis S. Itisbergæ, Bergas ad S. VVinoci.* ANNO 1221. S. Itisbergæ Pipini Regis Filiæ * Corpus, ex Monte Ariâ non admodùm abiuncto, quique ab eius sepulturâ, Sanctæ Itisbergæ mons, & vicus appellatur, Bergas ad Sancti VVinoci, per Adamum Morinorum Episcopum transfertur. Translationi interfuere Ioannes Bertinicus, VVillelmus Capellicus, VVillelmus Andriensis, Rogerus Terüannicus, Ioannes Alciacensis, Abbates. Præpositi autem VVillelmus VVatinensis, Ioannes Formosellensis, Ægidius Loanus, Ioannes ab Euersham, vnà cum Ioannâ Flandriæ Comite. *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij, 21. Maij, & 5. Aug.* HONO. 3. PAPÆ AN. 7. * Vide supra ad an. 768.

Tēplum eius valdè frequētatū. Porrò in dicto Sanctæ Itisbergæ vico seu pago, Templum est, quùm Sancti Petri Apostoli tum eiusdem Itisbergæ memorijs sacrum, fidelium peregrinationibus celebre; in quo anno 1608. Sancti Venantij Eremitæ & Martyris Corpus inuentum. *Vide suprà ad annum 768.*

Hierocomium Fani S. Pauli. Hierocomio Leprosorum, iuxta Fanum Sancti Pauli, ad Occasum constructo, bona, reditusque ampli comparantur, leprosis ipsis, Fratribus, cæterisque seruitoribus qui rem quùm spiritualem tum temporalem administrabant, fouendis & alendis. In benefactoribus, Galteri *de Halluuin* pietas potissimum reluxit.

Petrus Abbas Mareolensis. Petrus, Patriâ Atrebatensis, sextus Mareolensis Cœnobij Abbas instituitur. Hic per annos ferè 24. locum est moderatus, quo tempore amplas possessiones Monasterio suo conquisiuit.

Mense Septembri Elizabetha Fani Sancti Pauli Comes, ratos habet terminos, quos Hugo eius Pater fixerat, pro amplitudine Banliui * ipsius opidi designanda. * Gal. *Banlieu.*

CHRISTI AN. 1222. *Senatorū & Prætoris Lēsiensis opidi renouatio.* ANNO 1222. Ludouicus Princeps, ab Elizabethæ Hannoniæ Matris obitu, anno supra tricesimum quarto, datis Atrebati litteris, Lensiensibus legem præscribit, vt decimo quarto quoque mense, Atrebatium nempè ritu (vt antè * notauimus) senatus, viris quà fide, quà pietate conspicuis ascitis, immò & Vrbis Prætor seu Maior, instaurentur. *Ex Archiuis opidi Atreb.* HONO. 3. PAPÆ AN. 8. *An. 1211.

Augustinianarum, siue Filiarum Dei (quod primum &

antiquum earum nomen fuit) Cœnobium, iuxta Atrebatum, in Beati Vincentij suburbio erigitur. *Monn. MSS. eiusdem loci, & Iac. Meyerus in Collect. MSS. ex Codice Georgij ab Tempsecâ, Brugensis.* *Augustinianarũ Cœnobiũ iuxta Atrebatũ.*

Earum Patrona seu Diua Tutelaris prima, indubiè Sancta Magdalene fuit; & idipsum ad eius solenne Festum annuè satis profitentur; vt de eius ad Aram Imagine sileamus. *S. Magdalene prima Patrona.*

Si qui autem, vndè id nominis FILIÆ DEI, traxerit originem, quærant: certè id solùm habeo quod dicam: Gulielmum Episcopum Parisiensem, Libri, cui titulus, *Rhetorica Diuina*; Auctorem, hâc ipsâ ætate suis concionibus complures mulierculas, turpi Corporis quæstu viuentes,* Lupanaribus extraxisse, ijsque domum nouam, quam FILIARVM DEI nuncupauit, Lutetiæ excitasse. An verò talia Augustinianis nostris fuerint initia, indoctum illud vsurpo verbum, Nescio; hoc autem audeo adseuerare, Regularem sub Beati Augustini instituto disciplinam ad amussim hodiè florescere, & floruisse, ex quo Petronilla Carnella, Ioannis Hourierij relicta, id Cœnobium Martijs flammis exhaustum, postliminiò reparauit. *De quâ vide ad annum 1438.* *Filiæ Dei primùm vocata. Vndè?*

* Vide Chronic. Aub. Miræi ad annũ 1225.

*In Monasterio Sancti Bertini erant quædam Moniales, quæ dicebantur Conuersæ, sub habitu Religionis, non tamen sub professione Regulari, inter duas portas Monasterij, iuxta Ecclesiam Sancti Martini commorantes, de eleemosynâ Monasterij viuentes, in hospitali pauperibus seruientes, vestes sacras & ornamenta Ecclesiæ, quùm opus esset, consuebant & abluebant. Expertus Dominus Abbas noster**, *multas, per easdem Monachales, Ecclesiæ molestias, & Religioni non conuenientia prouenire; consilio & auxilio Domini Romani, Sancti Angeli Diaconi Cardinalis, Sedis Apostolicæ in Galliâ Legati, eas de Monasterio eiecit; & loco earum sunt tredecim institutæ præbendæ, quæ per Eleemosinarium pauperibus mulieribus dantur.* Iperius ijsdem verbis. *Moniales Conuersæ in S. Bertini, ad Sãctũ Audomarũ. Earum Officiũ. Monasterio exiguntur. Tredecim Mulierum pauperũ ibi præbendæ.*

* *Ioannes.*

Daniel, Gulielmi Patris in Bethuniensem Aduocatiam Successor, multis virtutibus excellens, sed liberalitatis in sacra loca comprimis, atque ideò Philippo Augusto Gallorum Regi, Sancti Ludouici Auo, percharus, & hoc nomine inter Regni Proceres abs anno 1215. cooptatus; Canonicis Bar-ptolomæanis præbendas Diaconales duas, & triennio euoluto totidem Subdiaconales contulit, quùm

anteà Cantoris dignitatem adiecisset.

Idem Chocquense Cœnobium mirificè adauxit. *Vide ad annum 1230.*

Bethuniensium priuilegia confirmauit: singula Reipub. negotia, arbitrio Scabinorum eiusdem villæ gerenda regendaque commisit.

Castrum Bethuniense bellis & vetustate deficiens restaurauit; quod subsequentibus temporibus etiam præstiterunt Endo, seu Odo, Burgundiæ Dux, & Maximilianus Austriæ Archidux. *Vide infrà ad an. 1578.*

Est autem dictum Castrum in eminentiori Vrbis parte miræ antiquitatis, Gubernatori Regio ad habitandum concessum; & mouentur hinc dominia longè nobilissima, solentque haberi 12. Pares Castri Bethuniensis. *Sic ferè Grammayus.*

CHRISTI AN. 1223. *Philipp⁹ Augustus Rex moritur. Succedit Ludouicus iix.* ANNO 1225. Moritur Philippus Augustus, Galliarum Rex; cuius Regnum adeptus Ludouicus eius Primogenitus, triennio solùm possedit. Hic Albigenses Hæreticos, auctoritate fretus Apostolicâ, toto Regno persecutus est & subiugauit, atque Auenionem expugnauit, inchoatam à Patre expeditionem absoluens. HONOR. 3. PAPÆ AN. 9.

S. Thomas Aquinas nascitur. S. Thomas Aquinas, futurus insignis Ecclesiæ Doctor, cognomento Angelicus, idemque Theologorum, vt vocant, Scholasticorum Princeps, in Italiâ feliciter nascitur. *Miræus.*

Franciscanorum Cœnobiū iuxta Atrebatū. Franciscani, velut paulò antè dixi *, in Atrebatensium suburbijs, à Sancto Vincentio nomen habentibus (vndè vt notat Iacobus Guisius, lib. 21. Chron. Hannoniæ, cap. 142. Fratres Sancti Vincentij principiò sunt vocati) magno populi applausu, exindè fructu accipiuntur, ijsdemque Cœnobium, ad ipsas opidi, quâ Orientem spectat, fossas, Pacifico negotium promouente, construitur. *Molanus* x. *Iulij, Meyerus in Collect. MSS. ex Georgio Tempsecâ. Vide infrà ad annum 1524.* * ad an. 1219.

Ferdinād⁹ Comes necdum carcere soluitur. Hâc tempestate institit Ioanna Flandriæ Princeps quantâ potuit diligentiâ, pro Ferdinandi mariti redemptione. At Ludouicus paternum secutus exemplum, iurauit, se illum, dum viueret, non dimissurum. *Meyerus.*

Hâc ferè tempestate, Honorius tertius, Pont. Max. missis ad Baiocensem Episcopum litteris, seuerè inhibet,

ne ius

ne ius Ciuile Lutetiæ Parisiorum aut vicinis illi locis, vllo pacto prælegatur. Adsunt Pontificiæ litteræ, & in ijs caussa: *Super specula, &c.* Et infrà. *Sanè licet Sancta Ecclesia Legum Secularium non respuat famulatum, quæ æquitatis & iustitiæ vestigia imitantur: quia tamen in Franciâ & nonnullis Prouincijs, Laici Romanorum Imperatorum legibus non vtuntur & occurrunt rarò Ecclesiasticæ caussæ tales, quæ non possint statutis Canonicis expediri, vt pleniùs sacræ paginæ insistatur &c.* Et infrà. *Firmiter interdiximus, & districtiùs inhibemus, ne Parisius, vel in Ciuitatibus, seu alijs locis vicinis, quisquam docere vel audire Ius Ciuile præsumat. Et qui contra fecerit, non solùm à caussarum patrocinijs interim excludatur, verùm etiam per Episcopum loci, excommunicationis vinculo innodetur.* Sic ibi; & pariter exhibet liber quintus Decretalium, tit. 33. cap. 28. Super specula. Vndè miror Genebrardum Gregorio nono; Middendorpium autem Innocentio tertio, eam inhibitionem tribuere. Hunc in Academijs lib. 6. illum in Chron. l. 4. Consule.

Parisijs Ius Ciuile doceri prohibetur.

Litteræ Pontificiæ.

HONO. 3. PAPÆ AN. 10.

CHRISTI AN. 1224.

ANNO 1224. *Iesus Christus, Dei Filius, dilecto suo Francisco*, viro Beato, per obumbrationem apparens, in memoriam Dominicæ Passionis, sui Sacratissimi Corporis stigmata, consimilibusque paudentibus membris, in Beati Francisci Corpus impressit.* Matthæus Palmerius Florentinus in Chronico ijsdem verbis.

S. Franciscus Christi stigmatibus insignitur.

* Notat Meyerus baptismale nomen Ioānem fuisse; sed Franciscum à Francis nuncupatum. *...ms. Annales consule ad an. 1226.*

Obit Adela, quinta Strumensis Cœnobij Antistita. Illi Agnes succedit.

Agnes Strumensis Antistita.

HONO. 3. PAPÆ AN. 11.

CHRISTI AN. 1225.

ANNO 1225. Bertrandus Rainsus Remensis, ex Campaniâ oriundus, qui se reducem esse Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum, ante aliquot annos à Bulgaris captum vulgarat, finxeratque, à Ioannæ Flandrorum Comitissæ ministris comprehensus, Insulis Flandrorum, in quâ vrbe coronam Imperialem gesserat, suspenditur, & laqueo vitam finit. *Iperius, Lipsius lib. 2. Exempl. Polit. c. 5. Meyerus, &c. vide ad annum 1205.*

Bertrandi supplicium, qui se Balduinum Imp. Flandriæ Comitem finxerat.

Iterùm nullis non, à Ioannâ Flandriæ Comite, tentatur modis, quo captiuitate liberari Ferdinandus possit. Blanca Regina, sanguinis necessitudine, Ferdinando coniuncta, multis apud Regem maritum precibus tandem obtinet, vt, seruatis quibusdam conditionibus, liberetur; at ijs acquiescere non voluere Flandri. *Iperius, Meyerus.*

Ferdinandus vt carcere liberetur Ioanna obtinet, at seruatis quibusdam conditionibus.

Guido Comes S. Pauli.

Moritur Galterus Castillonius, Fani Sancti Pauli Comes, relictis ex Elizabethâ Camdauenensi, liberis, Guidone Successore, & Hugone atque Eustathiâ. Vsus est Guido hoc titulo:

GVIDO DE CASTELL. BONÆ MEMORIÆ COMITIS SANCTI PAVLI, PRIMOGENITVS.

Fons perta Miolana Atrebati.

Atrebati, in Portâ Miolanâ, fons aquæ lympidissimæ effoditur, magnoque ciuibus est commodo. *Georgius ab Tempsecâ; & ex eo Meyerus in Collect.*

CHRISTI AN. 1226. Ludouicus viij Gall. Rex moritur. | GREGORII NONI PAPÆ AN. I.

ANNO 1226. Ludouicus octauus Galliarum Rex, idemque noster Princeps, vitâ defungitur apud Mompenserium, in Aruerniâ, anno ætatis quadragesimo, filios suos impuberes relinquens, à quibus gloriæ plurimum est consequutus. Ii Porrò fuerunt:

Eius liberi.

BEATVS LVDOVICVS Rex,

ROBERTVS, primus Artesiæ Comes,

ALFONSVS Pictauiæ & Tholosæ Comes,

CAROLVS Andegauiæ & Prouinciæ Comes,

PHILIPPVS, qui in ætatis primæuo flore decessit; &

ELIZABETHA, quæ in Longo-Campo Virginitatem professa est.

In eo redijt Caroli magni sanguis.

Porrò fertur in Ludouico octauo, & posteris Francorum Regibus Caroli Magni Imp. sanguinem redijsse, materno genere: cuius meminit Decretalium liber secundus de Iudicijs, tit. primo, cap. 13. vbi Innocentij 3. Pont. Max. Decretalis ad Prælatos, per Franciam constitutos transmissa; in quâ sic lego: *Nouit ille qui nihil ignorat, &c.* Et infrà: *Non putet aliquis, quòd iurisdictionem Illustris Regis Francorum**, *perturbare aut minuere intendamus; &c.* Et post multa: *Nec sic illud humillimum omittamus, quod Theodosius statuit Imperator, & Carolus innouauit, de cuius genere Rex ipse* noscitur descendisse. &c.*

* Ludouici.

* Ludouicus.

Non dimittamus Ludouicum, sine Chronographico:


Vt LoDoICe tIbI CresCIt haC, IstáqVe proLes;

QVanta soLo, & CæLIs te generasse pVtas?



ROBERTVS TERTIVS ARTESIÆ DOMINVS.

CHRISTI AN. 1226. GREGORII NONI PAPÆ AN. I.



NNO 1226. ROBERTVS, BEATI LVDOVICI Frater, adhuc impubis, ex Ludouici Patris testamento, Artesiæ Dominus dictus est; primus eiusdem futurus Comes. *Vide infrà ad annum 1237.*

Thomas de Argentolio, Ecclesiæ Atrebatensis Præpositus, ob assertam iustitiæ & libertatis Ecclesiasticæ caussam, in ipso Cathedralis Ecclesiæ gremio trucidatur. Vndè in eius Ecclesiæ tabulis sic legitur: *Quùm tempore administrationis Pontij Episcopi, Thomas de Argentolio, Præpositus Ecclesiæ huius, esset à quibusdam Sicarijs, in gremio Ecclesiæ, horâ matutinali, peracto officio interemptus; ortâ suspicione, quòd Bailliuus Atrebatensis, neci eius conniuentiam præbuisset, aut saltem remissus fuisset in iustitiâ exhibendâ; idem Episcopus memoriæ recolendæ, contra eundem Bailliuum, caussam in Regali curiâ, sumptibus proprijs est prosecutus. Itaque post multos labores & sumptus graues, ibidem Bailliuus Atrebatensis fuit sententialiter ab officio Bailliuaæ remotus, perpetuò eius instantiâ operante.* Hactenùs ibì: eiusdem Thomæ meminit Molanus in Natt. 2. Iunij. *Thomas de Argentolio, Eccl. Atrebat. Præpositus interficitur.*

Daniel, sextus Bethuniensis opidi Aduocatus, eius pomœrium, ductis muris (modico prædio, in piscinæ, seu stagni piscarij vsum, reseruato) ciuium commoditati dilatat. *Ex Arch. opidi Bethun.* *Bethuniensis opidi pomœrium dilatatur.*

Sancto Ludouico patria sceptra adepto, Ferdinandus Comes, post annos duodecim atque menses quinque, ex Parisiacâ custodiâ, redditur libertati. *Ferdinandus Comes asseritur libertati.*

Sauaricus Malleolensis, summo inter Aquitanos loco natus, Poëtas Gallos, suo sermone versus similiter desinentes, qui Rythmi vulgò appellantur, conscribentes, magnis honoribus &, prœmijs afficit. *Massonus.* *Rythmi Gallici in pretio habiti.*

Rythmorum autem vsum à Siculis ad Italos transijsse, Petrarcha præfatione ad Epistolas familiares, fatetur. Illum audite: *Hoc genus Rythmorum apud Siculos, vt fama est, non multis ante sæculis, breui per omnem Italiam, ac longiùs manauit; apud Græcos olim, ac Latinorum vetustissimos celebratum. Siquidem & Romanos vulgares Rythmico tantùm carmine vti solitos accepimus.* Sic ille. *Rythmorum primi inuentores.*

Christi An. 1227. *Viuariēse Monasteriū fūdatur.*

Anno 1227. Asceterium Viuariense*, sesquimilliari abs Atrebato remotum, per N. V. Eustathium, Nouævillæ Dominum, Eustathij ex Adelâ Filium, ad Beatæ Virginis Mariæ honorem construitur, ac Virginibus Cisterciensem Regulam professis incolendum traditur. Frater Henricus Falempinensis, Ordinis Prædicatorum Religiosus, Eustathij rogatu, operibus institit, atque sacrarum Virginum societati idoneum perfecit. Prima Antistitarum Bertha vocabatur. Hodiè R. D. Maria Rocurtia*, eaque vicesima quinta præest, variorum, quæ seu lapsu temporum, seu iniuriâ bellorum corruerant, ædificiorum reparatrix. Gregorius IX. Alexander IV. Innocentius IV. alijque Pontifices Maximi, istis ædibus diplomata dedere, quibus priuilegia alia conceduntur, alia confirmantur. *Ex Monn. MSS. eius loci.*

Greg. 9. Papæ An. 2.

* Gal. *Viuier.*

* Obijt an. 1612. ætatis suæ 73. Illi successit Helena *Caudron*, ex Parœciâ S. Nicolai apud Atrebates oriunda.

Reginaldus Bononiæ Comes, libertati redditus, moritur.

Reginaldus Domp-Martinensis, Bononiæ Comes, in Bouinensi prælio captus, atque à Rege per 13. annos Peronæ in custodiâ reclusus, abs carceris & corporis vinculis seu molestijs liberatur. *Iperius.*

* Vide suprà ad an. 1214.

Christi An. 1228. *S. Bertiliæ Corpus in nouam Thecam transfertur.*

Greg. 9. Papæ An. 3.

Anno 1228. Quùm vas primum, in quo Sanctæ Bertiliæ Corpus Mareoli asseruabatur, sacrilegi aliqui auro argentoque denudassent; Petrus eius loci Abbas, ordine sextus, nouum, idque elegantius præparat; in quod Pontius Atrebatensis Episcopus, IIX. Id. Octobris, magnâ cum solemnitate, sacrum pignus reposuit, præsentibus Petro Abbate, Roberto Decano, Bartholomæo Archidiacono, Atrebatensibus; Petro Aroasiensi, VVicardo Henniacensi, Richardo Montis Eligiani Abbatibus, & Agnete Strumensi Antistitâ. De quâ Translatione huiusmodi versus leguntur:

Anno milleno, bis quarto, bis quoque deno,
Atque ducenteno, sub P. Pastore sereno*
Idibus octauis Octobris, odore suauis,
In vas è vase fecit Bertilia Phase.

* *Pontius Episc.* vel *Petro Abb.*

Ex Codice MS. eius loci, & Molanus in Natt. 3. Ian.

Ioannes à Basseiâ Abbas S. Vedasti.

Odo 51. Vedastini Cœnobij Præsul, mortem oppetit, atque in Sanctorum Ioannis Baptistæ & Euangelistæ Sacello tumulatur. Illi succedit Ioannes à Basseiâ, qui excellentes muneris sui partes obiuit. Erat priùs Gorræ* iuxta Bethuniam Præpositus.

* Gal. *Gorre* seu *Gorgue*; est Præpositura Cœnobij Vedastini.

Atrebati, Xenodochio Sancti Iacobi, de quo ad annum 1218. diximus, nouæ possessiones comparantur. Audiamus ex vetere MS. *Ego Manasses* Cauderons, *Dominus* de Sauty *miles, notum facio quòd Rogerus* li VVauassor de Rullecourt *Ligius, homo meus, vendidit prædicto Hospitali* [S. Iacobi] *me concedente, & Mariâ* Ricquitere, *Vxore eius, triginta mench. terræ, in vnâ peciâ, quas de me tenebat in feudum apud* Rullecourt. *Actum 1228. 6. Calend. Iunij.* Ex Archiuis Atreb. Xenodochium S. Iacobi Atreb. ditatur.

Gandauum, vndequadraginta virorum ordine ab Ferdinando Comite constituto, multis publicis operibus, ijsque conspicuis decoratur; nullâque non parte eius pomœria proferuntur. *Meyerus, Oudegherstius, &c.* Gandauense oppidum amplificatur.

GREG. 9. PAPÆ AN. 4.

CHRISTI AN. 1229. ANNO 1229. Adamus, Morinorum Episcopus, postridie Festi Paschalis, Clero & populo valedicens, relicto Episcopatu, in Clara-valle fit Monachus. Post cuius obitum Canonici Morinenses Petro à Collemedio* Italo, natione Gampano, Collegæ suo apud Tolosam, contra Albigenses, auctoritate Apostolicâ occupato, Episcopatum, missis legatis detulerunt. Sed Petrus, qui Turonensem Metropolim, & alias Sedes Cathedrales recusarat, Morinensi itidem reiectâ, Præpositus Ecclesiæ Sancti Audomari fieri maluit; ad quam dignitatem eius loci Canonici, ipsum pariter euocabant. Morinenses itaque Petrum Douyssium, Flandriæ Archidiaconum, sibi Episcopum elegerunt, postquàm sedes anno integro vacasset. Sed enim vt virtus æternùm latere non potest, Innocentius quartus Pont. Max (sedere cœpit anno 1244.) Petrum à Collemedio, in Concilio Lugdunensi, anno 1245. Cardinalium Collegio adgregauit. *Iperius, Meyerus, Miræus, Demochares, &c.*

Adam Morinorum Episcopus Præfecturam abdicat.

Petrus Douyssius fit Episcopus Morinorum.

Petrus à Collemedio Præpositus Audomarensis fit Cardinalis.

* Vide suprà ad an. 1219.

VVicardus Henniacensis nonus Antistes è viuis abscessit, Successore VVlrico Aroasiensi Canonico. Hic à Capitulo generali Ordinis sui, in Burgundiam missus fuit, ad reformanda Monasteria Castellionis & de Castricijs. *Ioannes Telodiensis in serie Abb. Henn.* *VVlric⁹ Abbas Henniacensis.*

GREG. 9. PAPÆ AN. 5.

CHRISTI AN. 1230. ANNO 1230. Robertus, nomine tertius, ordine septimus Bethuniensium Aduocatus, Elizabetham, Teneremundæ Dominam sibi in Vxorem arcessit; ex quâ Mathildem genuit, quæ an. 1245. in manus iuit cum Guidone Dampetrâ, Flandriæ Comite; quò factum vt Bethu- *Roberti Aduocati Bethuniensis Nuptiæ.*

niensis

niensis Aduocatia Flandriæ Dominio accesserit, Ma&thilde Roberti Bethuniensis hærede ex asse relictâ.

Bethuniense opidum muris cingitur.

S. Barptolomæi Tēplum ibidem erigitur.

Idem Robertus iuxta vetustissimum firmissimumque Bethuniensium Aduocatorum Castrum, ipsum opidum fossis & mœnibus cinxit, atque propugnaculis muniuit. Simulque Beati Bar-ptolomæi Canonicorum Templum cooperantibus Daniele Fratre, Elizabethâ Coniuge, atque VVillelmo Patre (qui omnes eo in Templo, communi Sepulcro continentur) eodem in opido fertur erexisse.

Chocquēse Cœnobium bonis augetur.

Iisdem auctoribus, si Balduinum VVillelmi Fratrem adiungas, Chocquense Monasterium, varijs possessionibus cohonestatur. Vndè Aduocati Bethunienses meritò eius loci fundatores præcipui habentur.

Robertus Bethuniensis moritur.

Obijt porrò Robertus Bethuniensis in Sardiniâ, ad sacrum bellum profectus; cuius commemorationem & Elizabethæ Coniugis, Bethunienses Canonici, solennibus exsequijs quotannis prosequuntur, quarum gratiâ centum solidos annui reditus percipiunt. *Ex Archiuis opidi Bethuniensis, & libro obituum Ecclesiæ S. Bar-ptolomæi. Vide suprà ad annum 1070.*

Franciscanorum Cœnobiū Duaci erigitur.

Cœnobium Franciscanorum Duacensium fundatur. Verùm à quibus id pietatis, ignoratur, ob triste eius domus incendium, quod ab hinc annis ampliùs quinquaginta contigit. Vndè Franciscus Gonzaga, eius Ordinis Generalis minister, libro suprà memorato; *De Conuentu* (inquit) *in vrbe atque almâ vniuersitate Duacensi Cathuacorum, ad Scarpis fluminis ripam extructo, nihil antiquum, neque in Archiuis Conuentus, neque in vrbis Annalibus inueniri potuit, quòd Conuentus ab hinc triginta annis, fortuito incendio conflagrarit: Domus etiam Ciuica, cum omnibus antiquitatis monumentis & libris, ante annos ferè centum, simili damno fuerit affecta. Attamen quantùm ex vetustissimis quibusdam sepulturis marmoreis conijcere licet, videtur initia habuisse circa annum Domini 1230. operâ & eleemosynis, quorundam nobilium & piorum ciuium.* Hactenùs ille.

Ioannis Abbatis Bertinēsis mors; & Elogium.

Ioannes Abbas Bertinensis, Corporis ergastulo liberatur, postquàm annos XLIV. laudabiliter præfuisset. Sepultus est in Beati Dionisij Sacello, quod ædificarat, donatusque eleganti Cenotaphio. Eius porrò elogium est tale:

Omni-

Omnibus annis
Vita Ioannis
Laude nitescit:
Et meritorum
Mole suorum
Nocte di escit.
Pastor herilis,
Mente senilis,
Corde pudicus,
Ore benignus,
Culmine dignus,
Pacis amicus:
Iuris amator,
Fit mediator
Seditiosis:
Iurgia calcans,
Scismata falcans
Ex animosis.
Iam tener æuo
Fit sine næuo
Flos Lobiensis.
Quem prope portum
Duxit ad ortum
Burgus Hyprensis.
In grege Claustri
Filius Austri
Non Aquilonis.
Fit benè parens
Et vice clarens
Hilarionis.
Grammata discit,
Dogmate gliscit,
Ipse futurus
Pastor honestus
Non ita festus
Sed Palinurus.
Inde Parentis
Sponte ruentis
Famina lingit.
Ordinis ense
Se Stitiensi
Flumine tingit.
Tu Simon isti
Non nisi Christi
Motus amore,
Das tua gratis
Dum probitatis
Viuis honore.
Vt foret hæres,
Vtque foueres
Pignus herile:
Primò Sodalis
His datur aris;
Hinc ad ouile.
Linquit onus Simon, pronus
Subit iste pusillus.
Culmen adeptus
Dogmata cœtus
Vera docebat;
Quæ tamen imo
Pectore primò
Promptus agebat.
Iurgia pellit,
Noxia tollit,
Plantat honesta.
Ira recedit,
Cœtus obedit
Mente modesta.
Prosperitatis
Vel grauitatis
Tempore fortis,
Non titubauit,
Sed solidauit
Corda cohortis.
Sæpè rapinas,
Crebrò ruinas
Vimque ragorum
Passus, ouabat,
Spe reparabat
Cor timidorum.

Nec vaga tangunt,
Nec probra frangunt
Mentis acumen.
Sic stabilitur,
Sicque potitur
Numine lumen. &c.

Hactenùs ex Iperio, quem tamen hoc in genere vide prolixiorem.

Iacobus Abbas Bertinensis. Porrò Ioanni suffectus est Iacobus, origine Furnensis, atque à Petro Morinensium Episcopo recens sacro inauguratus.

Ioannes Abbas Henniacensis. VVlricus Henniacensis Monasterij decimus Antistes, vitâ defungitur, dignitate Ioanni tertio priùs concessâ.

Brugensis Præfecturæ, quam liberam vocant, Senatoribus perpetuus Magistratus à Comitibus datur. *Vide infrà ad annum 1240.*

Marketense Cœnobium fūdatur. Markettense Cœnobium, iuxta Insulam, ab Ioannâ Principe erigitur; vbi cum Fernando marito iacet sepulta. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1231. *Pontius Episcop. Atreb. moritur.* ANNO 1231. Quarto Nonas Septembris, Moritur Pontius Episcopus Atrebatensis, atque in templo suo, è Principis altaris regione, sub mensâ æreâ conditur, cui insculptum tale Epitaphium: *GREG. 9. PAPÆ AN. 6.*

Quem modo Mors nestit, hic Pontius ille quiescit,
Qui minimis parcens, arcendos fortiter arcens,
Atrebatum rexit: hunc nulla potentia flexit.
Mens pia, munda caro; quod habent nunc secula rarò.
Iugis ei munus det vitæ trinus & vnus.

Asso Pontij successor. *Albigensium egregius Antagonista.* Pontij partes Asso Austrouanensis Archidiaconus excepit, vir pari scientiæ, prudentiæ & virtutis encomio celebris; idoneus prorsùs Antagonista, qui se Albigensium tunc per hos tractus grassantium conatibus fortiter obijceret; eosque verbi diuini, quo plurimùm valebat, prædicatione & terrore, in Diœcesi suâ quiescere non pateretur. Eius Pater Rainerus Mater Adelidis vocabantur, vt monumenta MSS. Mareolensis Cœnobij attestantur.

Sacellanias Eccl. Atreb. auxit. *Aedes Decani eiusdem Eccles.* Templi sui Sacellanias auxit, Fratremque ibidem Decanum habuit, qui ædes suas, quas perinsignes habebat, suis Successoribus Decanis, gratis incolendas perpetuò tradidit. Videamus quid de eo tabulæ Ecclesiæ Atrebatensis: *Eo regente Ecclesiam Atrebatensem, Castellanus Duacensis, VValterus nomine, nitens fraudulenter ea quæ apud* Vitriacum, ad censam perpetuam, de Episcopatu tenebat, mutare in feo-* ** Gal. Vitry.*

dum

dum, in Regali curiâ, vbi quæstio terminari debuit, inter se longo tempore litigauerunt. Demùm ibidem, vt exindè Censuarius remaneret perpetuus, sententialiter exstitit definitum. Caussam quoque quam Antecessores sui Episcopi, pro iure & libertate Atrebatensis Ecclesiæ, in Romanam mouerant curiam contra Monachos S. Vedasti vt in Sancti Petri, S. Mariæ Magdalenæ, in Castro Atrebatẽsi Ecclesijs; S. Michaelis iuxta Atrebatum, DE GORRE & BERCLAV *Prioratibus, locisque alijs & Ecclesijs, sub eorum existẽtibus Patronatu, Visitationis officium exercerent, suo tempore sustinuit viriliter & constanter: quam præuentus morte, vultra litis contestationem prosequi nequiuit. &c.* Hæc ibi.

Vitriacensis Villa Episcopi Atreb. Atrebat. Ecclesia S. Petri. S. Mariæ Magdalenæ; Nostræ Dominæ in castro; Prioratus S. Michaelis; De Gorre. De Berclau.

Mense Nouembri, Fani Sancti Pauli ciues singulare priuilegium ab Guidone Castillonio impetrant, quo quisque vili admodùm pretio possit domesticam ligneam supellectilem annuè sibi comparare, ex proximâ siluâ petendam. Excipio tamen caupones, pistores, coquos, cereuisiarios, & id genus.

Portâ Ronuillanâ opidi Atrebatensis, fulmine ictâ, Vedastini Monasterij Ascetæ incendium extinxerunt. *Georgius ab Tempsecâ Brugensis.*

CHRISTI AN. 1232.

ANNO 1232. Moritur in obsidione Auinionensi Guido Castillonius, Elizabethæ, adhuc superstitis Filius, & ex eâ Fani Sancti Pauli Comes, Hugone Filio Successore. *Bresinius.*

GREG. 9 PAPÆ AN. 7. Hugo Comes S. Pauli.

Emma, Sauguualonis HAKELIN relicta, Cœnobio Mareolensi Hydromylam (molendinum volgò) in pago D'ANZAING, ad Scarpæ marginẽ sitam, adsensu Ioannis Vedastini Abbatis, dono impertit. Beneficentiæ huius adsunt litteræ: *Omnibus hoc scriptũ visuris, Ioannes Dei permissione Sancti Vedasti in Atrebato dictus Abbas, & eiusdem loci conuentus, salutem in Domino sempiternam. In nostra propter hoc Atrebati præsentiâ constitutis Charissimo in Christo Petro Abbate de Mareolò ex parte vnâ; & Emma relicta Sauguualonis* HAKELIN *ex altera, dicta Emma spontanea recognouit se quicquid à nobis tenebat in Molendino apud* ANZAING, *dedisse in eleemosynam, pro sua, dictique mariti sui, ac vtriusque parentum animabus, iam dicto Abbati & Ecclesiæ de Mareolo; illudque eis per manum nostram benè legitiméque vverpiuit. Ipse verò Abbas confessus est viua voce, se & Ecclesiam suam debere eidem Emmæ tredecim solidos parisiensium singulis septimanis ei, vbicunque ipsa*

Cœnobio Mareolensi Molendinum datur.

manserit, siue Atrebati, siue infra tres Leucas, prope Atrebatum in domo sua reddendos. Tenetur etiam eadem Ecclesia ipsi E. Bladum suum molere sine custu pretioque multura, quantum sibi suaque ad Furnandum & ad esum panis, familia opus erit, illudque portare ac reportare ad domum in qua, sicut dictum est, ipsa manebit, in proprijs Abbatia quadrupedibus & vecturis. Has itaque conuentiones prafati Abbas & Ecclesia de Mareolo, memorata mulieri, quamdiu ipsa vitam habuerit in corpore, & in quocunque statu, vel habitu fuerit, bona fide tenentur legitimè sine dolo, omnique malo ingenio, firmiter obseruare. &c. Et paulò pòst: *Postquàm ergo ipsa diem clauserit extremum, sapè dicti Abbas & Ecclesia de Mareolo, à pramissis conuentionibus de catero libera remanebit penitus & immunis, habito pro constanti, quòd profectus, quos mulier sapè fata in supradictis habuerat molendinis, in procurandum vinum ad refectionem conuentus, post mortem ipsius Emma, & non in vsus alios, conuertentur. Quod vt memoriter & firmiter teneatur, prasentem paginam inde factam, ad instantiam partium, sigillorum nostrorum testimonio duximus roborandam. Actum anno Dominica Incarnationis* CIↃ. CC. XXXII. *Mense Aprili.* Sic ibì.

Cui vsui.

Eodem anno Odo Decanus & Presbyter DE HERLIES possessiones quas in territorio de Nigella habebat, eidem Mareolensi Monasterio concessit. Hinc in Monn. MSS. eius loci: *Ipse Odo quandam terram sitam in territorio de Nigella iuxta Hinniacum, pro xxx. & vi. libris Parisiensib. comparauit, quam in eleemosinam nobis contulit, ea conditione quòd pars media prouentuum terra illius, scilicet nouem mencoldi frumenti, debet cedere ad prouidendum luminare ante Corpus B. Bertilia Virginis: Reliqua verò pars reseruabitur ad anniuersarium suum, & Patris & Matris eiusdem faciendum, ita quod quinque mencoldi ad diem obitus sui assignabuntur, vt Fratres nostri pleniùs solito reficiantur vino & piscibus: residuique quatuòr ad Diem obitus Patris & Matris. Hoc idem concessit Dominus Petrus Abbas noster sextus, annuente nostro Capitulo, cuius tempore actum est & statutum, Anno* CIↃ. CC. XXXII. Sic ibì.

Alia eidem Monasterio concessa.

Per hæc tempora Gregorius Pont. Max. libros quinque Decretalium, eo quo nunc sunt ordine, digeri curauit per Raimundũ Barchinocẽsem. De ijs placuit cuidã scribere:

Decretalium libri quinque.

Sunt Decretales ter mille, sed absque nouem bis,
Bis centum tituli, sed quindenos remouebis.

Statuit

Statuit Laicos, cuiuscunque essent ordinis, concionari non posse.

Item vt ad Eucharistiæ confectionem, & ad salutationem & laudes Beatæ Virginis, Campanæ pulsentur. *Vide Mariale nostrum lib. 7. c. 16.* *Campanæ pulsus ad Consecrationem Eucharistiæ, &c.*

GREG. 9. PAPÆ AN. 8. ANNO 1233. Ferdinandus Flandriæ Comes, septimo ab receptâ libertate anno, Nouiomi diem suum obit, morbo (vt quidam tradunt) ex calculi dolore contracto. Funus delatum est Marketam, in Virginum Cisterciensium Cœnobium.* Parentatum illi, Episcopis quatuor, omnique Flandriæ atque Hannoniæ nobilitate præsentibus. Intestina Nouiomi remansere, vbi tale eius reperitur Epitaphium: *CHRISTI AN. 1233 Ferdinandus Comes moritur.*

* Vide suprà ad an. 1230.

Fernandi Proauos Hispania, Flandria Corpus,
Cor cum visceribus continet iste locus.

Ioanna Ferdinandi Vidua, à mariti fato, laudatissimè Flandris præfuit. *Iperius, Meyerus.*

Ecclesia Sancti Gaugerici opidi Atrebatensis, (ea inter præcipuas Parœciales meritò computatur) fulmine cœlitus feritur, vndè natum incendium, nullum seu aquarum, seu aliundè quæsitum remedium admisit. *Georgius ab Tempsecâ.* *Ecclesia S. Gaugerici Atreb. incenditur.*

Dominicani Atrebatenses (hodiè BONNES NOVVELLES ab Sacello Beatæ Virgini Sacro, vocantur) in Sancti Saluatoris suburbium admittuntur, eo rectè loco, vbi Sancti Laurentij vetus Cœmeteriũ habebatur. Magnis & claris ea domus postmodùm resplenduit viris; & vt Stephanũ Priorum ibì primum sileam, Fratre Lalano, Summi Pontificis Pœnitentiario, Ludouico *VVidebien** Episcopo Gebeldensi, Morinensis Diœcesis Suffraganeo, Petro Volantio S. T. Doctore, qui verba hæc pronuntians: *Dominicani in S. Saluatoris suburbio, iuxta Atreb. accipiũtur. Cœmeterium S. Laurentij iuxta Atreb.*

Vide infrà ad an. 1515.

DeVs MeVs es tV, *& spero In te.*

animam Domino Deo reddidit, quibus in verbis annus obitus eius hic continetur M. D. VVVI.* *Cœnobiũ Dominicanorum Atreb. claruit magnis viris.*

* 1516.

Claruit etiam Thomâ à Capellâ, Fidei inquisitore, & Claustri sui structore, Dominico *Capron*, Abbate Lobiensi, Antonio Hauetio, Episcopo Namurcensi, qui Chorum Templi magnificè instaurauit, Nicolao *de Reux*, S. T. D. primo in Artesiæ Dominicanorum Prouinciale, quem præmatura mors, in ipso ætatis flore, anno 1610. demes- *Eius Claustrũ. Templi Chorus.*

fuit, alijsque quos fortean tædiosum sit recensere.

CHRISTI AN. 1234 Iacobus S. Bertini Abbas fit Monach⁹ Claromarensis. Simon Gandauensis, Abbas S. Bertini.

ANNO 1234. Iacobus, Bertinici Cœnobij Abbas, theoricæ vitæ sitiens, abdicatâ Præsulatus alterâ Purificationi (Hypapanten Græci vocant) Beatæ Virginis die sacrâ, Claromariscum appetit, ibique Bertinicis ignorantibus, Cisterciensis Ordinis Regulam profitetur. Quod quùm postmodùm ijsdem innotuisset, Iacobum *de VVasselin* in successorem elegerunt. Verùm quia apiscendæ dignitati id refragaretur solùm, quòd Monoculus esset, Petri Morinensium Episcopi suasione, atque Summi Pontificis auctoritate, Simonem Gandauo oriundum, Abbatem sibi præfici optauerunt. *Iperius*. GREG. 9. PAPA AN. 9.

Castrum villæ DE CHOCQVES (opidum olìm fuit, vide ad annum 1070.) à Balduino eius loci Castellano reparatur, nouisque ædibus augetur, Blancâ Reginâ annuente.

Peste & fame laboratur.

CHRISTI AN. 1235. Xenodochio S. Iacobi Atreb. nouæ dantur ædes.


ANNO 1235. Adelis, Nicolai *Durant*, ciuis Atrebatensis vidua, Sancti Iacobi Xenodochio, ædium quarumdam collatione, adfectum in pauperes suum detegit. GREG. 9. PAPA AN. 10.

CHRISTI AN. 1236.

ANNO 1236. Balduinus *Crespin*, iuuenis Cruce-signatus (vt habent eius litteræ), eam Adelis donationem ratam habet. *Vide an. 1218. & alibi.* GREG. 9. PAPA AN. 11.

Atque hæc de Artesiæ Dynastis seu Dominis: nunc ad eius Comites.


ARTE-



ARTESIAE COMITATVS INITIA ET PROGRESSVS.

ROBERTVS PRIMVS ARTESIÆ COMES.

Christi An. 1237.



NNO 1237. (Meyero 1236. Heutero 1238. Richardo VVasseburgio 1248.) SANCTVS LVDOVICVS Galliarum Rex, Compendij, in amplissimo totius Regni Magnatium consessu, supremũ Artesiæ Dominiũ ROBERTO Fratri datis litteris, palam vbì resignasset, adeoque supremę Ludouici Patris voluntati subsignasset: eidem Prouinciæ Comitatus titulum ac dignitatem attribuit, atque ROBERTVS PRIMVS ARTESIÆ COMES est salutatus. Ludouici Regis literæ ita habent:

Greg. 9 Papæ An. 11. D. Ludouicus Rex Artesiã cedit Roberto Fratri. Artesia fit Comitatus, Robertus primus, Artesiæ Comes.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS. AMEN.

LVDOVICVS, *Dei gratia Francorum Rex, notum facimus, quòd cùm claræ memoriæ Genitor noster Ludouicus Rex Francorum Illustris, in testamento suo ordinauerit, & pro parte hereditatis assignauerit Charissimo Fratri nostro Roberto, terram Atrebatesij, quam idem Genitor noster ex parte Matris suæ habebat, Atrebatum, Sanctum Audomarum, Ariam cum pertinentijs eorundem, & post decessum Charissimæ Dominæ & Matris nostræ B.* Reginæ Francorum Illustris, Hesdinum, Bapalmam, & Lensium cum eorum pertinentijs, quæ eadem Domina Mater nostra tenebat nomine dotali-*

S. Ludouici litteræ de Artesiæ cessione.

*1. Blanchæ.

dotali-

dotalitij, ex parte Isabellæ Reginæ, Auiæ nostræ manentia: Nos sinceritatem dilectionis, quam ad eundem Fratrem nostrum habemus, volentes per exhibitionem operis ostendere, volumus, & eidem Fratri nostro, per præsentem chartam concedimus totam terram prædictam, saluis Feodis & eleemosynis, quæ tenebuntur & reddentur, sicut tempore Genitoris nostri, sibi & hæredibus suis, iure hæreditario possidendam. Ita quod tam illam terram Atrebati, S. Audomari & Ariæ, quam anteà tenebamus, quàm illam, quam Domina Mater nostra, nomine dotalitij possidebat, cum eo iure, quod eadem Domina Mater noster in emptione habebat, quam apud Villanas fecerat, sita in feodo Lensy, tanquam hæreditatem suam teneat & possideat, & ipse nobis homagium ligium indè fecit, & hæredes eius nobis, & hæredibus nostris similiter facere tenebuntur, & nos prædictum dotalitium nomine Matris nostræ, in loco sibi grato & placenti, ad terræ æquiualentiam commutauimus eidem Dominæ Matri nostræ. Idem autem Frater noster de prædictis, pro parte terræ, quam habere debebat, se habet pro pagato, nec ipse nec hæres eius, à nobis vel hæredibus nostris, amplius pro parte terræ, possunt petere neque petent. Quod vt perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, & Regij nominis charactere inferius annotato fecimus confirmari. Actum apud compendium, Anno Incarnationis Dominicæ 1237. mense Iunio, Regni verò nostri anno XI. astantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo, signum Roberti Buticularij, Camerario nullo, signum Amalrici Constabularij. Data vacante Cancellaria.*

* Gal. Vislaine.

Subscriptum erat LVDOVICVS.

Sic illæ, communicauit earum autenticum exemplar ex autographo desumptum R. D. Gaugericus *Boucquel*, Decanus & Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Atreb.

Cæterùm Robertus Artesiæ Comes creatus, tali vsus est titulo,

ROBERTVS COMES ATREBATENSIS.

Quo à primæ Ciuitatis nomine, tota Prouincia nuncupata est, eoque posteri sunt vsi, donec Artesiæ titulus recentior à Gallica voce introductus est.

Insignia Artesiæ. *Frãcicis Liliorum numerus incertus.*

In Comitatus huius decorem attributa sunt peculiaria insignia ex scuto Franciæ, quod tum incerto Liliorum numero componebatur, & Castellæ, ternis videlicet turribus in vnoquoque trium Lumborum adpictis, quæ stem-

ma paternum atque maternum referrent. *Bersacius.*

Porrò numerauit Artesia proprios Comites septem, priusquàm ab illâ Regis cessione ad Flandriæ Comites reuerteretur: *Septem Artesiæ Comites singulares.*

Robertum;	Ioannem 2.
Robertum 2.	Philippum, &
Macthildem;	Philippum 2.
Ioannem;	

Initiati Comitatus Chronographicum.

ArtesIæ qVæres qVando sVVs est CoMes? aVdI:
Ab Rege hanC qVando fratre RobertVs habet.

Robertus itaque eâ ornatus dignitate, statim de celebrandis nuptijs cogitauit, & easdem consummauit, Macthilde Henrici Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis Filiâ in thalami consortium aduocatâ; vndè exorti Robertus, Claromontium Comes futurus, & Blanca, * quæ Henrico Nauarræ Regi in coniugem est data. *Bersacius, Tilletius, Bresinius.* *Roberti Comitis Nuptiæ.*

* Bresinius vocat Mariam.

Ioannes Vedastini cœnobij 52. Antistes, morte extinguitur, cuius dignitatis, Martinus anteà Latiniacensis Abbas, prudentiæ & eruditionis commendatione, hæres institutus est. *Martinus Abbas S. Vedasti.*

Hic (Martinum intelligo) ab Innocentio 4. Papâ impetrauit, vt integrum sit Abbati Vedastino, suis conferendi Ordines Minores; Pontificijs vti Infulis, conspicuumque apparere, capite mitrâ redimito. *Chron. Vedast.* *Ius Infulæ, & Ordines minores suis conferendi à PP. obtinuit.*

Nicolaus, Prior Cœnobij Claromarensis, ad Regimen Monasterij Villariensis excipiendum, euocatur; quo in munere, se strenuè laudabiliterque gessit. *Chron. Villariense MS.* *Nicolaus Prior Claromarensis Abbas Villariēsis.*

Ioanna Constantinopolitana Flandriæ Comes, sobolis procreandæ cupida, nubit Thomæ, Sabaudiæ Comitis fratri. *Meyerus.* *Ioanna Flandriæ Comes.*

Balduinus Imp. Constantinopolitanus Spineam Christi Redemptoris Coronam, partem Dominicæ Crucis, Spongiam & Lanceæ sacræ Cuspidem, Venetis oppignerat. *Genebrardus, Miræus, Iperius, &c.*

ANNO 1238. Dissensione inter Robertum Comitem, & Martinum B. Vedasti Antistitem exortâ, Comes Villā *de Mofflaines*, mille ferè passibus Atrebato remotam, quæ

Christi An. 1238. Vedastinorum est, incendio depascit. *Iperius.* Greg. 9. Papæ An. 13.

Richardus XIII. Montis Eligiani Præsul, moritur. Succedit Simon, Radulphi Atrebatium Episcopi Nepos, Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, atque Austrouanensis Archidiaconus. Hic anteà vacante S. Ioannis Senonensis Ecclesiâ, abs Canonicis eius loci rogatus, ex Prælati & fratrum consensu, in Abbatem fuerat promotus. Verùm Richardo isto defuncto, à suis est reuocatus, & propriæ Antistes ordinatus Ecclesiæ.

Simon Abbas Montis Eligiani.

Christi An. 1239 ANNO 1239. S. Ludouicus Rex, Coronam Iesu Christi Spineam, Dominicæ Crucis partem, Spongiam & Sacræ Lanceæ Cuspidem, Venetis à Balduino Imp. Const. oppignerata, grandi ære redimit, & Parisijs in sacrâ Palatij capellâ, quam ædificarat, magnâ cum veneratione collocat. *Meyerus, Miræus, Tilletius.* Greg. 9. Papæ An. 14.

Corona spinea Christi &c. à S. Ludouico redēpta. Quo pretio.

De sacrâ Coronâ, Iperius sic loquitur: *Spineam Coronam S. Ludouicus Rex Franciæ, consilio Matris suæ * XX^m. Librarum redemit à Pisanis, & in Franciam afferri fecit. Quumque Parisius appropinquarent, qui Coronam afferebant; Episcopus Parisiēsis cum toto Clero, capis sericis induti, processionaliter illi obuiam exierunt; nobiles etiam & omne vulgus, cum gaudio simili omnes occurrerunt. Rex igitur ipse, & frater eius Robertus Comes Artesij, nudis pedibus, & lineis tunicis ad carnem induti, in eodem loco extra villam, susceperunt Sanctam Domini Coronam prædictam; & in suis eam humeris, vsque in Ecclesiam B. Mariæ Virginis portauerunt: & indè, oratione completâ, ad Regis palatium, in nouâ Capellâ, quam Rex propter hoc, miro opere construi fecerat, reposuerunt, die S. Laurentij, mense Augusto,* &c. Hactenùs Iperius.

Parisios delata.

Attende lector Regis & Roberti Comitis pietatē.

Eadem ferè tempestate, Academia Lutetiana, quæ propter Ciuium in Scholasticos seditiones, & cædes dilabebatur, quamque Henricus Angliæ Rex, ad Oxoniensem scholam, occultis nuntijs ad se pellicere studebat, à S. Ludouico est restituta. *Genebrardus.*

Academia Parisiensis à S. Ludouico restituitur.

Asso Episcopus Canonialem præbēdam S. Bartholomæi apud Bethunienses templo attribuit; fuit ea ordine fundationis nona.

Christi An. 1240. ANNO 1240. Elizabetha, Galteri Castillonij relicta, atque Fani S. Pauli Comes, expletis abs mariti funere annis quindecim, ipsa quoque carnis ergastulo soluitur. *Bresinius. Vide ad an. 1225.* Cælest. Quarti Papæ An. 1.

Elizabetha S. Pauli Comes moritur.

Ensilia

Ensilia Dononiensis Parthenonis in Diœcesi Atrebatensi Antistita, quæcumque *in Honnepele*, Cliuiæ pago, alijsque quibusdam locis possidebat, consentiente Assone Atrebatium Pontifice, Xantensi, siue Santonensi Galliarum Collegio, acceptâ pecuniâ tradit. Eius venditionis exstant hæ literæ: *Dononiensis cœnobij possessiones nonnullæ alienantur.*

Vniuersis paginam hanc visuris, Ensilia Dononiensis Ecclesiæ Abbatissa, & eiusdem loci Conuentus, Atrebatensis Diœcesis, salutem in Domino. Notum facimus vniuersis, quòd nos, nostra bona DE HONEPELE *&* DE HVSEN, *cum omnibus suis attinentijs, terris, agris, pascuis, pratis, hominibus, nemoribus, vineis, & cum omnibus suis iuribus Ecclesiæ Xantensi vendidimus. Quam pecuniam profitemur nos recepisse ad plenum, & ipsam pecuniam ad vtilitatem Ecclesiæ nostræ totaliter esse conuersam. Et prædictorum bonorum Dominium, quod nostra habebat Ecclesia, in dictam Ecclesiam Xantensem, vnanimi consensu transtulimus, & in veram ac corporalem possessionem misimus: & hoc est factum de licentia & consensu Diœcesani nostri, VVarandiam legalem super præmissis præstitura. In cuius rei testimonium, præsentes literas sigillorũ nostrorum munimine, videlicet sigillo meo, Ego Ensilia Abbatissa, & Conuentus sigillo Capituli, fecimus roborari. Actum anno millesimo ducentesimo quadragesimo.* Hactenus illæ. Porrò in circũferentia sigilli conuentus quod sericis filis appendet, expressè & perfectè legitur;

SIGILLVM S. RAGENFREDIS VIRGINIS. *Sigillum sanctæ Ragenfredis.*

Colligunt autem Cliuenses ex nonnullis monumentis, Ecclesias suas Embricæ, Resæ, in Honepele sub patrocinio B. Aldegundis, sancti Dentlini, S. Ragenfredis olim à Religiosis Frãcis fuisse ædificatas, vel dotatas; quibus summo studio fuit tunc temporis Christianismum vltra Rhenum ad Saxones, ad Paganismi sordes sæpiùs relabentes extendere & propagare. *Molanus in Natt. 8. Octob.*

N. V. Ioannes de *Courcelle*, & Domina Emma eius coniunx, Atrebati beati Stephani parœciale templum annuis redditibus locupletant, Iacent ibidem sub Augusto Mausoleo marmoreo, duos circiter pedes elato, statuis eorundem supra cippum ex marmore & alabastrite prominentibus. *Ecclesia sancti Stephani Atreb.*

Thomas & Ioanna Flandriæ Comites, politicum Brugensium ordinem innouant, præcipiuntque vt magistratus qui perpetui * fuerant, singulis annis renouentur, habi- *Senatus Brugẽsis innouatur.*

* Vide suprà ad an. 1230.

tis per Principem Comitijs, die Purificationi Beatæ Mariæ Virginis sacro. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1241. *Monasterium Flinense fundatur* — CALIST. QVARTI PAPÆ AN. I.

ANNO 1241. Margareta Ioannæ Principis Flandriæ soror, atque Gulielmi Dampetræ coniux, Flinense Ascecterium non procul Duaco, in Diœcesi Atrebatensi, à fundamentis excitat, idque amplissimo ditatum censu, Virginibus, Cisterciensis Ordinis regulæ adstrictis, tradit incolendum; quibus Mariam filiam permisit Antistitam. Ecclesiam dicauit Ioannes, Leodicensis Episcopus, Margaretæ ex Guidone Filio, eiusdem Ecclesiæ fundatore, nepos. In cuius memoriam sepulcrum inibì accepit, cum eiusmodi Epitaphio:

Ecclesia dedicatur.

IOANNES DE FLANDRIA, EPISCOPVS LEODIENSIS, FILIVS GVIDONIS COMITIS FLANDRIÆ, FVNDATORIS HVIVS ECCLESIÆ, &c.

Porrò is Ioannes anteà Metensis erat Episcopus; Leodicensibus verò datus est, ordine quadragesimus, anno 1282. obijt autem an. 1292. Vnde facilè colligas quo ferè tempore Flinissarum virginũ sacrâ fuerit Ecclesia. *Demochares tomo 2. de Missæ Sacrificio, cap. 37. & ex Monn. MSS. Ferdinandi Çardenacquij Atrebatij.*

Gulielmus Dampetra moritur.

Eodem anno, tertio Nonas Sept. moritur Gulielmus Dampetra; relictis ex Margaretâ liberis, GVLIELMO, qui anno 1251. in decursionis, certaminisque equestris ludo occubuit; GVIDONE, qui in Flandriæ Comitatum matri successit, * IOANNE Dampetræ Regulo, quem filium infestissimum vocat Marchantius, & MARIA Flinensi Antistitâ. *an. 1279

Dirum supplicium hominis excoriati Atrebati.

Atrebati, quidam nomine Hugo, toto corpore excoriatus duobus diebus muscarum aculeis viuus exponitur, incertum quâ caussâ. *Ex Monn. MSS. Andreæ Herbij.*

CHRISTI AN. 1242. *Bruxella capitur.* — INNOCENTII QVARTI PAPÆ AN. I.

ANNO 1242. Thomas Flandriæ Comes, suscepto contra Brabantos bello, Bruxellam obsidet ac subigit; Henricum Ducem Louaniensem cum Godofredo eius fratre captiuum, Gandauum deducit. *Oudegherstius.*

CHRISTI AN. 1243. *Gulielmus Bethuniensis moritur.* — INNO. 4. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1243. Nono Calendas Septembres, Gulielmus Bethuniensis, eques longè probatissimus, abit è viuis. Eum Isabella vxor, Pontis Roraldi Domina, multis lachrymis prosecuta est. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1244.

INNO. 4. PAPÆ AN. 3.

ANNO 1244. Robertus Princeps noster, varias possessiones atque iurisdictiones sibi comparat, abs Matthæo & Mariâ coniuge, Ponthiuẽsis territorij Comitibus, emptione acceptas. Literarum tenor est iste:

Robertus Comes varias sibi possessiones acquirit.

Vniuersis præsentes literas inspecturis Matthaus Comes, & Maria eius vxor Comitissa Pontiui, salutem. Nouerit vniuersitas vestra, quòd nos propter urgentem nostram & euidentem necessitatẽ, Illustri viro, & charissimo Domino Roberto, Comiti Atrebatensi, vendidimus, & querpimus benè & legitimè feudum quod tenet de nobis Comes sancti Pauli: item feudum quod tenet de nobis Vicecomes DE PONTE REMY, * *in quo est Homagium Domini N. de his quæ habet à medio fili aquæ Althei versus Hisdinum: Item Homagium Domini de Auxiaco, de omnibus quæ tenet de nobis à medio fili aquæ vltra versus Hisdinum. Item Homagium Ioannis Ambianensis militis, quod nobis debet pro villâ* DE BVIRES, *& eius pertinẽtijs, omnibus; & pro forestâ* DE GRAAST, *quæ sedet super arboream, quæ sunt in dominio suo: & Homagium, quod Hugo* QVIERET *miles, debet ei pro villâ* DE DOVRIER, *& eius pertinentijs. Item Homagium* DE ROCHESFAY, *iuxta* BVIRES. *Item Homagium quod nobis debet Guilielmus* DE BOVBERCH, *pro villâ* DE THVN, *&* DE VVILLENCOVRT *in quo Homagium est, quod tenet Ioannes* DE BAARDES: *Item feudum* DE VY, *in quo sunt Vauasatores. Item Homagium quod nobis debet Henricus* DE GHVISNES, *quod habet apud* IVREGNY, *ex parte vxoris suæ. Item Homagium Ioannis* DE CAVMONT *militis, de feudo quod tenet de nobis apud* TOLENT. *Item vendidimus & querpimus eidem Homagia, feuda, & retro-feuda, reditus, iustitias, aduocatias, Dominia omnia, & omnia alia quæcunque habebamus, & habere poteramus in omnibus & per omnia, à medio fili aquæ de Altheiâ versus Hisdinum, & versus aliam terram dicti Comitis, sicut se comportant à* VVAVANS, *vsque ad Salseium, situm inter* MONTENOY *&* DOVRIER. *Omnia prædicta & eorum pertinentia, in ius & proprietatem dicti Comitis transferentes, nihil iuris penitus in ijsdem nobis, vel hæredibus nostris siue successoribus retinentes. Confitentes etiam de pretio dictæ venditionis; videlicet de duabus millibus libris Parisiensibus nobis esse plenariè satisfactum, in pecuniâ numeratâ, & de quinquaginta libris Parisiensibus pro quinto, &c.* Et sub finem, *Datum apud Argenteolum Anno Domini* CIↃ. CC. XLIV. *mense Nouembri.* Venditionem eam ratam

* Gal. Pont Remy, ad Somonã Fl. non procul Abbatis Villâ.

habuit D. Ludouicus Rex, vt ex eius literis constat, datis Lutetiæ Parisiorum ijsdem anno & mense. *Ex Bibliothecâ MS. N. V. Alexandri, Domini de Meurchin, &c.*

Michaël Abbas Mareolensis. Petrus Mareolensium sextus Abbas vitâ defungitur, in cuius locũ surrogatus est Michaël, eodẽ in pago natus; quâ ornatus dignitate, sic cũ Religiosis Canonicis suis trãsegit.

Conuenit cum Monachis. *Ego* MICHAEL, *diuinâ permissione humilis Abbas de Mareolo, totusque dicti loci Conuentus, notum facimus vniuersis, quòd nos statuimus vnanimiter ac concorditer, quòd duo ex Canonicis nostris, Prior videlicet, & alius à toto Capitulo eligendus, omnes fructus qui possent prouenire de eleemosynis, Ecclesiæ nostræ collatis,* *Pro cibo & potu.* *Conuentui apud Mareolum commoranti, in cibo & potu, ratione pitantiarum, prouideant, & distribuant in futurum; & hæc capient in grangiâ nostrâ* DE VVENDING, *&* DE VVINGLES *annuatim vsque ad summam centum & quatuor librarum Parisiensium, ad opus dictarum pitantiarum, quas ad sumptus earundẽ quærere tenebuntur, & de ijs in hunc modum dicto Conuentui prouidere; videlicet ter in septimanâ, de vino & piscibus, vel carnibus;* *Vino, Piscibus, Carnibus.* *ita quod sexaginta libræ in emendo vino, & quadraginta quatuor libræ in emendis carnibus vel piscibus, conuertentur; carnibus inquam prout dicto Abbati videbitur expedire. Vini autem pitantia ita distribuetur, quod quilibet Canonicus habebit tres pintas vini in qualibet die, duas videlicet ad meridiem,* *Vini quãtitas.* *& vnam ad cœnam. Si verò dicta grangia non sufficeret, aliquo casu ad solutionem dictarum centum & quatuor librarum, vel aliquo casu staret, per quod dicta pecunia non perciperetur in eâ; Dictus Abbas defectum illum supplebit de bonis Ecclesiæ supradictæ, &* *Alia.* *quicquid nobis nomine pitantiæ in Eleemosynam de cætero conferetur, in manus dictorum pitantiariorum cedet ad opus dictarum pitantiarum, in augmentum earundem; & de bonis omnibus, quæ dicti Pitantiarij recipient, coram Abbate & toto Conuentu, mense quolibet computabunt. In duplicibus autem festis, & in minutionibus, dictus Abbas Conuentui de bonis Ecclesiæ prouidebit competenter, & per dies singulos idem Abbas, cuilibet Canonico quatuor oua ad mane, tria ad cœnam: Carnes salitas, diebus quibus carnes dabuntur à pitantiarijs, & tempore congruo tria halecia ministrabit, & anno quolibet singulis Canonicis, in nouo superpellicio prouidebit. Statuimus etiam vt omnes Canonici nostri, in nostrâ Ecclesiâ, vel in curtibus commorantes, bis in anno, videlicet ad crastinum dedicationis nostræ Ecclesiæ, & ad crastinum depositionis beati*

Amandi, ad computum conuocentur; vbi de receptione Canonicorũ, Conuersorum vel Conuersarum siue familiarium, de venditione, emptione, seu alienatione bonorum Ecclesiæ, & de maioribus omnibus negotijs contrectetur. Item statutum est quod in qualibet parochiarum nostrarum, in quâ Canonici commorantur, competens portio vsque ad viginti libras Parisienses annis singulis assignetur ab Abbate. Infirmariam autem & hospitalitatem Ecclesiæ, dictus Abbas prouidere tenebitur, secundum quod meliùs & honestiùs viderit expedire. Et ne hac institutio ab aliquibus in futurum valeat reuocari; præsens scriptum sigillorum nostrorum munimine, & Abbatum, qui interfuerunt, scilicet S. Nicolai de Aroasiâ, & de Hinniaco fecimus roborare. Actum anno Domini 1244. Mense Augusto. Ex Monn. MSS. eius Ecclesiæ. *Mulieres Conuersæ eiusdem Monasterij.*

Cæterùm Michaele paulò pòst è viuis erepto, Ioannes VVangnartius, patriâ Cluniacensis, successor nominatur; qui cum paucos annos laudabiliter præfuisset, etiam vitæ cessit, anno 1248. Iacet sepultus ante princeps templi sui altare. Hunc secutus est Euerardus, qui non bonam sui nominis memoriam ad posteros transmisit.

Ioanna Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, morti quæ debuit exsoluit; & in Marketiâ, Monialium monasterio, quod ipsa prope Insulam nuperrimè fundauerat, iuxta Ferrandum primum maritum suum sepelitur, postquàm Flandrensibus imperauerat annis XXXIX. Successit illi Margareta, soror eius germana. Iperius ijsdem verbis. Vide suprà ad an. 1205. *Ioanna Flandriæ Comes moritur. Succedit Margareta eius soror.*

Permulta exstant in Flandris publica Ioannæ opera; in quibus Xenodochia Gandaui, Brugis, Hypræ, Lilæ seu Insulæ, Valentianis; Begginagiũ Brugis, Parthenõ Marketæ, Valentianis Franciscanorum atque Dominicanorum cœnobia. Thomas nullâ sobole ex eâ pater, amplis donatus muneribus, remeauit vndè venerat, in Sabaudiã. *Meyerus.* *Pia Ioãnæ opera.*

CHRISTI AN. 1245. ANNO 1245. Robertus Princeps noster, & Monachi Vedastini, abs Telonei solutione Atrebatenses eximunt, octingentis modò florenis annui reditus, reseruatis, quorũ pars media Principi, altera Vedastinis cederet. Id approbauit Innocentius summus Pontifex missis Lugduno tabulis. De his litteras vidimus, ab Principe Hesdini, Mense Iunio conscriptas; quibus etiam duodecim florenorum millia Atrebatẽsibus, quorum debitores erant, remittuntur, & priuilegijs insuper ornantur ciues. INNO. 4. PAPÆ AN. 4. *Quædam Atrebatibus indulta.*

Quo

Quo etiam tempore Margareta Flādriæ Comes recens instituta, Insulanis priuilegium dedit quo intra opidum Insulani, ab omnibus liberi essent vectigalibus, Comitibus persolui consuetis. *Meyerus hoc anno, at Oudegherstius an. 1246.*

Macthildis Bethuniēsis cū Guidone Dāpetra Nuptiæ.

Macthildis Roberti 3. Bethuniensium Aduocati & Teneramundæ Reguli proles vnica & hæres, iungitur cum Guidone Dampetrâ, Margaretæ Flandriæ Comitis filio, & ex asse etiam hærede. Hinc Bethuniensis Aduocatia, vt antè diximus, Flandriæ Comitatui fuit adnexa.

S. Catharinæ Capellania Bethuniæ.

Horum Principum obseruans apprimè fuit quidam Petrus à Buxeriâ, quorum proindè manibus quam optimè, prout facultates ferebant, consultum voluit, quùm ijs parentans, tùm vt in æuum fieret, oportunè consulens. Etenim Bethuniæ in S. Bar-ptolomæi, eorum caussâ sacellaniam, sub B. Catharinæ auspicijs fundauit, vt infrà videre est ad annum 1287. Literis eius ibi productis.

Asso Episcopus Atrebatensis moritur.

Asso Atrebatensis Episcopus Martij 27. dignitate & vitâ defungitur, atque eleganti cenotaphio in Cathedralis Ecclesiæ choro, ad principis aræ cornu dexterū reconditur. Est eius sepulcrum marmoreum, metallis varijs eiusque imagine decorum.

Cardinales Pileo rubro donantur.

Eadem ferè tempestate Innocentius 4. Pont. Max. Pileo rubeo Cardinales cohonestat, quo significare vult, Cardinalibus sanguinem vitamque pro Christo & libertate Ecclesiasticâ promptè effundendam.

Septem Romani Imperij Principes Electores.

Idem Innocentius Romani Imperij Principes Electores septenario definit, quùm anteà ex Gregorij V. Pont. Max. institutione, * nullo certo numero continerētur. De his ità in Concilio Lugdunensi Oecumenico, per eundem Innocentium adgregato:

*an. 996. Vide suprà ad eundem annum.

ELECTORES IMPERATORVM.

Laici { Dux Austriæ. Dux Bauariæ. Dux Saxonum. Dux Brabātiæ, qui & Louaniæ. }

Prælati { ARCHIEPISCOPI Coloniensis. Moguntinus. Salsburgensis. } principales.

Sequuntur hæc.

Qui Imperator legēdus.

Isti ducentur in Insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in eâ, & amouebuntur omnes nauiculæ, & ibi tractabunt de electione

Impe-

Imperatoris. Nec adueniat aliquis ad eos, donec sint concordes. Huic negotio praerit Archiepiscopus Coloniensis, secundus Moguntinus, tertius Salsburgẽsis. Hæc de electoribus septenario numero ab Concilio definitis. *Stetit numerus conscriptus* (nunc Baronius loquitur) *perseverauitque in futurũ, persona autem quatuor mutata; nempè vt pro Salsburgensi positus fuerit* ARCHIEPISCOPVS TREVIRENSIS, *proque tribus illis Ducibus Austriæ, Bauariæ atque Brabãtiæ, fuerint subrogati* COMES PALATINVS RHENI, MARCHIO BRANDEBVRGENSIS, *atq;* REX BOHEMIÆ, *qui potiùs teneret locum definitoris, si discrepent Electores, quàm vnius ex Electoribus ipsis. A quo autem, retento Electorum septenario numero, facta fuerit hæc mutatio, nùm ab eodem Innocentio, vel alio aliquo ex successoribus eius, hoc fatemur nos latere, &c.* Hæc Baronius, qui post pauca etiam subdit: *Quòd verò qui ab Innocentio electi Principes Electores Dux Austriæ, Dux Bauariæ & Dux Brabantiæ cesserint alijs; indè prouenisse videri potest, quòd magis cuperent eligi, quam eligere Imperatores; sicque inter eligendos potiùs, quàm inter electores locum habere maluerunt.* Electores innouantur. Quã caussâ.

Hactenus ille, qui & hos subijcit versus:

Moguntinensis, Treuirensis, Coloniensis,
Quilibet Imperij sit Cancellarius horum:
Et Palatinus Dapifer, Dux Portitor ensis,
Marchio Præpositus Cameræ: Pincerna Bohemus:
Hi statuunt Dominum cunctis, per sæcula summum.

Floret Hugo, patriâ Barcinonensis, primus ex Dominicano Ordine Cardinalis, ab Innocentio IV. creatus, eximiâ eruditionis opinione clarus; qui Biblia sacra, in capita quæ hodiè habentur, distinxit, eaque commentarijs illustrauit. Bibliorum item Concordantias, vt vocant, infinitum penè opus, Herculeâ planè audaciâ, primus excogitauit, & Conradi Alberstadij, aliorumque quingentorum Monachorum ope adiutus, perfecit, incredibili rei litterariæ prouentu. *Genebrardus.* Biblia sacra per capita distinguuntur. Eorundẽ Concordantiæ.

CHRISTI AN. 1246. ANNO 1246. Fursæus, vir venerabilis, in Episcopatum Atrebatensem, Assoni defuncto succedit, sed paucis admodùm temporibus eâ gauisus dignitate, alterum nempè vix ingressus annum, vitam cum morte commutauit. INNO. 4. PAPÆ AN. 5.

Margareta Flandriæ Comes, Insignia Gulielmi Dampetræ mariti, Flandricis inserit, Hannoniæque altera deserit. *Meyerus.* Flãdriæ insignia Dampetrensibus coniũcta.

CHRISTI AN. 1247.

INNO. 4 PAPA AN. 6.

ANNO 1247. Calendis April. Fursæo, Atrebatium Pontifice, extincto, atque in ecclesiâ suâ, è maioris altaris regione sepulto, Iacobus Dinantius ei successor nominatur.

Primus Brabãtiæ Dux.

Eodem tempore Henricus eius nominis tertius, mutato titulo, pro Comite seu Duce Louaniensi, primùm scribere cœpit, DVX BRABANTIÆ.

Beatrix, Henrici Imp. vidua, Gulielmo Margaretæ Flandriæ Comitis filio natu maximo, nuptum elocatur.

CHRISTI AN. 1248.

INNO. 4. PAPA AN. 7.

Roberti Comitis in Terrã sanctam profectio.

ANNO 1248. Robertus Princeps, vnà cum Beato Ludouico fratre, alijsque Occidentis Heroïbus, contra Saracenos qui terram Sanctam occupabant, pugnaturus, Transmarinum iter auspicatur.

Obit Simon montis Eligiani Antistes, ad cuius sepulcrum, hoc legitur elogium:

Patris in hâc fossâ tumulantur Simonis ossa:
Is Ostreuannis bis denis præfuit annis;
Indè petens claustrum, Boream mutauit in Austrum.
In duplici curâ seruans claustralia iura,
Canonico more, gemino successit honore.
Pauperibus largus fuit hic, & luminis Argus.

Ioãnes de Barastra Abbas Montis Eligiani.

Simoni successit Ioannes de Barastrâ, eius Cœnobij Præpositus, vir vita laudabilis, qui Ecclesiam sibi creditã (verba sunt Monumentorũ eius loci) *diuitijs ornatã, ædificijs instructam, & diuersis possessionibus reddidit ampliatam; scholares bonos plurimùm diligens, libenter ad Religionis affatum promouebat. Nam plerique suis temporibus, consilio eius & auxilio, scientiâ Clericali, & specialiter in diuinis scripturis fuerunt decorati. Sed & de suis fratribus, duo ad Cathedram Magistralem eius scientiæ peruenerunt. Vir fuit eximiæ sanctitatis. Ipsius tempore quùm D. Gregorius X. conuocaret Lugduni Concilium generale, auditâ famâ tanti viri, sub certâ bullâ, ipsius Abbatis personam duxit conuocandam; qui tamen præ nimio senio & debilitate non valens se Apostolico conspectui præsentare, duos viros procuratores pro se ad dictum Concilium destinauit; Magistrum Stephanum Doctorem in Theologiâ, postmodùm ipsius successorem, & Magistrum Iacobum de fontibus, qui à summo Pontifice honorificè fuerant excepti ad osculum enim pacis, contra vsum, præfatum Dominum Stephanum recepit idem Papa. Rexit autem ipse Ioannes Ecclesiam annis 25. Recepit in fratrem Magistrũ Balduinum de Bapalmis Archidiaconum Atrebatensem.*

Hactenus ibi & ex litteris D. Pauli Descouleurs, eius cœnobij Canonici Regularis & S. T. Lectoris.

Moritur Ioannes de VVangnart Mareolensis cœnobij Antistes, Februarij decimâ septimâ luce. Succedit Euerardus Brotelius Aerebas.

CHRISTI AN. 1249. ANNO 1249. Robertus Comes, ætate floridâ (vix enim tricesimum tertium attigerat annum) Damiatâ ad Nili ripas expugnatâ, dum incredibili fortitudine atque alacritate Barbaros prosequitur, ac fundit, tandem ad Manzoram, cum plurimis alijs cæditur, mense Decembri nec ampliùs vsquam apparuit. INNO. 4. PAPÆ AN. 8. *Roberti Principis nostri casus.*

Chronicon.

QVo raperIs generose CoMes! te proprIa qVærVnt:
Ne tVa BarbarICo fVnera qVære IVgo.

Reliquit Robertus ex Macthilde Coniuge ROBERTVM (qui posteà ILLVSTRIS cognomẽtum promeruit) & BLANCAM. *Proles.*

ROBERTVS SECVNDVS ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1249. ROBERTVS SECVNDVS cognomento ILLVSTRIS, in paternum succedit Imperium, atque Artesiæ Comes salutatur. Illum adhuc impuberem Beatrix Matertera, Gulielmi Dampetræ Comitis Vidua Curtraci educauit. INNO. 4. PAPÆ AN. 8.

Blanca verò Roberti Germana, vbi adoleuit, duplici connubio paternum nomen dilatauit: quorum prius cum Henrico Nauarrorum Rege auspicata est, à quo obtinuit Ioannam, quæ in alterius Regis, scilicet Philippi Pulchri, nuptias transiuit: alterum cum Edmundo, Henrici 3. Angliæ Regis filio, ex quo Thomam, Henricum & Ioannem produxit. *Ioannes Tilletius.* *Blancæ Roberti Illustris sororis duplex cõnubiũ & liberi.*

Macthildis autem, vtriusque mater, connubij vinculo soluta, id reiunxit cum Guidone *Castillonio, S. Pauli Comite, atque Roberti impuberis nomine, Artesiæ Comitatum multis annis feliciter administrauit. *Bersacius.* *Macthildis, nostræ Principis secũdæ nuptiæ.*

Galtero secundum Iperium.

CHRISTI AN. 1250. ANNO 1250. S. Ludouicus Rex, cum Carolo & Alfonso alijsque permultis nobilibus, in Barbarorũ veniunt potestatẽ. Octo millia pondo auri Rex, pro suâ suorumque redemptione pependit. *Meyerus.* *S. Ludouicus ab Barbaris capitur.* INNN. 4. PAPÆ AN. 9.

Martinus Vedastinorum & Simon Bertinensium Abbates, è vitâ recedunt. Martino Hugo successit, qui quáquam eius sedis idoneus esset possessor, tamen diutiùs biennio non tenuit: at Simoni Gillebertus, ordine XLIX. Abbas; quem Petrus Morinensium Episcopus vbi consecrasset, paulò post etiam viuere desijt.

Rudolphus Morinorũ episcopus.

Petro defuncto successit Rudolphus, Ordine 37. Morinensium Episcopus. *Demochares.*

Lẽsense Canonicorum Collegiũ nouis ditionibus augetur.

Eustathius Bononiæ Comes, Lensiensium Canonicorum Ecclesiam, à maioribus suis Eustathio & Idâ fundatam & reditibus ornatam, nouis ditionibus it auctum, vt ex eius litteris constat, datis Lensij, hoc anno, quarum initiũ est. *Ego Eustathius filius Regis Anglorum, Comes Boloniæ; volens Lensensem Ecclesiam, ab antecessoribus meis fundatam præcipuè venerari, &c.* Et in fine: *Actum apud Lens, testibus Ioanne, Almarico, Gerardo Canonicis, Ledemno Decano, Des Amons, Baldeuino Castellano, Simone de Girat-Molin, Rogero Vicecomite, Rogero de Lensis, &c. Anno Domini* CIↃ. CC.L. Ex Bibl. MS. D. Alex. de Meurchin. Vide suprà ad an. 1028.

CHRISTI AN. 1251. — *INNOCENTII QVARTI PAPÆ AN. 10.*

Ecclesia Canonicorũ opidi S. Pauli ex Castro in vrbem trãslata. Diploma Guidonis Comitis.

ANNO 1251. Paulopoli, Ecclesia, Collegiumque Canonicorum S. Saluatoris, ex ipso Castro (de quo ad annum 1174. dixi) in vrbem & locum, vbi hodieque constant, Guidone Castillonio imperante, transferuntur, de his Guidonis ecce diploma.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis, GVIDO DE CASTILLIONE, COMES S. PAVLI, *salutem in Domino. Vestra nouerit vniuersitas, quòd quùm bonæ memoriæ Hugo de Castillione, Comes S. Pauli, quondam Pater meus Charissimus, à Sanctissimis Patribus, Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ summis Pōtificibus, & à Reuerendis Patribus bonæ memoriæ, Adam & Petro, quondam Morinensibus Episcopis, pluribus exstiterat requisitus, vt super translatione Ecclesiæ S. Saluatoris, in S. Paulo sitæ, infra munitionem Castri mei, cuius Ecclesiæ magna pars pacificis temporibus præfati quondam patris mei diruta fuerat, in dictam munitionem Castri, & accessui & regressui Canonicorum, & Clericorum eiusdem Ecclesiæ impedimentum inferentem, erat eadem Ecclesia, sicut hodiè adhuc est, debitis officijs defraudata, consilium & auxilium apponeret oportunum: Ego pro salute & remedio sæpè dicti quondam Patris mei, progenitorum etiam meorum, & meo, dedi & concessi Canonicis præfatæ Ecclesiæ Plateam vnam apud sanctum*

Paulum,

Paulum, in Viscodio & Vasconia, liberam penitus & immunem, sicut sita est; & sicut includi & signari factum ubi ipsis Canonicis, pro Ecclesiâ sancti Saluatoris ibidem construendâ: & pro assinamentis earumdem quietè, liberè, & pacificè in perpetuum possidendam: quam teneor eisdem contra omnes, sicut sita erit & inclusa, garandire; volens & concedens quòd dicta Ecclesia, & eiusdem Canonici & Clerici, quantum in me est, eisdem gaudeant libertatibus, priuilegijs, & consuetudinibus, & iuribus, postquàm translata fuerit, quibus & ante translationem gaudebant. Et cùm prædicti Canonici oblationes omnes Ecclesiæ suæ, sita infrà munitionem Castri mei, huc vsque habuerint: volo & concedo, quantum in me est, quòd oblationes omnes, quæ fient in Capellâ infra munitionem Castri mei sitâ, sint Canonicorum prædictorum in futuris, sicut fuerunt vsque modò. In cuius rei testimonium & munimen, Ego Guido de Castillione, Comes sancti Pauli prædictus, præsentes litteras dictis Canonicis tradidi, sigilli mei munimine roboratas. Actum anno Domini 1251. circa medium mensis Maij. Ex monum. eius Ecclesiæ.

Mense Septembri, Nobilis Eques Petrus DE LANGAVERIS, Dominus temporalis pagi de ESPINEHAIN, iuxta S. Pauli Fanum, eiusdem loci capellæ (quam eiusdem mater recens fundarat) decimam Monachis Eligiani montis impertit, pactâ conditione, eiusdem Sacellanum qui sacris operaretur, perpetuò alerent & fouerent. Petri coniunx quæ cõsensum præbuit, Domina Adela vocabatur. Subest hodiè pagus Nobili Equiti Maximiliano Balleoli, &c. Toparchæ.

ASNAYENSE Virginum Ordinis Cisterciensis cœnobium, à N. V. Michaële, Anthoingnij in Aduaticis opidi, Comite, atque Harnesij Dynastâ, non procul Lensiensi opido nostro exædificatur; (opido nostro dico; quia Artesiæ est, ad distinctionem alterius cognominis quod etiam habent Aduatici.) Eius cœnobij Ecclesiam, quæ hodiè frequentatur, in B. Virginis Deiparæ honorem dedicauit Nicolaus Turelli, Sareptanus Episcopus, Ecclesiæ Tornacẽsis suffraganeus, anno 1522. Septembris vicesimâ. *Ex Regestis Ecclesiæ Atrebatensis.* *Asnayense Cœnobium iuxta Lensium fũdatur.*

Gulielmus Dampetra, Margaretæ Flandriæ Comitis primogenitus, recens ab Ægyptiacâ captiuitate redux, dũ Trazinijs in Hannoniâ, equestri decursione luctatur, miserabiliter occiditur. Marketta eius habet funus. *Meyerus.* *Gulielmi Dãpetra casus.*

CHRISTI AN. 1252. *Blanca Regina S. Ludouici mater moritur.*

INNO. 4 PAPA AN. 11.

ANNO 1252. quinto Cal. Decemb. Blanca Regina, B. Ludouici atque Roberti nostri Principis sanctissima mater, abiit è viuis, eiusque Corpus ad Pontem Isaræ in Malodunensi * Monasterio quod ipsa fundarat, atque Virginibus Cisterciensibus concesserat, sepelitur. *Meyerus, Aldrensis Chronicon, Belforestus, Tilletius, &c.*

* Gallicè *Lysens Fl.*
* Gal. *de Maubusson.*

Abbas Vedastinus fulmine ictus.

Eodem anno IX. Calendas Augusti, Hugo, Vedastini cœnobij antistes, fulmine ictus, vitâ priuatur. *Georgius ab Tempsecâ, Brugensis, & Meyerus in Collectaneis MSS.*

Paulus Vedastini Monasterij Antistes.

Hugone demortuo, Paulus, Hasprensis Præpositus, supremo eius loci apice cohonestatur.

Hic diligentissimos (ita habet Chronicon) *æquauit aut superauit, positis fundamentis, atque aliquatenus in auras educta mole huius vasti templi, quod iam visitur, cui à se inchoato immortuus anno Præfecturæ decimo, vt cœptâ Templi structurâ, ita cœpta maioris Aræ argenteo Abaco (mensam vocant) laudatissimus.* Sic ibi. Vide infrà ad an. 1258. & 1337.

Collegiũ Sorbonẽse Parisijs.

Circa hæc tempora Robertus Sorbona Theologus, Lutetiæ Parisiorum Collegium Sorbonense sacris literis explicandis magnificè excitauit, & ædibus ornauit. *Genebrardus, Middendorpius lib. 6. Academ. &c.*

CHRISTI AN. 1253. *Comitatus Namurcẽsis.*

INNO. 4 PAPA AN. 12.

ANNO 1253. Balduinus Græcorum Augustus, egestate compulsus vendit Blancæ Reginæ Comitatum Namurcicum, quem statim pòst Blanca donauit Marthæ Augustæ, dicti Balduini vxori, filiæ Ioannis Brenæ Regis Hierosolymorum. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1254. *S. Ludouicus, in Gallias reuertitur.*

SEDE VACANTE.

ANNO 1254. B. Ludouicus Rex, multis in Syriâ laboribus exanclatis, atque quamplurimis captiuis ex Barbarorum captiuitate libertati assertis, patrium solum & regnum repetit. *Meyerus.*

Duaci Cattuacorum in Ecclesiâ S. Amati Episcopi (verba sunt Thomæ Cantipratani) *quùm Sacerdos in Paschâ, communicato populo,* CORPVS CHRISTI *super nudam terram stupidus inuenisset & flexis genibus eleuare tentasset, mox per se in aëra subleuatum, panniculo, quo consecratos digitos Sacerdos detergere solet, inhæsit. Clamans ergo presbyter, Canonicos vocat, accurrũt illi, spectant in panno Corpus viuificum, in specie faciei venustissimi pueri. Et mox conuocato populo ad spectaculum præsentatur, & indifferenter nulli tanta cælitus visio denegatur. Hæc cùm audissem, famâ vulgante, veni in opidum, quod prædixi. Accessi ad Decanum dictæ*

Ecclesiæ,

Ecclesia, cui optimè notus eram, Petij videre miraculum, annuens ille præcepit vt fieret. Aperta est theca, concurrit populus, moxque vt pyxis reuoluitur, clamant omnes; Ecce conspicio Saluatorem. Stabam ergo attonitus, nihil videns, nisi tantum speciem panis albissimi; nihil quidem conscius mihi, quare Sacro-sanctum Corpus, cum cæteris non viderem. Nec diu mecum ista voluebam, cum ecce vidi faciem, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; spineam habentem in capite coronam, & duas guttas sanguinis de fronte, ex vtraque parte nasi per faciem descendentes: Mox igitur genibus flexis, cum lachrymis adoraui. Surgens autem, nec coronam in capite, nec sanguinem vidi, sed faciem hominis super omnem effigiem honoratam, conuersam ad dexteram, ita vt vix dexter oculus videri posset. Nasus erat admodum longus, directus valde, supercilia arcuata, oculos simplicissimos & dimissos habebat, cæsariem longam super humeros descendentem, barbam intonsam & sub mento curuatam, exterminatamque sub rictu iucundissimi oris, ex vtraque parte menti, nudas propè à pilis habebat valliculas, vt in iuuenibus apparere solet, qui à puero barbam nutrierunt; frontem latam, macilentas genas, & collum longum, cum capite parùm inflexum. Hoc schema, hic decor benignissimæ faciei. Eam autem diuersi diuersimodè sub vnius horæ spatio videre solebant; alij in Cruce extensum; alij quasi ad Iudicium venientem; plerique, & hoc magna ex parte, sub pueri formâ.* Hactenus Cantipratanus Episcopus Suffraganeus Cameracensis, lib. 2. de bono Vniuersali, c. 4. num. 2. Eiusdem miraculi meminit Tilm. Bredembachius lib. 1. Collat. Sacr. c. 8. Similia habes miracula in Natalibus Ioannis Molani, 16. Martij & 13. Iulij, quæ partim Bruxellæ, partim Amstelredami contigerunt.

Stupēdū Miraculū SS. Eucharistiæ, Duaci.

* al. *Latā.*

Iacobus Dinantius Episcopus, in vetere Atrebatium Ciuitate, Sancti Nicasij templum erigit; atque certis limitibus fixis, alteram ibi parœciam, ab illâ S. Nicolai in atrio (vt vocant) distinctam instituit. *Gazæus in Catal. Episc. Atreb.*

S. Nicasij tēplum in Ciuitate Atrebatensi.

Bello inter Flandros & Hollandos ardente, Margareta, Flandriæ Comes, Carolo D. Ludouici Regis fratre, auxilia in Aduaticos promouente, singula ferè eius tractus opida euastat; Atque Oisiacum*, nobile in Artesijs municipium, cuique olim 37. pagi suberant, totum, exceptâ Arce tum firmissimâ, missis ignibus absumit. *Meyerus, apud quem de isto bello plurima.*

Oisiacum ab Flandris incendio absumptum.

* Gal. *Oisy.*

CHRISTI AN. 1255. | ALEX. 4. PAPA AN. 1.

ANNO 1255. Alfonsus, cognomento Sapiens, Hispaniarum Rex fœliciter imperat. Is est Alfonsus, qui Mathematicis artibus non solùm delectatus, sed etiam multis præclaris libellis scriptis conspicuus, Mathematices studium vehemẽter auxit & emendauit, excellunt in ijs septipartitum opus iuris Ciuilis, Hispanorum historia generalis & TABVLÆ ALFONSINÆ, quibus conscribendis & euulgandis quadraginta nummûm aureorum millia insumpta fuisse non nemo asserit. *Petitæus, lib. 2. Chron. Hollandiæ &c. Ioannes Carion l. 3. Chron. Genebrardus, &c.*

Tabulæ Alfonsinæ.

Febuinensis villæ, non procul beati Eligij monte, Sacellum erigitur: indè duodennio euoluto, in Ecclesiam transijt parœcialem.

CHRISTI AN. 1256. | ALEX. 4. PAPA AN. 2.

ANNO 1256. *Dispersus fuit Conuentus Abbatiæ B. Mariæ Caricampi, propter inopiam rerum temporalium.* Ex vet. Chron. M S. eius loci, ijsdem verbis.

Per eadem tempora Gislebertus Bertinensium Antistes, ab Alexandro 4. Pont. Max. mitrâ, & cæteris Pontificalibus ornamentis vtendi ius impetrat. *Iperius.*

CHRISTI AN. 1257. | ALEX. 4. PAPA AN. 3.

ANNO 1257. B. Ludouicus Rex VValtero Tornacẽsium Episcopo, Regalia sua remittit, donec de eorum iure pleniùs foret edoctus. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1258. | ALEX. 4. PAPA AN. 4.

Atrebatium tẽplũ Vedastinũ instauratur.

ANNO 1258. Paulus, Vedastini cœnobij Antistes nouam Ecclesiæ suæ structuram aggreditur. Sic in vetere codice lego, iunctis hisce versibus.

Quinquaginta nouem, minùs vno mille ducenti
Transierant anni Christi de Virgine nati,
Cum Februo Mense proprio tunc post veniente,
Fundamenta noua iecimus Ecclesiæ:
Pòst à Pontifice Siluanectense dicatæ,
Anno Milleno trecento, quinque remotis.

Vide infrà ad an. 1295.

Itẽ Audomaropoli Bertinicum.

Quantam pro instauratione Vedastinæ Ecclesiæ operam Paulus impendit; tantam & eodem tempore Gislebertus Abbas, pro suâ Bertinicâ. *Incœpit Ecclesiam nouam* (Iperius loquitur) *& quoad chorum, in capellis, columnis & parietibus, vsque ad testudines, siue voltas, inaltauit: sed vltrà quàm nos deceat, magnam, & quæ sufficere debuisset Maiori Metropoli. Quam, propter sui amplitudinem & sumptuositatem, Successores non fuerunt ausi perficere. Vidi, qui scribo, de capellis illis,*

parie-

*parietibus & columnis, adhuc stantes; sed postea fuerunt deiecta: & de lapidibus eius incœpta sunt alia noua, per Dominum Henricum Abbatem, continuata per Dominum Alelmum Abbatem, & per me**, *qui adhuc durat, & est adhuc in fieri. Et quidem benè potuit hic Abbas ædificare; nam applaudebant & arridebant tunc ei omnia. Suo enim tempore pax erat in patriâ: & si Domini guerrabant, hoc erat in terris alienis.* Hactenùs Iperius.

* Hinc patet quod auctor tunc Abbas esset, quùm hæc scriberet.

Idem Gislebertus Abbas, *domus suæ refectoriū amplissimâ atque pulcherrimâ structurâ fieri curauit: in cuius ædificatione* (ait iterùm Iperius) *Latomus vnus vno pane, vnâ scutellâ fabarum, & vno Sterlingo, pro salario diurno contentabatur.* *Bertinici cœnobij refectorium.*

CHRISTI AN. 1259. ANNO 1259. Robertus, cognomine Illustris, secundus Artesiæ Comes, ex ephœbis egressus, intercedente B. Ludouico Patruo, AMICIAM, inclyti Herois Petri de Curtiniaco filiam, sibi vxorem deuincit, ex quâ has retulit proles; ALEX. 4 PAPÆ AN. 5. *Roberti Illustris Nuptiæ.*

ROBERTVM, qui obijt nullâ sobole recreatus;

PHILIPPVM, qui Blancā, Petri Britannorū primi Ducis filiam, thalami sociam accepit: quæ ei Robertum & Margaretam peperit, Robertus sibi desponsauit Ioannam, Philippi Pulchri, Gallorum Regis Filiam*, obijtque anno 1341. Margareta Ioanni, Comiti Namurcensi est concessa. Porrò Philippus anno 1298. decessit, & Blanca vxor, an. 1297. non procul Vincennarum saltu. *Eiusdem liberi.*

* *al.* Sororem.

MACTHILDEM, quæ Otthoni Burgundiæ Comiti Palatino, & Domino Salinarum, ex Nobili Imperatorum & Regum Germaniæ prosapiâ oriundo, nuptui tradita est, & Patri in ARTESIÆ COMITATVM successit.

BLANCAM, quæ Rosnayensem Comitatum obtinuit. *Bersacius, Bresinius, Tilletius, &c.*

Cæterùm Robertus Princeps noster, belli gloriâ clarissimus, mirum in modum Comitatus sui fines ampliauit; eumque inter Franciæ Pares, Philippus pulcher Rex, quòd fidam eius operam sæpè expertus esset, meritò adnumerauit; quæ dignitas ad eius etiam successores deriuaret. *Bersacius. Vide infrà ad an. 1302.* *Inter Franciæ Pares adnumeratus.*

CHRISTI AN. 1260. ANNO 1260. Decimotertio Calend. Maij, Iacobus Dinantius Pontifex Atrebatensis, è viuis recedit, eiusque corpus in templi Virginei odeo telluri mandatur. Successorem habuit Petrum, eius nominis secundum, patriâ No- ALEX. 4. PAPÆ AN. 6.

Petri Episcopi Atrebatensis in Ecclesiā suam liberalitas.

uiomensem; de quo in tabulas Atrebatensis Ecclesiæ sic relatum: *Petrus, de Nouiomo oriundus, fuit electus Episcopus, post Iacobum de Dinanto, anno eodem 1260. qui largus & pius per viginti annos, & Menses septem, hanc Atrebatensem rexit Ecclesiam. Iura Episcopatus declarauit, & ad opus Capituli Atrebatensis, contulit vnam mitram valoris quadraginta Librarum Parisiensium. Item dedit huic Ecclesiæ vas quoddā argenteum, in quo plures Sanctorū Reliquiæ reponuntur, &c.* Et paulò post: *Item instituit vnū Cereum ardentem cōtinuè, ante maius altare huius Ecclesiæ.* sic ibi.

Slusa & Balliolū.

Margareta, Flandriæ Comes, Ioanni Dampetræ Slusam ac Balliolum dono impertit, traditis indè, quæ extant, tabulis. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1261. *Mareolense cœnobiū.* — VRBA. 4. PAPA AN. 1.

ANNO 1261. Corpus integrum S. Virginis, quæ vna fuit de numero 11000. Coloniensium, in Mareolensis Asceterij templum magnificè defertur. *Monn. eius loci.*

CHRISTI AN. 1262. *Simon Vedast. Antistes.* — VRBA. 4. PAPA AN. 2.

ANNO 1262. Paulo, egregio Vedastinorum Abbate, extincto, Simoni Nouiomensi, qui Præpositi secundas partes gerebat, eadem cura demandatur. Præfuit annos septemdecim. *Chron. Vedast.*

Dedicatio ecclesiæ Caricāpensis.

Ecclesia Caricampensis, sub VVillardo, decimo sexto eius domus Antistite dedicatur; simulque in eandem trans-feruntur sacræ Reliquiæ Benedictæ Virginis, quæ Martyrij palmam vnà cum Coloniensibus Virginibus est adepta. *Monn. eius loci.*

Ioannes vndecimus Henniacensis Monasterij Præsul, fato concedit, dignitate aliquanto priùs tempore, Iacobo resignata. *Balduinus de Glen.*

Radulphus Morinorum Episcopus.

Templum Dunensis Cœnobij, in Flandris, per Radulphum Morinorum, & Ioannem Tornacensium Episcopos, Virgini Deiparæ nuncupatur. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1263. *Xenodochium opidi S. Pauli.* — VRBA. 4. PAPA AN. 3.

ANNO 1263. Guido Castillonius & Mathildis sancti Pauli Comites, amplissimum in ipsâ vrbe Xenodochium exædificant, & ingenti censûs annui portione locupletant. Ibi alendi fouendique erant, ægritudine, aut aliàs malè adfecti sexaginta homines: quibus proindè totidem lecti apparati, culcitis & cæteris fomentis egregiè instructi. Nihil quod eorum quisquā expeteret, seu in cibo, aut potu, nisi fortè esset nociuum, vnquam denegaretur. Totis noctibus, tres ad minus lampades arderent. Peregrini etiam excipiendi: puerperæ curandæ: expositi, aut ibi dolo relicti

Infantes,

Infantes, septennio nutriendi: indè arte aliquâ, quâ aliquandò vitam sustinerent, instruendi Quorum & aliorum adhuc cura, penes tres Moniales, Religionis voto constrictas, duabus laicis subministrantibus, permaneret. Sacris autem celebrandis, & singulis diuini officij horis, sonorâ voce persoluendis, tres Sacerdotes, Religionem etiam professi, qui & ægrotis Sacramenta conferrent, fuere cum duobus laicis famulis intromissi. Quibus ideò perelegans compositum Sacellum, cuius nonnulla hodiéque supersunt vestigia; & vt verbo absoluam; nihil non aderat, quod curando in suis membris, Christo Domino, quis requirere posset. Magna equidem Principum pietas! Sed & magnũ, hodiè id totum penè corruisse, detrimentum! Quid enim, quod illic superest, nisi illius quod fuit, imago vel vmbra? *Ex Archiuis opidi S. Pauli, & Principum litteris.*

Carmelitarum familia in B. Saluatoris iuxta Atrebatũ suburbio, ædibus & templo donatur. *Gazæus in Catal. Vide infrà ad an. 1497.* *Carolus, Roberti III. Patruus, Siciliæ Rex.*

Carolus, Roberti primi Artesiæ Comitis frater, Andegauensis Phocensisque Prouinciæ Princeps, ab Vrbano 4. Pont. Max. Siciliæ Regnum adipiscitur. *Meyerus.* VRBA. 4. PAPÆ AN. 4.

CHRISTI AN. 1264. ANNO 1264. Blanca, Caroli Siciliæ Regis filia, dictique Roberti neptis, Roberto, Margaretæ Flandriæ Principis, ex Guidone filio, nepoti collocatur. *Meyerus.*

Radulphus, seu Rudolphus de Kalâ, 37. Morinorũ Episcopus, vitâ defungitur; eiusque partes excipit Henricus de Muris. *Demochares.* *Henricus de Muris Morin. Episcopus.*

CHRISTI AN. 1265. ANNO 1265. Macthildis, Guidonis Dampetræ, Flandriæ post Margaretę matris obitũ, Comitis futuri coniux, eademque Bethuniensium atque Tenearmundanorum Princeps, corporis ergastulo emigrat: eiusque corpus in Flinensi Monasterio (cui, annuente marito, varia bona contulerat) honorifico donatur sepulcro. Genuit Guidoni has proles: CLEM. 4. PAPÆ AN. 1. *Obitus Macthildis Dominæ Bethuniensis, Guidonis Dãpetræ vxoris. Eius Proles.*

ROBERTVM, pòst Flandriæ Comitem, cognomine Bethunæam, vel quòd in eâ vrbe natus esset, vt vult Heuterus: aut fortè quòd viuente Patre, Bethuniensis Toparchæ titulum portauerit. *Vide infrà ad an. 1270. & 1279.*

GVLIELMVM, Teneramundæ Regulum:

BALDVINVM, qui Infans obijt:

IOANNEM, Metēsium, indè Leodicensiū Antistitem:
PHILIPPVM, Thiettæ Comitem:
MARGARETAM, Ioannis primi, Brabātiæ Ducis, } cōiuges.
BEATRICEM, Florenij V. Hollādiæ Comitis,
inde Hugonis Castillonij, Blosij Comitis: &
IOANNAM, Ducis Iuliacensis

Pontus Heuterus in Genealogijs:

Guido Dāpetra thalamū instaurat.

Porrò ab Macthildis coniugis funere, Guido thalamum reparauit cum Isabellâ Namurcij Comite, Henrici Lucemburgij Principis filiâ, quæ ei Guidonem, aliasque proles genuit. *Vide Oudegherstium cap.* 122.

Gislebertus, Abbas Bertinensis, senio & tædio confectus, relicto Monasterio suo, Claromariscum secedit, ibique Monachus efficitur: quo loco ædem pulcherrimam condidit: cui propterea nomē datum, Domus Domini Ghisleberti, Abbatis S. Bertini. *Iperius.*

Gisleberto Iacobus successit, ordine quinquagesimus Antistes. *Id.*

Iacobo Bertinensi Abbati defuncto, successit VVillelmus: quo verò tempore, incerta memoria. *Id.*

Harlebecæ, Hebdomadales Nundinæ.

Harlebecanis, Hebdomadales rerum venalium Nundinæ, ab Balduino, Græcorum Augusto conceduntur. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1267. Macthildis S. Pauli Comitissa, Testamētum & sepulturæ locus.

CLEMEN. QVARTI PAPÆ AN. 3.

ANNO 1267. Macthildis, vxor Guidonis, Comitis S. Pauli, Caricampense Monasterium, in futurum sui sepulcretum seligit, vt hoc eius detegit testamentum:

Ego Macthildis, Atrebatensis & sancti Pauli Comitissa, notum facimus tam præsentibus quàm futuris, quòd Nos Monasterium & Fratres Caricampi, in Christo amplectentes, nostramque sepulturam affectuosè ibidem eligentes, vbicunque nos à præsenti vitâ contigerit decessisse, & vt adimpleremus desiderium, quod in mente conceperamus: ad Monasterium ipsum personaliter accessimus, & Abbatem totumque Conuentum in Capitulo fecimus aggregari. Quibus humiliter & deuotè supplicauimus, vt diuinæ pietatis intuitu, duo altaria, in vno loco Ecclesiæ suæ concederent, in quibus duæ Missæ qualibet die, vna videlicet de Spiritu sancto, & alia de beatâ Virgine, quamdiu vixerimus: & post decessum nostrum, qualibet die, & inperpetuum, pro fidelibus, à duobus fratribus, ad hoc per Abbatem qualibet Hebdomadâ deputatis celebrarentur. Item quod in singulis annis, fieret anniuersa-

rium nostrum solenniter, in die obitus nostri in Ecclesia Caricampi, Presbytero, Diacono & Subdiacono, ad illud faciendum, sacerdotalibus reuestitis; quod iam Capitulo generali est concessum in Cistercio. Ipsis nobis amicabiliter prædicta annuentibus, exceptis Festorum solennitatibus, in quibus oportet eos, secundum statutum sui Ordinis de Festorum solennitatibus, quibuslibet altaribus celebrare. Nos ob remedium animæ nostræ, & animæ Roberti, bonæ recordationis, Comitis Atrebatensis, quondam Domini & Mariti mei, & ob remedium charissimi Domini nostri, Guidonis, Comitis sancti Pauli, & animarum omnium liberorum & Parentum nostrorum, & pro cunctis fidelibus de consensu eiusdem charissimi Domini & mariti mei, Comitis S. Pauli, dicta duo altaria, in Choro Conuersorum Ecclesiæ Caricampi ordinauimus construenda: videlicet ad dexteram partem vnum, & alterum ad sinistram, via qua pergitur ad Chorum Monachorum, inter duo altaria existente. Item nostrum anniuersarium prædicto modo annuatim faciendum. Sed loco anniuersarij vnam Missam de Spiritu sancto, pro nobis & amicis nostris volumus quamdiu vixerimus, quolibet anno in Septimanâ Pentecostes, & si tunc nequiuerit aliâ die, vt dictum est, in anno celebrare. Prætereà ijs omnibus, secundum intentionem nostram ordinatis; considerato, quòd qui altari deseruit, viuere debet de altari, ad institutionem duorum altarium & anniuersarij prædictorum dedimus & assignauimus, in puram & perpetuam Eleemosynam, Monasterio Caricampi, Fratribusque Deo ibidem seruientibus, quadraginta libras Parisienses, in Monasterio de Lisquio, Ordinis Præmonstratensis, in die Paschæ singulis annis perpetuò accipiendas, sicut in litteris prædictorum Abbatis & Conuentus de Lisquio planè & plenariè est expressum: ita tamen quòd de quadraginta libris Parisiensibus supradictis quolibet anno in die anniuersarij prædicti decem libræ partiantur, & Conuentui Fratrum in Pitanciâ, in Refectorio communiter ab Abbate ministrentur: residuo dictarũ 40. librarum Parisiensium, in monasterij vtilitate & Fratrum, secundum dispositionem suam reseruato, quæ vt rata & inconcussa remaneant in futurum, Nos tam Guido Comes, quàm Comitissa prædicti præsentes litteras Sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Datum Anno CIↃ. CC. LXVII. Mense Aprili.* Ex monn. Eccl. Caricamp.

* Corrige, *Retributione.*

CLEM. 4 PAPÆ AN. 5.

CHRISTI AN. 1268.

ANNO 1268. Mense Iulio, Robertus Princeps noster, Bebriacum*, non temnendum Artesiæ, iuxta Bethuniam municipium, ab Mariâ, eius loci Dominâ, Ioannis

* Gal. *Beuury.*

Bebriacum, municipium iuxta Bethuniam.

DE NEDONCHEL, armigeri, coniuge, pensis nummis acceptum, ditionis suæ facit. *Ex Archiuis opidi Atrebatensis.*

CHRISTI AN. 1269. *Nūdinæ Audomarensium.* ANNO 1269. Robertus Comes, Audomaropoli nundinas menstruas, semel quotannis celebrandas instituit. *Ex archiuis opidi Atreb.* SEDE VACANTE AN. 1.

Xenodochium opidi S. Pauli bonis auctum. Robertus Halingius, decimam, quæ in Comitis villâ *, à fano Pauli vno lapide abiunctâ, legitur, Xenodochio eius vrbis abs Guidone & Macthilde Comitibus, nuper exstructo, volens lubens impertit. *Ex archiuis eiusdem opidi.* *Gal. Cōtenille.

Castellanus Bapalmēsis. Bapalma, Robertum, Beaumezij & Aussimontij Toparcham, suum agnoscit Castellanum.

CHRISTI AN. 1270. *Obitus S. Ludouici Regis in Syriâ.* ANNO 1270. Beatus Ludouicus, Gallorum Rex, in Syriâ, peste (quibusdam, alui profluuio, vide Genebrardū) correptus, ex mortali regno, ad æternum gloriosus transmigrat; hâc oratione sæpiùs iteratâ: *Fac nos quæsumus Domine, pro amore tuo, prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare.* Hinc pro populo: *Esto Domine plebi tuæ sanctificator & custos & quam tibi cernis esse deuotam, benigno refoue miseratus auxilio.* Ac demùm: *Introibo in domum tuam; adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Quibus dictis, felicem spiritum emisit. Bonifacius octauus, pluribus clarum miraculis, retulit in Sanctorum numerum. *Ipertus, Gaufridus, Clictonæus, Papirius, Massonus, Surius, &c.* SEDE VACANTE AN. 2.

Roberti, Bethuniensis Aduocati Nuptiæ. Iola (cui pater Eudes, Hugonis, Burgundiæ Ducis, Filius) Neuersij, ex Mariâ matre, Comes, Roberto, Guidonis Flandriæ Comitis Filio, natu maximo, Bethuniæ Aduocato consors thalami iungitur. I. *Dauffaius Artesius, Maximil. Archiduci à Libellis, in Apol. MS. Burgundiæ, Artesiæ, &c. Vide suprà ad an. 1265.*

Hugo D'ABLAIN, Atrebatensis Ecclesiæ Sacellanus, hospitio siue Xenodochio Dei, è regione Atrij Cathedralis Ecclesiæ Atreb. erecto, plurima bona attribuit, atque hoc nomine imprimis, vt missæ sacrificium, ab Sacellano, illic nominatim ad hoc instituendo, iugi tenore persoluatur. *Ex eius Hugonis litteris, hoc anno, Calend. Oct. datis. Vide infrà ad an. 1478.*

Arscotanus Baronatus abs Godefrido Virzoniensi, Birbachi Toparchâ initium habet. *Diuæus.*

CHRISTI AN. 1271 ANNO 1271. Mense Aprili, Robertus, Artesiæ Comes, Albiniacū Comitatus sui nobile municipium, cum appen- GREG. X. PAPÆ AN. 1.

dicibus,

dicibus, in geminas partes distinguit; quarũ vnã ipse Robertus, alterã Guido Castillonius, sancti Pauli, Comites, perpetuo iure possiderent; ad æquam distinctionem admissis Stephano DV PAYAGE, & Ioanne DE FRINECOVRT Equestris Ordinis viris, pari nutu, arbitris. Roberti adsunt litteræ:

Albigniacensis villa diuisio.

Robertus Comes Atrebatensis, omnibus præsentes litteras inspecturis, Salutem. Noueritis quòd Nos, propter dilectionis affectum, quem ad carissimam matrem nostram Mathildim, Cometissam Attrebatensem, & S. Pauli, vxorem dilecti & fidelis nostri Nobil. Viri Guydonis de Castellione, Comitis sancti Pauli, & ad ipsorum liberos fratres nostros gerimus; damus & concedimus ex gratiâ speciali in augmentationem feodi quod tenet à nobis, præfato Guidoni, & eius hæredibus, omnimodam altam Iustitiam, in medietate villæ de Albingniaco, & ortorum dictæ villæ: Nec non & totam altam Iustitiam in totâ villâ DE BVSCOY, & ortis eiusdem villæ; & totam altam Iustitiam in medietate omnium feodorũ & retro-feodorum villarum prædictarum mouentium de feodis dicti Comitis. Omnimodâ altâ Iustitiâ, in alia medietate* dictæ villæ de Albingniaco, & omnium feodorum & retro-feodorum prædictorum; nec non & omnium feodorum & retro-feodorum totius alterius terræ Domini Drogonis de Amlianis Militis, penes nos & hæredes nostros remanente. Nos autem & dictus Comes sancti Pauli, elegimus duos probos viros, videlicet Stephanũ; dictum de Peyagio*, & Ioannem DE FRINECOVRT milites*, qui per iuramentum suum, villam de Albingniaco, & ortos eiusdem villæ, & omnia feoda, & retro-feoda supradicta, de dicto Comite mouentia, fideliter & æqualiter, pro posse suo diuident, ac metas etiam ponent; ita quòd vnam medietatem prædictorum feodorũ & retro-feodorum ponent versus Atrebatum, & alteram medietatem, versus terram dicti Comitis S. Pauli. Partione verò huiusmodi sic factâ, metas ponent: ita quod omnimoda Iustitia in Castellania Belli-Rami* sic diuisa & metata, & pertinentijs eiusdem penes dictum Comitem, & hæredes ipsius similiter remanebit. Exceptâ villa DE ALBIN, & ortis dictæ villæ. In quibus villa & ortis, nos & hæredes nostri habebimus omnimodam Iustitiam & omne mantãmtum* Iustitiæ, quod ibidem habuit dictus Comes. Et exceptâ villâ, quæ dicitur TORTEFONTAINE, & ortis eiusdem villæ, in quibus etiam omnem Iustitiam habebimus. Si verò præfati duo probi viri non possent prædictorum, vel metarum positione concordare: ipsi discordiam, & causam discordiæ, ad Nobilem virum Senescallum Flan-*

Villa de Buscoy.

* Ea pars vulgò vocatur *Aubigny la Marche.*

* Altera hæc pars dicitur *Aubigny le Comte.*

* Gal. *du Payage.*

* Gal. *Cheualiers.*

* Gal. *Beaurain.*

Belli-Rami Castellania.

Villa de Albin.

Villa Tortefontaine.

* id est, manutenamentum.

ariæ,

dria, tanquam ad tertium à nobis & dicto Comite electum reportarent. Et quicquid dictus Senescallus cum altero duorum prædictorũ militum super præmissis omnibus & singulis concordaret, vel etiam ordinaret, illud à nobis & dicto Comite, inuiolabiliter seruaretur. Quicquid autem super dictis diuisione, & metarum positione à prædictis viris factum fuerit, in scripturam sigillis ipsorum sigillatim redigetur. Si verò aliqua feoda de Castellaniâ Belli-Rami, infra Castellaniam de Hisdinio includantur, alta Iustitia illorum feodorum ad nos integrè pertinebit. Et si aliqua feoda Castellaniæ de Hisdinio, infra Castellaniam Belli-Rami includantur, alta Iustitia illorum Feodorum ad Comitem Sancti Pauli penitùs remanebit. In cuius rei testimonium Nos & dictus Comes, vnanimiter & concorditer sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Actum apud Atrebatum, Anno Domini Millesimo Ducentesimo septuagesimo primo, Mense Aprili.* Hactenùs ibi.

Housdanũ municipium.

*Intellige *Housdain.* Vide suprà ad an. 1113.

ANNO 1271. Idem Robertus Princeps, Simonẽ Fauerelium Atrebatensis opidi Prætorem seu Maiorem (vt vocant) instituit; quæ dignitas iure hæreditario, ad eius posteros dimanaret. *Ex Arch. Atreb. Vide ad an.* 1414.

CHRISTI AN. 1271. *Prætor opidi Atrebatensis.*

GREG. X. PAPA AN. 1.

VVillelmus Abbas Bertinicus, per mortem euocatus, dignitatem ab Iacobo acceptam: Ioanni remisit. Fuit Porrò Ioannes, patriâ Audomarensis, cognomine de Bosco: multasque ab æmulis Religionis sustinuit molestias: quarum tandem pertæsus, septennio eâ in dignitate expleto, nuntium eidem misit, an. 1278. *Iperius.*

Ioannes Abbas Bertinẽsis.

Vestales Virgines, quæ Victorinæ appellantur, ad Pontem Rorardi, super Isaram in agro Furnensi, per insignem Equitem Gulielmum Bethuniensem institutæ Monastices regulam ibi auspicantur. *Meyerus.*

Gynæcæum ab Gulielmo Bethuniensi constructum.

Definitur à Comite Flandrorum de vectigalibus, per flumina, ab Duaco, Ruplemundam vsque, indeque Valẽtianas colligendis. *Idem.*

Duacẽsis fluminis vectigal.

Conceditur Insulanis, stato tempore, liber mercatus equorum, semel in anno, per dies quinque. *Idem.*

Insulis nundinæ Equorũ.

ANNO 1272. Mense Ianuario, Robertus Comes Senatores Atrebatenses singulari exornat priuilegio: scilicet ijs solis licere, exilio quos damnarunt, ab eodem reuocare: nec, nisi eorum consensu, posse Principem, demptâ solenni eâ die, quâ sub triumpho vel ipse, aut ipsa Princeps, vel eorum filius natu maior, ab Ciuibus primum excipiuntur,

CHRISTI AN. 1272. *Senatorũ Atrebatium insigne priuilegiũ.*

GREG. X PAPA AN. 2.

tur; tunc in eorum potestate fore; eos tamen solos, quos exilium non diuturnius quinquennali, ab vrbe prohibet. *Ex Arch. Atreb.*

Franciscani Atrebatenses, ab Cathedralis Ecclesiæ Canonicis facultatem obtinent, fidelium cadauera in proprio ad Fossas Atrebatias Cœmiterio sepeliendi. Quod pactum ratum statim habuit Sanctus Bonauentura Seraphici Ordinis Minister Generalis. *Ex Monn. And. Herbij Canon. Atreb.*

Cœmiterium Franciscanorum iuxta Atrebatum.

CHRISTI AN. 1273. ANNO 1273. Septemb. 29. Rudolphus, Comes Habspurgensis & Elsatiæ Comes Prouincialis eligitur Imperator Romanorum. Lausunæ ab Gregorio x. Pont. Max. eius electio confirmata est. Vnde veteres versiculi:

GREG. X. PAPA AN. 3.

Bis sexcenti, septuaginta, tresque steterе
Anni; Lausunæ dum Rex & Papa fuere.

Chron. lib. 4. Chron. Vide libellum nostrum Gallicum de Nobilitate Ecclesiæ. Item Iusti Lipsi Monita politica. lib. c.

Lugduni Concilium Generale cogitur. Adfuit Gregorius 10. Pont. Max. & præsedit. Ibi inter cætera sic ordinatum:

Si summum Pontificem in ciuitate, in qua cum sua Curia residebat, diem claudere contingat extremum: Cardinales, qui fuerunt in Ciuitate ipsa præsentes, absentes expectare decem diebus tantummodo teneantur: quibus elapsis, siue absentes venerint siue non, ex tunc omnes conueniant in Palatio, in quo idem Pontifex habitabat; contenti singuli singulis tantummodo seruientibus, &c. Et infrà: *In eodem autem palatio vnum Conclaue, nullo intermedio pariete, seu alio velamine, omnes inhabitent in communi; quod, reseruato libero ad Secretam Cameram aditu; ita claudatur vndique, vt nullus illud intrare valeat, vel exire. Nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas secretè loquendi cum eis; nec ipsi aliquos ad se venientes admittant: nisi eos qui de voluntate omnium Cardinalium inibi præsentium, pro ijs tantum, quæ ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui, nuntium mittere vel scripturam, &c.* Et infrà: *In Conclaui tamen prædicto aliqua fenestra competens dimittatur, per quam ijsdem Cardinalibus ad victum commodè necessaria ministrentur: sed per eam nulli ad ipsos patere possit ingressus. Verùm si (quod absit) intra tres dies, postquam (vt prædicitur)*

Ritus in summi Pontificis electione.

Conclaue præfatum ijdem Cardinales intrauerint, non fuerit ipsi Ecclesiæ de Pastore prouisum: per spatium quinque dierum immediatè sequentiũ, singulis diebus, tam in prandio, quàm in cœnâ, vno solo ferculo sint cõtenti: quibus, prouisione non factâ decursis, ex tunc tantummodò panis, vinum, & aqua ministrentur eisdem, donec eadem prouisio subsequatur, &c. Et post multa

Orandũ pro summo Pontifice defũcto. *Huic etiam adijcimus Sanctioni, vt in omnibus ciuitatibus, cæterisque locis insignibus, vbi primùm de memorati Pontificis obitu, certitudo claruerit, à Clero & populo, solennes pro eo exequiæ celebrentur, &c.* Sic ibi. Vide sextum Decretal. lib. 1 tit. 6. cap. 3. *Vbi periculum*, & Missale Romanum.

CHRISTI AN. 1274. Moneta cudendæ ius datũ Flãdris. ANNO 1274. Monetæ in Flandris cudendæ non tamẽ aureæ (vide infrà ad an. 1382.) primùm ab Margaretâ Comite facultas conceditur. Claudius DE KAM Brugensis, primus id est auspicatus. *Meyerus.* GREG. X. PAPA AN. 4.

Signabatur moneta Flandrica Gandaui & Alosti, Hannonica Valentianis. *Idem ad an. 1276.*

Ioannes de Baraſtrâ, decimus quintus Montis Eligiani Præsul, mortis arbitrio vitâ cadit. Eius sedem ingressus est Stephanus de Firomonte, Artium atque S. Theologiæ Doctor. De illo sic in Monn. MSS. eius Monasterij: *Stephanus Mõtis Eligiani Abbas.*

Fuit amator atque promotor bonorum Scholarium. Vnde Magister Seruatius eius Successor, suis temporibus ad cathedram magistralem peruenit, & Doctor in Theologiâ factus est, cum duobus alijs Ioanne & Andreâ. Cinxit totum monasterium muris politis & altis, prout nunc intuentibus apparent. Rexit Ecclesiam annis septemdecim, mensibus quinque: obijt an. 1291. Hæc ibi. *Cœnobiũ altis muris cinxit.* GREG. X. PAPA AN. 5.

CHRISTI AN. 1275. Arx Gãdauensis opido iuncta. ANNO 1275. Gandaui Castrum vetus, annuente Margaretâ Comite, ab Ciuibus opido applicatur, eiusque fossæ oppletæ & lapidibus pauiatæ, viam prætereuntibus præbere occipiunt. *Meyerus & Oudegherstius.*

Brugẽse opidum dilatatur. Brugenses ius seu facultatem ab ipsâ Principe accipiunt vrbis suæ pomœrium proferendi. *Iidem.*

CHRISTI AN. 1276. ANNO 1276. Innocentius 5. absens eligitur, & primus ex Ordine Prædicatorum fit Romanus Pontifex. *Genebrardus.* INNO 5. PAPA AN. 1.

Rudolphi primi, Imp. Victoria. Rudolphus Imperator, ingenti exercitu coacto, Austriam, Stiriam, Carinthiam, aliaque loca, ab Odoacro Bohemiæ Rege, nullo iure occupata, aggreditur & sibi subijcit. *Siffridus.*

Marga-

Margareta (quidam Macthildem nominant) Florentij quarti nomine, decimi-septimi ordine, Hollandiæ Comitis, filia, Hermani Henebergæ Comitis, coniux, vnico partu 365. proles in lucem emittit. Eius epitaphium, quod etiamnum in Lodunensium virginum cœnobio legitur, emicleatè rem detegit. Est illud eiusmodi. — *Mōstruosus partus 365. prolium.*

Margareta, Hermani Comitis Henebergæ, vxor, & Florentij, Comitis Hollandiæ & Zelandiæ, filia, cuius mater fuit Macthildis, filia Henrici Ducis Brabantiæ, fratrem quoque habuit Guillelmum Alemaniæ Regem. Hæc præfata Domina Margareta, anno Salutis 1276. (* Meyero 1278.) *ipso die Parasceues, horâ nonâ ante meridiem, peperit infantes viuos promiscui sexus, numero trecentos sexaginta quinque: qui postquam per Venerabilem Dominum Guidonem Suffraganeum Episcopi Traiectensis, præsentibus nonnullis proceribus & magnatibus in peluibus duabus ex ære, baptismum percepissent, & masculis Ioannes, femellis verò Elizabeth nomina imposita fuissent, simul omnes cum Matre, vno eodemque die fatis concesserunt, in hoc Lodunensi templo sepulti iacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex vno partu gemellos in vlnis gestabat pueros: quam rem admirans ipsa Comitissa, dicebat id per vnum virum fieri non posse, ipsamque contumeliosè reiecit. Vndè hæc paupercula animo perturbata ac perculsa, prolium tantum numerum ac multitudinem ex vno partu ipsi imprecabatur, quot vel totius anni dies numerantur. Quod quidem præter naturæ cursum, obstupendâ quâdam ratione, ita factum est, sicut in hâc tabulâ, in perpetuam rei memoriam, ex vetustis tam manuscriptis, quam typis excusis chronicis breuiter positum & narratum est. Deus ille ter maximus hac de re suspiciendus, honorandus & laudibus extollendus, in sempiterna sæcula. Amen.* Sic ibi: Subtùs verò distichon hoc habetur: — *Earum fidei augendæ Epitaphium.*

En tibi monstrosum simul & memorabile factum,
Quale nec à Mundi conditione fuit.

Petitæus l. 2. Chron. Holland.

Simile prodigium fertur contigisse Bruxellæ abs vnico nobilis Heroinæ N. de Trasigny partu, qui tredecim proles masculas ei donauit, ob derisam mendicantis pauperculæ tot natorum fœcunditatem, cuius memoria etiamnum exstet, in quâdam vitreâ, ad S. Gudilæ: quo autem id anno, me latet. — *Alij. Partus similis notæ.*

Tantorum ratione, omittā quatuor eiusdem partus &

sexus natos, in Brabantiâ, villâ Nerisca, Diuæo post Sigebertum, assertore, anno 1126. venisse ad lucem. hanc lampada vobis trado; medici, nam cætera supra vos; vt quæ ab istâ diuinâ atque solâ mente; in quibus vt sum, hærendum adhuc nonnihil: Anno 1269. in Cracouiensi tractu, Margareta, Virboslai Comitis coniunx honestissima, atque adeò marito imprimis chara, vno etiam partu, sex supra triginta proles viuas edidit. *Herburtus, Histor. Polon. l. 7. c. 13. Vide aliud prodigium infrà ad annum 1598. & suprà ad an. 566.* Istis Amazonibus non amputandas crediderim mamillas, quin à naturâ plures optandas: qualiter Atrebati se cuidam mulieri, Iudithæ nomine, etiamnum superstiti, vulgo note, communicauit; dum ei tres mammas ab matris vtero referre haud recusauit.

Hic, Belgicæ nostræ gratiâ, ex Iusti Lipsij Louanio appendo:

Nota pro Louanio & S. Thomæ Aquinatis pulpito.

Fama tenet Albertum magnum Ratisponensem Episcopum huc venisse, & altaria quædam in altiore templo sacrasse, anno 1276. Aiunt & discipulum eius, inclytum illum Thomam Aquinatem, comitem fuisse; & Euangelium de loco superiore cecinisse: ac pulpitum ipsum seruant, quo ferunt vsum.* Hæc Lipsius, lib. 2. c. 17.

* *Intellige Louanium. *Dominicanorum.*

Verumtamen, vt cum veniâ dicam, altiùs id videtur referendum, nam vt habetur in Romano Breuiario, & alibi, B. Thomas anno 1274. in viuis esse desijt.

CHRISTI AN. 1277. *Iprensis Magistratus.* IOAN. 21. PAPA AN. 1.

ANNO 1277. Ipræ tres Magistratus instituuntur, quibus præfuere Prætor Comitis, Prætor portus, & alius Prætor, quem vocant Sculttetum. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1278. NICOL. 3. PAPA AN. 1.

ANNO 1278. Galterus BLOC, Bertinensis cœnobij creatur Antistes. Præfuit magnâ cum laude, atque monachos ex nimio luxu ad frugalitatem summâ moderatione reduxit. *Iperius.*

Gandauum dilatatur.

Gandauensis opidi pomœrium dilatatur. *Vide Meyerum, Et hîc, ad ann. 1202. 1228. & 1357.*

CHRISTI AN. 1279. *Garinus Abbas Vedastinus.* NICOL. 3. PAPA AN. 2.

ANNO 1279. Simone Vedastinorum Abbate ad sepulcrum deducto, Garinus eisdem Antistes traditur, de quo sic eorum Chronicon: *Garinus vestitutâ per Scholasticos, quos vocant, Doctores Theologiæ ipse post nauatam in eâ haud pœnitendam operam, cum professus acutè iuxta & accuratè, viam sibi fecit ad hanc Præfecturam; quùm Nicolaus tertius Summus Ecclesiæ Pastor, summâ beneuolentiâ viros eruditos prosecutus, & eos*

maximè,

maximè, quidactrinam tam prudentià & religione haberent coniunctam, quamaximis lubentissimè ecttomarit honoribus. His itaque fretus virtutibus Garinus Præsulatum iniit, & idoneum se Pastorem præstitit: qui quod religiosis maximè erat in votis, Pauli æmulus, tepti eius moli, templi corpusculum magnâ ex parte imposuit, intimâ templi parte euectâ ad supremum fastigium, vsque ad primam testudinem pronam, quam ab Episcopo Silbanectensi lustrari, dedicarique anno Christi Dei & hominis nati 1295. curauit. Huc vsque Chronicon. Vide suprà ad an. 1258. & infrà an. 1295.

Tēpli sui structurā valdè auxit. Eiusdem dedicatio.

Margareta Flandriæ & Hannoniæ Comes, Flinensis cœnobij (de quo ad annum 1241.) aliorumque locorū pia fundatrix, 10. Febr. vitam cum morte commutat; atque in medio dicti Monasterij Choro, diuite donatur Mausolæo, Balduino & Guidone filijs funus curantibus. Illi defunctæ in Comitatum Flandriæ Guido Dampetra; in Hannoniæ alterum, Ioannes Auesnensis successerunt. *Oudegherstius, Meyerus, &c.*

Obitus Margaretæ, Flādriæ Comitis. Guido Dāpetra eius successor.

Accursius Florentinus, annos 78. natus, Bononiæ moritur. Is primus vniuersi Iuris fuit Glossator, & adhuc vltimus: licet anno ætatis 37. cœperit legum studio vacare, tamen in illo summus euasit. *Genebrardus in Chron. l. 4.*

Accursius vniuersi iuris Glossator. NICOL. 3. PAPÆ AN. 3.

CHRISTI AN. 1280. ANNO 1280. *Petrus Nouiomensis Atrebatensis Episcopus, propter Corporis debilitatem, petitâ, magnis sumptibus, cedendi licentiâ, &, cum difficultate, obtentâ, huius Episcopatus liberè cessit regimini, nihil de bonis Episcopatus perpetuis retinendo. Post huiusmodi cessionem regiminis, vacauit Episcopatus annis tribus.* Ex tabulis Eccl. Atreb. eodem stylo. Obijt Petrus eodem anno, quintâ Septembris.

Petrus Episcopatum Atrebat. abdicat. Vacat sedes annis tribus.

Atrebati, Beatæ Virginis Icuncula, quæ intra Vedastini Monasterij septa, peruetusto Sacello reclusa est (illi NOSTRÆ DOMINÆ A CASTRO nomen) signis varijs prodigijsque resplendet. Nempè ad eius præsentiam vel memoriam, energumeni liberati, naufragi saluati, muti, cæci, herniosi sanitati restituti. Huius loci sic meminit Chronographus Cameracensis: *Infra idem Castrum* * *duæ Basilicæ iuxta se sibi adiacent; vna videlicet in honore Sanctæ Mariæ, altera verò Sancti Petri Apostoli.* Hæc ille. Pro altera S. Petri vide ad ann. 729. & 1147.

Imago Beatæ Virginis Atrebati signis clara. Ecclesia B. Virginis, & S. Petri iuxta Castrum Atreb.

*sc. Sancti Vedasti.

Audomaropoli, in foro principe, ad eiusdem Virginis gloriam & futurum perpetuò decus, Sacellum magna Ci-

Sacellũ B.V. miraculis clarũ Audomaropoli

uium alacritate constructum, quod à frequentibus miraculis, SACELLVM DOMINÆ NOSTRÆ MIRACVLORVM vulgò appellant. *De illo in Mariali nostro l. [illegible]*

CHRISTI AN. 1281. Brugẽsiũ Seditio. Nummi Atrebat.

ANNO 1281. Brugenses, populari seditione concitatâ, sumptis armis in publicum prodeunt, Senatoribus suis, immò & Principi Guidoni minitabundi. Quorum animos vbi confregit Princeps, luit Ciuitas centũ millibus nũmûm Atrebatensiũ; ac insuper alijs quatuor millibus, ad sarciendos Principis, aliorũque sumptus. *Meyerus, Oudegherstius, &c.* MARTINI 4. PAPA AN. 1.

Amicia, Strumensis cœnobij 19. creatur Antistita.

Vespera Sicula.

Vesperæ Siculæ hâc tẽpestate celebrãtur. *Vide ad an[illegible]*

CHRISTI AN. 1282. Amicia Roberti Principis nostri coniux moritur. Robertus Princeps thalamũ instaurat.

ANNO 1282. Amicia, Roberti Illustris coniux, Romæ moritur, atque in Sancti Petri Basilicâ superbo donatur Mausolæo; non infœcunda ea quidem, vt quæ proles quatuor Roberto genuerit. *Vide suprà ad annum [illegible]* Hinc Robertus thorum cum Agnete Burboniâ instaurauit; post cuius decessum Margaretam Hannoniensem, anno 1305. in opido Duacẽsi, tertiam superduxit: quarũm posteriorũ nuptias steriles est expertus. *Bersacius, Meyerus, Iperius, &c.* MARTINI 4. PAPA AN. 2.

Iacobus 12. Hẽniacensis Monasterij Abbas, vitæ muneribus defungitur. Eius partes excepit Gulielmus DE [illegible].

CHRISTI AN. 1283.

ANNO 1283. Hugo D'AVCOCHE, Equestris vir Ordinis, Guidonis Fani S. Pauli Comitis apprimè familiaris Hydromilam, seu molam aquatilẽ, quæ ad S. Martini Castrum, non procul opido S. Pauli, Thernâ Fl. in eius scaturiginis conspectu rotatur, ab Godefrido in S. Saluatoris eiusdem opidi, Custode & Canonico, permutatione accipit. Illam Henricus Morinorum Episcopus, & Guido Comes ratam habuere. MARTINI 4. PAPA AN. 3.

Theobaldi Berleæ Domini, in pauperes pietas.

Mense Aprili, Theobaldus Nobilis Eques, Berleæ* Dynasta, Iacobo eius filio assentiente, Dynastiæ suæ incolis rerum egenis, aut Elephantiasi malè adfectis vt benè sit, largâ manu plurimas possessiones atque annales reditus, huic officio in æuum largitur, certis anni temporibus, ab loci Parœco & Duum-viris, viritim tribuendos. In cuius pietatis gratiam quotannis octies, quùm eius defuncti & N. D. Petronillæ coniugis, tùm Iacobi filij, & maiorum manibus parentaretur, tribus ceræ libris quæ arderent ad sacra singula, comparatis. *Ex eius Theobaldi litteris.*

*Gal. Berles Mõstiers: iuxta Monciaci altum Gal. Mon cy au bois.

Gulielmus de Isiaco, Atrebatium creatur Episcopus.

Hac

Hac ferè tempestate, Palatium Parisiense (vbi Ludouicus Hutinus Parlamentum, olim vagum, sedentarium fecit) exstructum est à Philippo Pulchro Gall. Rege, Engerramo Marinio *, fisci præfecto, illud opus in Insulâ Regiæ Vrbis vrgente *Genebrardus*.

Parlamentum Parisiẽse

* Gal. *de Marigny*

Christi An. 1285.

Anno 1285. Carolus, Siciliæ Rex, S. Ludouici Regis, & Roberti primi Artesiæ Comitis, Frater, fato concedit, Regno atque liberis eius, Roberti Illustris, nepotis, Principis nostri tutelæ, per summũ Pontificẽ cõmissis. *Franc. Annal.*

Hono. 4 Papæ An. 1. *Regnum Siciliæ in tutelâ Roberti Illustris Principis nostri.*

Dominicani & Franciscani, cùm se Pastorũ officijs intermiscẽt, motũ in Ecclesiâ concitant. Confessiones laicorum absque consensu Pastorũ audire sibi sumunt. Hinc publicæ adinuicem contumeliæ & rixæ; inuectiuæ etiam, apologiæque, & plurimi famosi libelli. *Meyerus, ijsdẽ pene verbis.*

Christi An. 1286.

Anno 1286. Fani Audomari Castellania, Guidonis Flandriæ Comitis ditioni accedit, Galtero Reuengerio, Moerbekæ Toparchâ, eam distrahente. In cuius translationis compensam Castellani centum sexaginta septem libras Flandricas, atque denarios duodecim annui cẽsus, Galtero & eius hæredibus in æuum numerarent. *Oudegherstius.*

Hono. 4 Papæ An. 2. *Castellania Audomar. fit iuris Principis nostri.*

Gulielmus de Isiaco, Episcopus Atrebatensis, sancit, vt hebdomadatim Virgineum officium sub semiduplici solemnitate Diœcesis vniuersa persoluat; simulque Velum atque Cingulum beatissimæ Virginis, vnà cum Mannâ illo cantatissimo (de quo ad an. 371. diximus) in nouum feretrum argenteum ad formam Arcæ Mosaicæ faberrimè compositum cælatumque, transfert, præsentibus Vedastino, Aquicinctino, Aroasiensi, Caricampensi, Eligiano, Hasnoniensi, Henniacensi, Marchianensi, Mareolensi, Mortagniensi, Viconiensi Abbatibus.

Hebdomadale B. Virginis officium in Ecclesia Atrebat. Veli & Cinguli B. Virginis simul cũ Mãna Atrebati in nouũ feretrum argenteum transferuntur.

Horum habeo Canonicorũ Atrebatensiũ tale rescriptũ.

Venerabili in Christo Patri, ac Domino Ioanni, Dei gratiâ electo & confirmato Cathalaunensi, Deuoti eius, H. Præpositus, R. Decanus, totumque Atrebatensis Ecclesiæ Capitulum, cum omni reuerentiâ & honore paratam ad beneplacita voluntatem. Habet hoc proprium antiqui hostis inuidia, vt quos fidei gratiâ repleri circumspicit, seditionis magis dilaceret maculâ, & coinquinationis pice denigret. Ab olim quippè à nobis, à nostris quoque prædecessoribus, in Atrebatensi Ecclesiâ obseruatum exstitit Feretrum quoddam Angelorum, Serenissimæ Dominæ pretioso nomine

nuncu-

nuncupatum, in quo VELVM CANDIDVM, *quo sanctissimum suum caput, mulierum more tegebat, ipsius etiam* CINGVLVM, *quo in humanis agens, sacratissimum cinxit uterum;* MANNA *quoque, quod in modum lanæ, è cœlo pluuiæ mixta (ut testatur Hieronymus) defluxit Atrebati, quod Patres nostros nonnunquam repleuit bonis, cum* CRVCIS LIGNO *Sanctissimo, aliisque innumeris Reliquiis, annis singulis die Pentecostes, ad Maioris Atrebatensis & Scabinorum non leuem instantiam, ac eorum fidei meritum feliciter augmentandum, ad nostram quoque Fabricam fabricandam, eisdem certo assuetoque modo concedere. Cumque illud eis reuoluto iam anni spatio, more solito tradere curassemus, post dies quantoslibet, illius versutiis qui Sathanas dicitur, stimulatu cum scandalo & seditionis Zizaniâ exortis in plebe, eodem actore cum gladiis & fustibus, strage in plebe & nece factis, ad nostram Ecclesiam huiusmodi sanctuarium, malorum more, partim cassum, partim fractum, per incuriam forsan raptum, per tumultus rabiem partimque contusum inhumaniter, reportarunt: Quod in propinquo vos latere non credimus, quum iam peruenerit in longinquo. Ne tamen ex tantâ insaniâ, veneranda huiusmodi, ac infirmorum corda vilescant, ne canis ille, qui charitatem in cœlo nequiuit habere, terram circuiens, casum huiusmodi, non Dei patientiam, sed suam malitiam, suam potentiam asseuerat: Nouum* VAS, VAS *insigne,* VAS *nobile,* VAS *virtuosis stellatum lapidibus,* VAS *sculptum vtique,* VAS *excelsum quasi manu Sapientiæ, ad huiusmodi & infrascriptas Reliquias, quæ in nostrâ iamdudum sunt Ecclesiâ, ibi solemniter, die Dominica, post festum B. Dionysii transferendas, vltra vires, auro, gemmis, lapidibus, argento quæsitis, construi fecimus. Paternitati vestræ humiliter supplicantes quod tam pium opus Serenitatis solita oculis inclinantes, Translationis die cum suis Octauis Atrebatum peregrè proficiscentibus, de bonis suis ibidem largientibus; quadraginta dierum indulgentiam largiri dignemini. Indulgentiam verò, quam nostræ Ecclesiæ, vestræ liberalitatis munificentia duxerit concedendam, nobis lator præsentium fideliter reportabit. Valeat P. vestra. Datum Atrebati, Anno Domini millesimo, Ducentesimo, octuagesimo sexto, die Sabbathi, in Octauis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli*. Hæc ibi. Sequebatur in calce:

Reliquiæ autem hæ:

De Vestimento gloriosæ Virginis Mariæ.

De Sepulcro eiusdem.

De

De vestimento Domini:
De Veste Domini Purpureâ, &c. Vbi diuersorum sanctorum diuersæ Reliquiæ exprimuntur.
Vide infrà ad an. 1455.

CHRISTI AN. 1287. ANNO 1287. Petrus à Buxeriâ*, Canonicus Bethuniensis, Castri Buxeriani Castellanus, Bethuniæ, in S. Bartolomæi, Sacellaniam, sub S. Catharinæ auspicijs fundat: & fundationis has exhibet litteras: HONO. 4. PAPA AN. 3.

* Gal. de la Buissiere.

Sacellania B. Catharinæ Bethuniæ. Arx Buxeriana iuxta Bethuniã.

Ego Petrus de Buxeriâ, Canonicus Sancti Bartolomæi Bethuniensis, & Castellanus Castri du Buxeriâ, notum facio vniuersis, tam præsentibus quàm futuris, quòd ego pro remedio animæ meæ, & animarum Dominorum meorum, Roberti videlicet, quondam Aduocati Atrebatensis, Bethuniensis & Teneramundæ Domini, ac etiam Guidonis DE DOMPIERRE, XXII. *Comitis Flandriæ, ac Macthildis, quondã vxoris eius, Dominæ Bethuniensis, nec non & Roberti primogeniti dictorum Guidonis & Macthildis, nunc Comitis Niuernensis, & Domini Bethuniensis & Teneramundæ, & etiam animarum omnium benefactorum aliorum meorum tam viuorum, quam &c.* Et infrà: *Ordinaui etiam, quantum in me est, quòd si aliquis Capellanus dictæ Capellaniæ intestatus, quòd absit, decesserit, bona quæ per dictam Capellaniam acquisiuerit, eidem Capellaniæ assignentur, ad emendum reditum perpetuum, in augmentum Capellaniæ prædictæ. Actum Anno Domini 1287. Mense Aprili.* Sic ille; vide suprà ad an. 1245.

Erat autem Atrebatensis Aduocatia, vt id obiter hîc notem, feodum, ab Vedastino monasterio pendens; cuius gratiâ, Toparcha Bethuniensis Allodiæ*, seu Alleucij Aduocatus erat, idemque Regalium ditionis Atrebatensis viarum obseruator. *Oudegherstius c.113.*

* Gal. Pays de l'Alleux.

Atrebatensis Aduocatia, quid?

CHRISTI AN. 1288. ANNO 1288. *Obijt piæ memoriæ Macthildis Comitissa S. Pauli, & Atrebatensis, in Festo S. Michaëlis, quæ fuit filia ducis Brabantiæ, & mater Roberti Comitis Atrebatensis, & Blancæ Reginæ Nauarræ, & Hugonis Comitis Blesensis, & Guidonis Comitis Sancti Pauli, & Iacobi Iunioris Domini* DE LVIZEV, *& de Condato, & Beatricis Comitissæ de* AGO, * *& Ioanna Dominæ de Castro Radulphi*. Ex vetere Chron. MS. Ecclesiæ Caricampensis, ijsdem verbis. Iacet Macthildis in Ecclesia Caricampensi, simul cum Guidone marito, rectè ante Crucifixi effigiem, sub ditissimo Mausolæo, auro, gemmis encaustoque, ornatissimo. NICOL. 4. PAPA AN. 1.

* Gal. de Aigne.

Obitus Macthildis, Artesiæ & Sani Pauli Comitissæ. Proles. Sepulcrũ.

Engerramnus Toparcha DE COVCHY, OISY, MONTMIRAEL, in manus venit cum Ioannâ, Roberti Bethunij, Neuersij Comitis filiâ, natu maiore. *Oudegherstius.*

Primus ex Franciscanâ familiâ summus Pontifex.

Nicolaus quartus Asculanus, primus ex Franciscanorũ familiâ, summum Ecclesiæ Sacerdotium apiscitur. Errant enim qui Honorium quartum scribunt fuisse Franciscanum. *Genebrardus.*

CHRISTI AN. 1289. Obitus Guidonis Comitis S. Pauli.

ANNO 1289. Guido, S. Pauli Comes, vitâ defungitur, atque in Caricampensi Ecclesiâ, cum Macthilde coniuge sub communi Mausolæo sepelitur. NICO. 4. PAPA AN. 2.

Iola, Roberti Bethunij Neuersij Comitis filia, nuptiale fœdus init Curtraci, cum Galtero, Enghemi Regulo. *Oudegherstius.*

CHRISTI AN. 1290 Popringæ duæ Parœciales Ecclesiæ ædificantur.

ANNO 1290. Apud Popringam crescente populo, cum Curia templumque Diui Bertini non sufficeret, superadditæ duæ parœciales Ecclesiæ, Deiparæ Virginis, ac Diui Ioannis Baptistæ, per Nicolaum quartum Pont. Max. Iacobum Episcopum Morinorum, & Galterum Diui Bertini Abbatem. *Meyerus.* NICO. 4. PAPA AN. 3.

Sacellum Hermapolense.

Hermapoli*, vetere & nobili Atrebatij agri pago, Ioãnes eius loci Toparcha, Sacellum struxit, & peragundis sacris, annuo censu instruxit. *Gall. *Hermanille.*

CHRISTI AN. 1291. Obitus Rudolphi Imper. Magistratus fani Audomari.

ANNO 1291. Moritur Rudolphus Imperator, Habspurgi Comes Illustrissimus, Austriaci stemmatis antecessor. *Naucleius.* NICO. 4. PAPA AN. 4.

Guido Flandriæ Comes, & Gandauenses adinuicẽ vitilitigantes, Audomarensium Prætoris & Senatorũ arbitrio, proprio motu, sese referunt. *Vide Oudegherstium, cap. 129.*

Seruatius Abbas Mõtis S. Eligij.

Stephanus, XVI. Montis Eligiani Antistes, diem suum obijt: in cuius locum Seruatius S. Theologiæ Doctor, vnanimi omnium consensu & voluntate surrogatur: ita vt quidam exclamauerit post eius electionem: A DOMINO FACTVM EST ISTVD, ET EST MIRABILE IN OCVLIS NOSTRIS. *Fuit is in pœnitentiâ austerus, in studijs assiduus, in confessionibus audiendis sedulus: Nusquam absque cilicio visus est; frequenter pane nigro, pulmento solo, & cereuisiâ pro potu in mensâ contentus; residuum prebendæ pauperibus transmittebat. Vesperi post Completorium, cæteris quiescentibus, ipse studio insistebat; & post matutinas vsque ad crepusculum diei, tam hyeme quàm æstate, sacris officijs nunquam defuit quantumcunque fessus de*

itinere.

itinere. Hic ex fratribus suis promouit ad Magistralem Cathedram Theologicæ facultatis Dominum Andream de Authiaco, & Dominum Ioannem de Mareolo. Fuitque à Consilijs Domini Roberti Comitis Atrebatensis. Sedit autem annis XXII. Ex monumentis eius loci, penè ad verbum.

CHRISTI AN. 1292. ANNO 1292. Ortâ inter Principem & Episcopum Teruanensem controuersiâ, vtrius esset Sacerdotia Lilleriensis Ecclesiæ conferre; sic paciscitur: Princeps & Episcopus, vacantia Lilleriensis Ecclesiæ beneficia, alternis vicibus conferunto. *Ex Archiuis opidi Atreb.* SEDEVACANTIS. AN. I.

Cœmiterium S. Nicasij, in veteri Ciuitate Atrebatensi, à Gulielmo Isiaco Episcopo, sepeliendis mortuis apparatur, prædio in hunc vsum concesso per Simonem Nouiomensem, Cathedralis Ecclesiæ Atreb. Canonicum. Primus qui sepulturam ibi inijt, dictus est VValterus Rallerus, vel secundum aliquos, Nicolaus Rellerius. *G. Gazæus in Catal. Epist. Atreb. Vide infrà ad an. 1498.* *Cœmiterium S. Nicasij Atreb.*

Henricus DE MERNES, Atrebatensis Ecclesiæ Sacellanus, Sacerdotium ex rebus proprijs ibidem fundat, Isiaco Episcopo id facti adprobante. Fundationis litteras habet R. D. Franciscus de la Diennée, Paulinas, eiusdem Ecclesiæ Præpositus, atque Canonicus.

Oudardus, S. Mariæ in Nemore, iuxta Russelli-villam vicesimus primus Abbas creatur.

CHRISTI AN 1293. ANNO 1293. Septembris 23. Gulielmus Episcopus Atrebatensis vitâ defungitur, eiusque munia subit Gerardus Pigaloti Italus, nobili editus stirpe, qui adnitentibus Atrebatensis Ecclesiæ Canonicis, Sacerdotia duo, in Diui Nicasij parœciali templo instituit. *Ex tabulis Ecclesiæ Atreb.* SEDEVACANTIS. AN. 2. *Duæ Canoniæ in S. Nicasij Atreb.*

Philippus Pulcher Rex, Roberto Atrebatium Comiti, Spreuerium, vt vocant, aliàs accipitrem fringillarium, dono impertit, ad Comitatus sui recognitionem magis honorificam, quem capere liceret ab Regis accipitrario, tempore auitij opportuno. Hinc Curia Parium opidi Atrebatensis, in iudicantis, imagine Equitis accipitrem indice dexteræ gestantis, sigillo impressa vtitur. *Bersatius.* *Sigillum Curiæ Parium Atrebatium.*

BONIFA. 8. PAPÆ AN. I.

CHRISTI AN. 1294. ANNO 1294. VValterus, siue Galterus, Abbas Bertinicus moritur, succedente Eustathio, cognomine GOMER, natione Flandro, eumque Dominus Iacobus Morinorum Episcopus consecrauit. *Iperius.* *Eustathius Abbas S. Bertini.*

Guido Flandriæ Comes filiam suam Philippam posteriore ortam vxore, Eduardo VValliæ Principi, Regis Anglorum Eduardi filio ac hæredi despondet. *Meyerus.*

Hugo D'OCOCHE, vir Equestri Ordine illustris, in S.Martini, iuxta Paulopolim, pago, quem anno 1287. emptione suum fecerat, Castrum perelegans, ex Guidonis Castillonij, Comitis S. Pauli, cui intimus erat, concessione construit, ad Thernæ Fl. quo alluitur, scaturiginem. *Ex litteris ipsius Comitis. Vide infrà ad an. 1460.*

Quid? impetrat & Hugo ab eodem Comite ius venandi, per singulos saltus, syluas & cætera terrarum eiusdem Comitatus, quem priuilegij honorem extendit Princeps in Hugonis successores, perennatque hodiè in familiâ Balliolanâ. Quâ caussâ? Virtus & Fides Hugonis sæpè probata.

Ad sacra & pia quod attinet, idem Hugo laneos pannos, qui quotannis, in S.Pauli parœciali templo, ipsâ omnium sanctorum solennitate recurrente pauperibus distribuuntur, pientissimo zelo fundauit. In cuius donationis recognitionem & memoriam, sesqui-vlna eiusdem panni per Magistratum annuè etiam offertur, duratque in dictâ Balliolanorum familiâ.

Eiusdem Hugonis opus fuit Sacellum, in S.Pauli opido, iuxta ædes, quas ibi peramplas habebat (Curia Balliolana hodiè vocatur) exstructum, atque tum ad B. Ægidij honorem consecratum. Hinc Sacellaniæ Collatores & ædium possessores ijdem Balliolani.

CHRISTI AN. 1295 Perfidia Philippi Regis Gal. — BONIF. PAPA AN. 2.

ANNO 1295. Philippus Pulcher Rex, ob dicta Philippæ Flandrensis cum Anglo Sponsalia, vehementer irritatus, Guidonem Philippæ Patrem summâ perfidiâ captiuum tenet. *Meyerus.*

Templum Monasterij S. Vedasti hoc anno cõsecratur.

Februarij vicesimâ primâ, Vedastini Monasterij templum, ad ingentem amplitudinem tandem prouectum, ab Episcopo Siluanectensi, Garini Abbatis instantiâ, consecratur. *Vide suprà ad ann. 1258. & 1279.*

Porrò Ioannes Sarracenus eiusdem loci 76. Antistes, dedicationem hoc nomine reddidit nuper illustriorem; quòd integram peccaminum expiationem, olim ibi percelebrem, ab Gregorio 13. Pont. Max. restitui curauerit, quam consequerentur, qui istâ die, ritè compositi, Ædem

sacram

sacram adiuerint, & pias ad Dominum pro felici Ecclesiæ & Patriæ statu, fuderint preces; vt ex Pont. litteris constat, futuris perpetuò temporibus valituris, datis Romæ prid. Cal. Majas, 1580.

Per hæc tempora Bonifacius VIII. Pont. Max. quatuor Euangelistarum, & totidem Ecclesiæ Doctorum, nempè Gregorij, Augustini, Ambrosij & Hieronymi Solennitatem, sub duplici officio celebrari præcipit. *Extra, de Reliq. & Venerat. Sanctorum l. 6.* *Festa SS. 4. Euangelistarũ & 4. Ecclesiæ Doctorum.*

Idem Bonifacius sextum Decretalium librum, amanuensibus tribus adhibitis composuit. Fuerunt ij Gulielmus Archiepiscopus Ebrudunensis, Berengarius Episcopus Biterensis, & Richardus de Senis Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, Iuris vtriusque doctor. *Liber sextus Decretalium.*

CHRISTI AN. 1296. ANNO 1296. Angli ab Roberto Principe nostro, & Carolo Valesio superati, strenuè se in fugam conuertunt. *Meyerus.* BONIF. 8. PAPÆ AN. 3. *Victoria de Anglis.*

Rex Philippus cum Guidone captiuo paciscitur, his conditionibus: Philippa Filia, Eduardo Regio iuueni desponsa, obses Philippo Regi tradatur; Nullum fœdus cum Anglis, Regni Gallici hostibus, pangatur; Pax anni 1225. pro Ferdinando Principe stet inconcussa. Quibus dictis & acceptis Guido captiuitate solutus ad Flandros reuertitur. *Meyerus.* *Pax inter Gallũ & Flandrum.*

Guido ad suos regressus, nihil non molitur pro Philippæ filiæ liberatione. Verùm cassam operam vt se tentare videt, icto cum varijs Principibus fœdere, publicè, sed infeliciter, Gallo bellum indicit. *Idem.* *Flander captiuitate solutus in Gallum rupto fœdere arma resumit.*

Vectigal, quod Malam-Toltam vocabant, centesimæ, & pòst quinquagesimæ omnium bonorum, primò solis Mercatoribus, deindè permissu Clementis V. Pont. Max. tam Clericis quàm laicis imponitur. Vndè in solo nostro & Flandrensi seditiones graues. *Vectigal insolens & seditiosum.*

Henniacum, olìm Artesiæ opidũ, cum Augustinianorũ Monasterio (de quibus ad annũ 1040. diximus) à Præsidiarijs opidi Duacensis, incenditur, Iacobo Fresnoyo eius Toparchâ fortiter cum suis cadente. *Balduinus de Glen cap. 18. historia Abbatum Henniacensium.*

CHRISTI AN. 1297. ANNO 1297. Philippo Rege Insulam seu Lillam obsidente, Robertus Princeps noster alijs cum ducibus BONIF. 8. PAPÆ AN. 4. *Insulæ obsidio.*

& copijs pergit ad Regem: cuius in aduentu Bethunienses, omnium primi deditionem fecerunt; Philippo Roberti Principis filio se tradentes. *Idem.*

Bethuniensium Philippo Atrebatio deditio.

Bethuniâ deditâ Robertus assumpto secum Philippo filio, fratribusque Guidone ac Iacobo, à Fano Pauli, Otelino Burgundiæ Comite, genero suo, & alijs, Casletum, Bergas, Burburgũ intercipit. Hinc Idibus Augusti, in agro Furnensi, signis cum hoste collatis, Philippus Atrebas fortiter pugnans, in Flandrorum venit potestatem: sed statim receptus à suis, breui interiecto tempore, ex graui vulnere, quod ab hostibus acceperat, viuere desijt, relicto, ex Blancâ coniuge, Roberto, qui varijs motibus in Macthildem amitam, & Ioannam eius filiam ac hæredem concitatis, anno 1341. etiam mortis legem subiuit. *Vide infrà ad an. 1303. & alibi.*

Varia opida ab Roberto Principe capta. Philippi Atrebatij casus. Robertus Philippi filius.

Robertus Atrebas, obtentâ de Flandris victoriâ, Furnas diripit, direptas incendit, vndè perterriti Neoportenses, atque Dixmudani, spontaneam fecere deditionem.

Alia opida ab Principe nostro intercepta.

Itidem Insula Regi deditur, & eius exemplum secuti Duacenses atque Curtracenses.

Induciæ biennales inter Gallum & Flandrum.

Induciæ

B. Ludouicus Rex, ab Bonifacio VIII in album Sanctorum refertur. *Meyerus.*

B. Ludouicus sanctorũ catalogo adscriptus.

Garinus Vedastinorum Antistes morte extinguitur. Eius præfecturam assecutus est Rudolphus Royus; de quo sic in Chronico Vedastino:

Rudolphus DE ROY, *implicato bellis tempore, anno 1297. inijt Præfecturam huius domus; quâ propemodùm totâ durante, permultis affectus molestijs, iniuriâ bellorum, quæ Flandris cum Gallo intercessere. Flandriæ enim Comite Guidone, quem à Dominico Petri cognominant, arte capto, custodiæque mancipato; Philippus Pulcher Gallorum Rex, destitutæ Comite Flandriæ, graue mouit bellum. Duxit & reduxit sæpiùs per hanc viciniam exercitum; vndè non leuia rebus accessere damna.* Hæc ibi.

Rudolphus Abbas Vedastinus.

CHRISTI AN. 1298.

ANNO 1298. Guido, Flandriæ Comes, Induciarum tractu, nihil non molitur, vt pacem ab Philippo Rege impetret. Verùm Reginâ, cum Roberto nostro, Guidone & Iacobo auunculis, repagulum obijciente, nihil assequitur. *Meyerus.*

Pax Flandro negata.

BONIFA. 8. PAPÆ AN. 5.

Ioannes à sanctâ Aldegunde, Norquelmij Dynasta, in

S. Quintini, iuxta Audomaropolim parœciâ, Carthusianorum cœnobium construit, atque annali censu locupletat. *Bresinius.*

Christi An. 1299. ANNO 1299. Guido Fl. Comes, Carolo Valesio Gallicum exercitum in Flandriam promouente, bellicam prouinciam Roberto filio committit. *Meyerus.* Bonif. 8 Papæ An. 6.

Christi An. 1300. ANNO 1300. Philippus Rex, iteratâ perfidiâ, Guidonem Comitem, vnà cum Roberto & Gulielmo eius liberis, alijsque, ad se pacis sanciendæ spe aduenientem, turpissimè carceribus mancipat. *Idem.* Bonif. 8 Papæ An. 7. *Guido Flandriæ Comes carceri iterum mancipatur.*

Iubilæum ab Bonifacio Pont. Max. primùm indicitur, quo plenariam omnium peccatorùm remissionem, his qui Apostolorum limina visitassent, indulsit; idque centesimo quoque anno, futuris perpetuò temporibus celebrandum. De instituendi eius caussis alibi diximus. *Vide infrà ad ann. 1350. & 1475. Polydor. Vergilium de Inuent. rerum lib. 8. c. 1. Gul. Durandum Rationalis diuini officij libro 8. c. 3. &c.* *Iubilæũ sæculare.*

Christi An. 1301. ANNO 1301. Robertus Princeps noster, Duaci tertiùm nuptias celebrat, cum Margaretâ, Ioannis Hannoniæ Comitis filiâ natu maximâ. Bonif. 8 Papæ An. 8. *Tertiæ Roberti Illustris Nuptiæ.*

Ludouicus Eburonicum Comes, atque Philippi Regis Frater, par vinculum init cum Margaretâ, Philippi Atrebatis, Furnensi in prælio interfecti, filiâ. *Meyerus.* *Margareta Atrcb. Nuptiæ.*

Idibus Septembris, Iacobus Bononicus, Morinorum Episcopus, mortem oppetit, inter præcipuos Ecclesiæ suæ benefactores meritò nominandus: cui Engelrannus Crekiensis in eandem successit dignitatem. *Demochares.*

Christi An. 1302. ANNO 1302. Robertus Illustris, Artesiæ Comes, in prælio Curtracensi, contra Flandros inito, post multam suorum (in quibus Iacobi à S. Paulo, Fratris) procerumque Gallicanorum stragem, & vniuerso propè exercitu, cuius dux erat, deleto, cæsus occumbit, vndecimo Iulij. Qui eius exitus Gallis admodùm luctuosus fuit, postquàm Atrebatibus gloriosè & laudabiliter, per annos ferè 54. præfuisset. Eius hoc reperio Chronicon: Bonif. 8 Papæ An. 9. *Roberti Illustris Principis nostri casus.*

AVXILII MagE, FraVs an VIs, (qVandò eXCIt EnIo
AEra) dabIt; tVa sat Fata, Roberte, doCent.

Philippus Meyerus Atrebas elegãti poëtices stylo illum ipsum Comitis casum celebrauit, ipsomet Roberto percõmodâ Prosopopœiâ loquente. Ad cuius calcẽ, ita habetur:

Cespite

Cespite dum viridi tectas ramisque cauernas
Calcamus cupidi conseruisse manus:
Ingenti pariter terra sorbemur hiatu,
Qui cacâ nobis arte paratus erat.
Huc miserè lapsi nostris collidimur armis,
Cornipedes Dominos interimuntque suos.
Hostica tunc demùm clamores agmina tollunt,
Prostratos equites & furibunda necant.
Ipse sed emergens instauro prælia passim,
Et trepidam sisto voce manuque fugam.
Integras acies iubeo succedere fessis,
Exhortorque suum quemque tenere locum.
Dumque ego sic pugno, lethali vulnere sternor,
Hoc vnum iaculis hoste petente Caput.
Vt cecidi, totis acies dispergitur agris,
In pedibus Miles præsidiumque locat.
Insequitur Flander fusis legionibus instans,
Atque cadaueribus iugera multa tegit.
Tanta fuit strages, vt fuso Liza cruore
Tinctus purpureis ipse feratur aquis.
Gallia tot Proceres vno certamine nunquàm
Perdidit, ob cladem pulla futura diu.
Sic placuit superis, qui dantque negantque tropæa;
Et Martem dubium Regibus esse volunt.

Hæc Meyerus in Encomijs virorum bellicâ laude Illustrium.

Guidonis Comitis S. Pauli pusillanimitas.

Cæterùm instaurato prælio (vt obiter nonnulla hîc adijciam) Guido Comes Fani Pauli, qui tertiam regebat aciem, quùm duos Fratres suos, Robertum & Iacobum in summo videret discrimine, auxilio non iuit, sed animo deiecto & pauido strenuè fugit, traxitque secum viginti ampliùs millia hominum, &c. *Meyerus ijsdem penè verbis.*

Addit idem, certis quibusdam prodigijs, hanc tantam Francorum cladem fuisse præmonstratam. *Quæ verò illa fuerint, ab eodem edisce. Septingenta nostrorum calcaria inaurata, in maiori Cortracensis opidi templo, ab Flandris fuere, ad victoriæ memoriam appensa.*

Charissimo Patri Macthildis filia, iusta exhibuit, ac ipsum honorificâ sepulturâ donauit, in Regali Abbatiâ iuxta Pontisaram, amplissimis collatis reditibus.

Quas porrò Robertus ex Amiciâ coniuge sustulerit proles, habes suprà ad annum 1259. scilicet Philippum, Robertum, Machthildem, & Blancam.

Margareta, tertia Roberti vxor, pluribus superfuit annis; donec tandem fato correpta, Valencenis, in sacrâ Franciscanorum Æde sepulta est, sub nomine Atrebatensis Comitissæ. *Bersacius, Bresinius, Tilletius, &c.*

Locum hîc habeo exspatiandi in egregias Roberti Illustris laudes, quas alieno in solo arte Martiâ sibi comparauit. Eas non alio quàm Bersacij stylo collineauero. *Robertus* (scribit) *plurimùm Comitatum suum adauxit, multa sibi adijciens; obueneruntque illi, maternâ successione, Calesium, Marca, Ora, Sperlica, & alia nonnulla. Hic belli munia egregia absoluit, quorum sub beato Ludouico specimen exhibuerat, à quo etiã Equitis Aurati Insignia accepit. Tempore Philippi Francorum Regis, eius nominis tertij, Ioanna Reginæ Nauarræ, suæ, ex Blancâ sorore, nepti, auxilium tulit. Deducto enim in Nauarram exercitu, quem in Castellam destinauerat, res eius, compressis factionibus, tranquillas reddidit. Ioanna hæc Philippo Pulchro Regi nupta, Parisijs instituit Musæum Nauarræ. Magnam quoque Robertus præstitit opem Carolo Patruo, Andegauiæ & Prouinciæ Comiti, qui Apuliæ, Siciliæ & Hierusalem Rex, ab Vrbano quarto Pontifice Maximo creatus est, dum Galli ad vnum Siciliâ pulsi, aut cæsi sunt, ipso die Paschæ, anno 1281. Vndè prouerbij loco, VESPERÆ SICVLÆ adhuc vulgi memoriâ tenentur. Iterùm verò Philippi Regis & Pontificis mandato (Carolo Rege vitâ functo, & ipsius filio Carolo secundo apud Tarraconenses captiuo) Neapolim mittitur, vt illum ac eius res procuraret, ac tueretur; quam administrationem annis quinque gessit. Carolo autem liberato, initisque fœderibus cum Iacobo Tarraconensi, ac omnibus sedatis, in Galliam retrocessit, non sine graui indignatione, vt qui ægrè ferret summam spem vincendi è manibus eripi, quam relictâ ex parte obsidione Cateuzani Calabriæ, ad hostem pergens, apud Caietam agentem, indubitatam tenebat. Huius administrationis Neapolitanæ, ingentia rationum exstant volumina in Archiuis. Idem Robertus ab Rege multa liberaliter donata in Comitatu Guisniæ accepit, & inter cætera arcem illam Montariæ, à conspicuo loco denominatam. Hic Anglorum hostiles incursus in Aquitaniam, quos vltra limites inferebant, sæpiùs repressit, Regio ibì nomine Præfecturam gerens, cum summâ potestate. Quum Angli*

Roberti Illustris encomiũ.

Vesperæ Siculæ.

Flandris se socios præbuissent, iunctisque copijs in Gallos arma pararent; Robertus anteuertit, & magnam Flandriæ partem Philippo Regi vendicauit, anno 1297. In quâ expeditione apud Curtracum PAR FRANCIÆ *creatus à Philippo Rege, qui illuc subsecutus est, adæquatâ cum cæteris Franciæ Paribus prærogatiuâ, in hæredes etiam transmittendâ. Hinc Neapolim regreditur, auxilium laturus Carolo Regi aduersus Afros, illic vastitatem inferentes. Sed Flandris denuò tumultuantibus, aduersusque ministros Gallicæ factionis, ob multa iniquè extorta sese mouentibus, Philippus Rex Robertum, iam nouâ classe, in subsidium* TERRÆ SANCTÆ *instructâ destinatum reuocat, & ad debellandum Flandriam, toties Regis mandatis contrariam, cum valido exercitu remittit: prouinciamque illam, cuius annis proximis maior pars subiugata fuerat, Guidone Comite cum duobus filijs, & aliquot Flandris proceribus captiuis, huic denuo concessit, & ad suscipiendum hoc belli munus inuitauit. Robertus sub spe potiunda ditissimæ prouinciæ, ad iter accingitur, properatque in Flandriam, ac castra metatus est multis expugnatis iuxta Curtracum, animosos in Flandros gerens spiritus. Hi verò aggeribus muniti, & prealtis fossis, latentibusque insidijs, in tuto sibi prospicientes, cum non paruâ militum manu stabant, vt extrema experirentur. Ductoribus Philippo altero Guidonis Comitis filio, (qui recens ex Italiâ aduenerat, vt Patriæ opem auxiliumque ferret.) Guidone etiam fratre iuniore, nec non Gulielmo Iuliacensi, cum alijs plebæis fortibus viris: Robertus autem ardentiùs agitatus, & conflictu inconsultiùs commisso, multisque è collegis prælium præcipitatum detrectantibus, post multam suorum, procerumque Gallicorum stragem, & vniuerso exercitu ad internecionem deleto, occubuit.* Hæc Bersacius.

MACTHILDIS III. ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1302. BONIF. 8 PAPÆ AN. 9.

ANNO 1302. MACTHILDIS, Roberti Illustris & Amiciæ filia, iamdudum Othoni, Burgundiæ Comiti Palatino, & Domino Salinarum, ex nobili Imperatorum & Regum Germaniæ prosapiâ exorto, concessa, in Patris transit ditiones, atque Artesiæ Comes, eius sexus prima salutatur. Quâ noui Comitatus accessione Otho coniux paruo admodum tempore est lætatus, ex vulnere ab Flan-

dris

dris iuxta Audomaropolim accepto, viuis ereptus. Quum enim, odijs Gallorum & Flandrorum magis ac magis incalescentibus, Rex Pulcher, in Artesiæ finibus, maximè ad Austrum & Aquilonem, proximante Brumâ*, præsidia tribuisset, (quorum Audomaropoli Iacobus DE BAYONNE, Casleti Odardus DE MAVBVISSON, Lensij Ioannes Castellanus Bethuniæ, Robertus Brunellus, S. Venantij Toparcha, Præfectos seu Duces agerent) ac insuper Othonem Comitem, virum militari gloriâ clarissimum, ad Audomaros, Flandrorum excursionibus reprimendis, dimisisset; nunciante famâ, & per exploratores comperto, Flandros patriis finibus egressos, in Atrebatibus populabundos grassari, statim nobilis ille Otho, Iacobus Bayonius, & Milo Noierius cum magnâ militum & ciuium Audomarensium manu, ad illos profecti, non prius, recedentibus hostibus, signa miscuerunt, quàm ad Galingium montem iuxta Casletum eosdem assecuti fuissent. Ibi demum pugnatum acriter; sed Flandri tandem à multitudine hostium circumclusi, superati sunt; omnesque ad vnum fuissent interfecti, nisi noctis interuenientis beneficio fuissent tecti. Numerus vtrimque cæsorum ad duo millia fuit; & in sauciatis noster etiam Otho; qui vulnere omne medicum respuente, modico temporis, vt dixi, interiecto, in Burgundiâ exspirauit. *Meyerus.*

* Mense Octob.

Pugna Casletana.

Othonis Artesiæ & Burgundiæ Comitis casus.

Cladis huius, & insequentium temporum, magnus auctor fuit Robertus, Mathildis, ex Philippo Fratre, Nepos; qui Artesiæ Comitatum, esse suum, ex auitâ successione, & repræsentationis iure magnis animis contendebat. Quam ob caussam, Senatus Parisiensis (Parlamentum vocant) coactus, Mathildi, Rege Philippo Pulchro Præside, ditionis eius controuersæ possessionem adiudicauit; nequicquam se iure potiorem clamitante Roberto; cui, ne omninò priuatus vitã ageret, Comitatus Bellomontanus fuit attributus. Præbuit ea res (hanc ipsam sententiam, eodem senatu Parisiensi, anno 1331. confirmante) grauissimis Galliæ motibus ac bellis occasionem. Verùm de his alibi. *Paulus Aemilius l.9. hist. Bersacius, &c.*

Robertus Atrebas Bellimõtij Comes. Ius repræsentationis Atrebatijs ignotum.

Henniacense opidum, atque Monasterium, ab Flandris diripiuntur & comburuntur; opidũ (inquàm) quod quùm annis ferè 230. floruisset, modò inter pagos Artesiæ qui-

Henniacũ olim opidum crematur

dem maiores numeratum, opidi nomen ægrè retinet. Suis tamen antiquis priuilegijs gaudens, à Comitibus Flandriæ & Artesiæ illi concessis, regitur per Balliuum, & septem Senatores viros, quos Scabinos vocant, sub tutelâ Comitum Artesiæ, ratione Balliuæ Lensiensis. *Balduinus de Glen. Vide suprà ad ann. 1040. & 1296.*

Eius Senatus.

Petrus eiusdem Henniacensis Monasterij Abbas, nescio an ex animi mœstitudine, quam intulerit martius iste furor, finem vitæ facit, succedente Lamberto.

Robertus Madidus, S. Mariæ in Nemore, iuxta Russelli-villam Antistes, suo etiam ordine cadit; de quo sic in tabulis: *Dominus Robertus Madidus piæ memoriæ, de Boloniâ natus, vicesimus secũdus Abbas huius Ecclesiæ, & Præpositus Ecclesiæ S. Martini Iprensis, emit cũ Domino* DE CRECQVY, *Iustitiã huius loci Russelli-villensis, & creuit vestituram Religiosorum, qui obijt circa annum Domini 1302.* Successit Ioannes DE CHAVNY.

Mense Iulio, feriâ beato Eligio sacrâ, Attrebati moritur Robertus DOVCES, Equestris vir Ordinis, atque in B. Ioannis parœciali templo intra Odeium sepelitur sub honesto cenotaphio, duos circiter pedes, ad sinistrum altaris cornu, eleuato: cuius vel hoc nomine hîc mentio, quòd proles quinquaginta procreasse, in eius Epitaphio legitur; quod, licet Gallicum, tamen ob rei raritatem, hîc appendere visum est:

Robertus DOVCES *50. proliũ pater.*

Eius Epitaphium.

En l'An Mil trois cens & deus,
Trespassa, dont ce fut grand deus,
En Iuin, droit le iour S. Eloy,
Li boins preud'homme de bonne loy,
Ce fus syre Robert Doncés,
Li dous, li courtois & li nés.
Certes langue ne seroit dire,
Ni mains le poroit escrire
La courtoisie de son cœur
Si noble que pour nul fureur
Ne fesist vne vilenie.
De se chair issit grand lignie:
Dont il i ert cincquant Vis,
Quand ses corps fut icy enfouis.
Si priés à la douce Dame,
Que ses fix ait mercy de s'ame. *Amen.*

ANNO

CHRISTI AN. 1303.

ANNO 1303. Galterus Castillonius, Gallicum exercitum, peditatu numeroso,& tribus Equitum millibus constantem,ad Fanum Audomari diducit.Sed mox aduentantes veritus Flandros, inglorio recessu clanculum aufugit. *Meyerus.*

BONIFA. 8. PAPÆ AN. 10. *Galteri Castillonij turpis fuga.*

Insula & Duacum in Flandrorum redeunt potestatem.

Lensienses Præsidiarij, Lietberto DE BEAVFROMONT, & Huberto DE BEAVLIEV, ducibus, irruptionem in Flandros, ad Pontem VVendinum vt faciunt, è vestigio ab hoste cæduntur & in fugam vertuntur. Belfromontius grauiter vulneratus, Atrebatum relatus, mox obijt, ac ibidem apud Minoritas est sepultus.

Insula & Duacum Flandro reddita.

Terüanna cum templo Cathedrali, Lileriũ, Lensium, aliaque Artesiæ loca, ab Flandris intercepta, & direpta, igni depascuntur.

Artesiæ opida flammis correpta.

Iprenses,viridi omnes veste induti, Arkas B. Bertini vicum,exceptâ Arce, quam nostri fortiter tenebant, sparsis facibus incendunt; Sed mox grauissimè, cum alijs quæ superuenerant, Flandrorum copijs ab Audomarensibus Ciuibus & Præsidiarijs fuerunt excepti fugatique,eorum tribus ampliùs millibus (si hîc Meyero accedamus,alij enim numerum augent) violento fato, sub victorum ferro, absumptis.

ArKa incensa. *Flãdrorũ clades.*

Induciæ inter Gallum & Flandros paciscuntur; quibus Guido Flandriæ Comes, datis obsidibus, carcere est solutus,ingenti suorum,ad quos properè remeauit, gaudio.

Induciæ inter Gallum & Flandros.

His ferè temporibus Flauius Melphitensis, in Regnô Neapolitano, reperit Aciculam Indicem, seu Boliden Nauticam, cuius cuspis Magnete attingitur, vt ad Polum Aquilônarem siue Arcticum pepetuò prospectet. Valet aduersus maris tempestates atque pericula, vt in alto pelágo iactatus, scias quo loco verseris, & quo cursus sit dirigendus. Astrolabij est genus, quo non vtuntur Græci neque Caspij, neque Rubri maris nautæ, siue ob ignorantiam, siue quia illorum nauigatio est breuis, facilis, litoralis, vsu trita. Tam præstans & necessarium inuentum, Deus Nouo Orbi detegendo,præmisit,quod ad eum nauigatio, non nisi emenso Oceano, & per altum pelagus fieri possit. *Genebrardus.*

Acicula nautica. *Astrolabij genus.*

CHRISTI AN. 1304.

ANNO 1304. Mense Aprili, Guido Flandriæ Princeps,

SEDE VACANTE. AN. 1.

octogenario maior, Compendium ex Induciarum pacto, redit in Regiam custodiam.

Guido, Flandriæ Comes carceri redditus.

Gerardus Pigaloti, Episcopus Atrebatensis, vitæ vinculo liberatur, inque Dominicanorum Atrebatensium Ecclesiâ sepelitur.

Gerardo successor datus est Bernardus, de quo pauca admodùm in posterorum cognitionem deriuarunt.

Nouos belli apparatus Flandris contra Gallum instaurantibus, Regis calliditate, quòd sufficienti colligendo exercitui, vires nundùm sibi adessent, induciæ prorogantur.

Gallorū in Flandriam irruptio.

Interim coactis magnis copijs Rex sub Calendas Iulias, Inducijs iam finitis, in Flandriam delabitur, statimque populabundus cum insolenti milite, pagum VVendinicum euastat, viris, fœminis, infantibus promiscuè interfectis; Basseiam ad deditionem cogit; & his peractis, (subsidentibus ad Pontem Bouinum Flandris) vt quid agendum esset Rex deliberaret, Atrebatum primò, hinc Turnacum, simul cum exercitu reuertit, nec multò pòst Orchiacum intercipit.

VVendinium vastatur. Basseia capitur, & Orchiacum.

CHRISTI AN. 1305.

ANNO 1305. ad Montem Pabulanum, acerrima inter Regem & Flandros pugna committitur, sinistrâ Gallorum sorte. Desideratis enim eorum quamplurimus, Rex ipse proximus exitio fuit. Hinc mense Iunio, ad pacem ventum; inter cuius conditiones, vna fuit, vt Rex Insulam, Duacum & Orchiacum cum Arcibus, in pignus teneret, donec multam pecuniariam (vt conuentum erat) ab Flandris acciperet.

CLEM. 5. PAPA AN. 1.

Pugna Pabulana. Galli superati. Pax inter Gallos & Flādros.

Hæc dum fiunt, Guido Fl. Comes Compendij moritur; in cuius Principatum successit eius filius, Robertus Bethuniensis.

Guido Flandriæ Comes moritur. Succedit Robertus Bethuniensis.

ANNO 1306. Audomarenses opidi sui arcem, pontibus, turribus & pinnis nudant, Macthildis palatium, cui Ghisnis nomen erat, diripiunt, aliaque insolenter in Principem perpetrant. Verùm contusâ eorum audaciâ, omnia reponere, robore & splendore pristino ornare, suis sumptibus coguntur, & centies mille nummos Parisienses, in delicti multam Macthildi Principi numerare. *Ex Archiuis opidi Atreb. Vide infrà, ad an. 1322.*

CLEM. 5. PAPA AN. 2.

CHRISTI AN. 1306. Arx Audomarensis diruta cū Macthildis palatio. Restituūtur.

Rodulphus, 58. Vedastinorum Abbas, mortem oppetit,

eiusque

eiusque in sedem Petrus Portensis inducitur. *Hic tranquilliorem à Rodulpho* (habet Chronicon) *expertus est auram, non tamen omnibus solutam malis, quùm Philippus, impensis belli, redactus in angustias, penuriâ æris: permissu Clementis quinti, in quinquennium decimas Ecclesiarum per Galliam accipit*. Hæc ibi. Vide suprà, ad annum 1266.

Decima Ecclesiarum Philippo Regi cõcessa.

Philippa Flandrẽsis Guidonis Filia, (de quâ ad an. 1296.) Eduardi Angli Sponsa, decimo captiuitatis suæ anno, in Gallijs moritur.

CHRISTI AN. 1307.

ANNO 1307. Isabella, Philippi Pulchri, Galliarum Regis filia, inauspicato fœdere cum Eduardo Angliæ Rege iungitur. Nempè Salicæ Legis ab sese relegato rigore, Regnum Gallicanum per eas nuptias (quùm proles mascula Philippo abesset) Anglicano copulandum erat. Hinc Ilias suborta malorum, & mixta in Anglicanis vtriusque Regni Insignia, quæ & perseuerant.

CLEM. 5. PAPÆ AN. 3. Lex Salica violatur.

Clementinarum Constitutionum liber, ad Religiosorum statum maximè spectans, Clemente Papâ auctore, à quo propterea illi nomen, conscribitur. Is Clemens, ob Italicas seditiones, quibus mederi non poterat, magno Christianorum incommodo, sedem Pontificiam ex vrbe Româ, Auenionem Galliæ vrbem transtulit, vbi successores mansere annis 70. *Vide infrà ad annum 1334.*

Clemẽtinæ cõstitutiones. Sedes Põtificis Max. in Gallias transfertur.

CHRISTI AN. 1308.

ANNO 1308. Petrus Vedastini cœnobij Abbas, è viuis tollitur, atque Nicolaus eius successor renuntiatur; *qui ab ineunte ætate* (verba sunt Chronici) *virtutem vnà cum litteris complexus, vtrisque firmiori prouectiorique ita valuit, vt versatus prudenter in rebus Hasprensibus, dum eo loci Præpositum ageret; habitus sit dignus, qui in communibus versaretur; quod sanè perquàm perturbato in tempore, ipsi accidit, quùm bella, atque initi de pace conuentus,* * *animos nostrorum mirabiliter exercuere. Fœda inde fames; nonnullâ ex parte schisma; contentio & dissidium Atrebati, propter Comitatum.* * *Cæterà, sæculum ferax scelerum, infaustumque sectis compluribus. Quibus omnibus, vt optimus Pastor, vsus est Nicolaus, in afflictum quemque misericordiâ, in pauperes expositâ liberalitate, comendatissimus. Parisijs vt esset, quo studiosi vitam tuerentur, Collegium* (*quod Atrebatense seu Vedastinum iam vocant*) *excitauit: in quo acceptis studiosis hebdomadatim aliquot nummi numerarentur, vt ij emergerent tandẽ, vel*

CLEM. 5. PAPÆ AN. 4. Nicolaus Abbas Vedastinus.

* Vide Meyeri Annales ad an. 1313.
* Vide ibidem ad ann. 1318. & 1319.

Collegiũ Atrebatense Parisijs cõstruxit.

quo-

——— quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Pastorem egit viginti nouem annis. Hactenùs ibi.

Seruatius, 17. Montis Eligiani Præsul, pedum & vitam dimittit. Istud postliminiò recepit Bernardus, communibus suffragijs in Abbatem postulatus.

CHRISTI AN. 1310. — ANNO 1310. Mathildis Comes, 72. Tritici mencaldos (iustum baiuli est onus) ab Iacobo DE MORY, Equestris Ordinis viro, emptione sibi comparat, quos annuè ex Castro Bapalmensi colligeret. — CLEM. 5. PAPÆ AN. 6.

CHRISTI AN. 1311. — ANNO 1311. Mense Decembri, Philippus Rex, Mathildi, nostræ Principi, & Roberto eiusdem filio (qui postmodùm vix puber obijt) Bethuniense opidum, totumque eius dominium, dono concedit. *Ex Arch. Atreb.* — CLEM. 5. PAPÆ AN. 7.

CHRISTI AN. 1312. — ANNO 1312. Castrum DE CHOCQUES, cæteris Mathildis ditionibus accedit; id cedentibus, sed numeratâ pecuniâ, Philippo DE LA COMTE', & Isabellâ, Lensij Castellanâ, eius coniuge. — CLEM. 5. PAPÆ AN. 8.

CHRISTI AN. 1313. *Rex Pulcher leprâ infectus.* — ANNO 1313. Rex Pulcher leprâ infectus singulos per Galliam & Flandriam simili morbo adfectos capi & cremari iubet: quòd puteorum & fontium aquas veneno infecisse dicerentur. — CLEM. 5. PAPÆ AN. 9.

Mathildis priuilegia Ciuium Bethuniensium corroborat.

CHRISTI AN. 1314. *Regis Pulchri miser exitus.* — ANNO 1314. Rex Pulcher, aprum in Syluâ Vastiniensi dum ardentiùs insequitur, equus eius à bestiâ ita grauiter feritur, vt in pedes anteriores cadens, Regem à suis remotum in terram effunderet, hærenteque altero eius pede in stapedâ, per longum traheret laceraretque, adeò vt semianimis tandem inuentus, & ad fontem Belialdum * relatus, statim spiritum exhalarit. *Vide Meyerum.* — CLEM. 5. PAPÆ AN. 10.

* *Gal. Fontainebleau.*

Philippo Pulchro successit Ludouicus, eius nominis decimus; huic vix interiecto biennio Philippus quintus.

CHRISTI AN. 1315. — ANNO 1315. Atrebati, Minore in foro, Crux insignis, formâ triangulari, ex secto & polito lapide erigitur. Hîc ob crimen deprehensi populo exponuntur, vt de eorum rebus gestis firmius atque liquidius constet: hinc columba candida, Vedastino Præsuli quotannis destinata. — SEDE VACANTE. AN. 1.

Domina Maria LOUCHARD, Roberti CRESPIN Equitis, vidua, sancti Iacobi Xenodochio, (de quo ad an-

num

num 1218. diximus) prouentus annuos, iunctis nouis, ampliores facit. *Ex eius litteris, datis hoc anno, Mense Nouembri.*

Tanta in Belgis annonæ grassatur caritas, vt tritici modius nouem florenis veniret. Indè subsequuta grauissima pestilentia, quæ tertiam hominum partẽ messuit. *Meyerus.* *Annonæ caritas & pestis.*

Franciscus Maronius Franciscanus, magnanimum illum actum Sorbonicum introducit, quo per æstatem, singulis ferijs sextis, respondetur à quintâ matutinâ ad septimam vespertinam, sine præside, sine socio, prandio & pastu, sine vllâ emigratione, verùm in eadem perpetuò corporis sede, & animi contentione, donec cunctis opponentibus satisfactum sit, præsertim Baccalaureis primi & secundi Ordinis, qui sunt minimùm sexaginta, & argumenta circiter centum agitant. *Genebrardus.* *Exercitium Sorbonicum Parisijs.*

CHRISTI AN. 1316. ANNO 1316. Atrebatenses in gratiam cum Philippo quinto, Gallorum Rege redeunt. Eum siquidem nonnihil commouerant, quòd Roberto, Macthildis Artesiæ Comitis nepoti, qui armatus in vrbem irruperat, & vt se Comitem Artesiæ agnoscerent atque salutarent, minacibus verbis extorquere studuerat, non statim rupto modestiæ & prudentiæ fræno, in eum insultassent, ac vrbe excedere coëgissent. SEDE VACANTE. AN. 2. *Atrebatiũ cum Rege Gallorũ reconciliatio.*

CHRISTI AN. 1317. ANNO 1317. Guido Castillonius, S. Pauli Comes moritur, atque Caricampi magnifico donatur sepulcro. Guidoni coniux obtigerat Maria, Ioannis Britanniæ & Brabantiæ ducis, atque Beatricis Richemontij Comitissæ (cuius pater Eduardus Anglorum Rex) filia; quæ à mariti decessu, vitam in annum vsque 1339. prorogauit: & defuncta communem cum marito inijt sepulturam. IOAN. XXII. PAPA AN. I. *Guidonis Fani Pauli Comitis obitus.*

In Guidonis Castillonij Comitatum successit Macthildis eius filia, Guidonis Lutcemburgensis, Ligniaci Comitis vxor, cui varias dedit proles. *Macthildis filia illi succedit.*

Siluanecti Prouincialis Synodus celebratur, ab Ioanne Curtenacensi, Remorum Archipræsule coacta. Interfuere Guido Tornacensis, & Engerrannus Morinorum Episcopi. Petrus verò Cameracensis, & Bernardus Atrebatensis, procuratores suos miserunt. *Demochares.*

Louanienses sese supra modum lanificio exercent: quo quantùm potuerint, Falæ (HALLAM vocant) arguunt, in solum vsum textorum conditæ anno 1317. Ferunt ad 2400.

textrinarum aliquando in vrbe fuisse, quùm legibus quilibet ciuis annis singulis vnum saltem pannum conficere iuberetur. Porrò quùm ex opimo quæstu lanificij, multitudo ciuium indies in immensum excresceret, coacti fuerunt proferre vrbis pomœrium. *Vide infrà ad an. 1357.*

CHRISTI AN. 1318. ANNO 1318. Moritur Bernardus Episcopus Atrebatensis, cuius successor Petrus Campensis renuntiatur, qui vix istam tenuit dignitatem, ab Romano Pontifice Purpuratorum Patrum collegio adgregatus. IOAN. 22. PAPÆ AN. 2.

Vsus Rocqueti (vt vocant) Bernardo Abbati Monteligiano conceditur.

CHRISTI AN. 1319. ANNO 1319. Ioannes Maudeuillius, Atrebatium Pastor nominatur. Indè octo post annos, in Carnotensis Ecclesiæ cathedram est assumptus. IOAN. 22. PAPÆ AN. 3.

CHRISTI AN. 1320. ANNO 1320. Theodericus Herissonus, Ariæ in S. Petri Præpositus, postmodùm Episcopus Atrebatensis, Castrum quod in GOSNAYE iuxta Bethuniam habebat, simul cum appendicibus, Dominæ Macthildi impertit, seruato quodam vectigali, quod non nisi mors redimeret. IOAN. 22. PAPÆ AN. 4.

Arx Gosnayensis Macthildi Comiti nostræ concessa.

Idem Herissonus, eodem loco Xenodochium fundat, varijs possessionibus attributis, quod posteà Domina Macthildis auctum iuit, ex rebus partim proprijs, partim ijs quas Herissonus testamento (cuius executrix Macthildis erat) eximiâ liberalitate legauerat. Porrò eius Xenodochij reditus & vectigalia, post aliquot sæcula, nimirùm an. 1575. Bethuniam ad S. Ioannis Xenodochium fuere translata, quod hodiè Franciscanæ Vestales huc an. 1495. introductæ, & ab eminentiore vrbis loco nominatæ*, moderantur.

* *Vulgò Sæurs d'en-hault.*

Eadem tempestate Macthildis, Atrebati, S. Iacobi Xenodochio, pietatis solitæ vestigia relinquit.

CHRISTI AN. 1322. ANNO 1322. Decimo quinto Calendas Octobreis, Robertus Bethuniensis, Flandriæ Comes, vitam cum imperio deponit, atque Ipræ in Beati Martini quiescit. Duas ordine habuit vxores: quarum prior fuit Blanca, Caroli Andegauensis Siciliæ Regis, filia: quæ vnicam prolem ei genuit, CAROLVM nomine, qui violento fato occubuit. Posterior verò Iola, siue Iolendis dicta est, Odonis Burgundiæ Ducis filia; ex quâ Roberto liberi nati sunt IOAN. 22. PAPÆ AN. 6.

Obitus Roberti Bethuniensis, Flādriæ Comitis. Eius vxores & Proles.

LVDOVICVS, Niuersij Comes, Mariæ, Iacobi Re-

thelli Comitis filiæ, maritus: cui etiam hoc anno mense Iulio, Parisijs occumbere contigit;

ROBERTVS CASSELANVS;

IOANNA, quæ Engerranno, Couchij, atque Oisiaci Regulo, vxor collocata est:

IOLA, Galteri Angiensis vxor, multâ fœlix prole, Galtero, Sigero, Mariâ, Iolâ, & Ioannâ, quorum viuit spiratque sanguis in domo ac familiâ Comitum Sancti Pauli;

MACTHILDIS, quæ Matthæo, Theobaldi Lotharingiæ Ducis filio, vxor concessa est.

Quorum liberorum Iola insano furens amore, vt Carolo priuigno, Flandriæ Imperium maturè præriperet, toxico eum extinxit. Quod ob scelus Robertus Pater, grauissimè commotus, Iolam vxorem, vibrato acerrimè in caput fræno, fertur interfecisse. *Heuterus, & alij.*

Dominicanorum Audomarensium cœnobium, iuxta ipsum opidum, ab Macthilde Comite construitur: cuius Ecclesiæ grandior campana, quæ hodiè in ipsâ vrbe, translato cœnobio, pulsatur, titulum hunc in circuitu gerit:

DOMINA MACTHILDIS ARTESIÆ COMITISSA, ME FIERI CVRAVIT, ANNO DOMINI 1328.

Ex relat. Petri de Cruce S. Th. D. & olim ibi Prioris.

Cæterùm Ioannes Iperius, Bertinensis Monasterij Abbas & Chronographus, id facti tribuit Margaretæ, Artesiæ Comitis (obijt anno 1382.) pietati: quæ ædes Ghisnensium Comitum, quas iuxta Audomaropolim insignes habebat, in cœnobium cõuertit, atque Fratribus B. Dominici institutum sequentibus incolendum commisit. *Vide infrà, ad annos 1406. & 1477. & suprà, ad an. 1306.*

CHRISTI AN. 1323. ANNO 1323. Macthildis Comes, varia terrarum iugera Lensiensi opido donat, ex quibus septuaginta floreni (non ampliùs id temporis fœnerabantur Domino) annuè legerentur; ijque comparandis calceis & pannis, quibus egentioris fortunæ viginti Virgines, sibi vestes conficerent. Indè, si quid abundaret, accolarum Virginum id foret iuris. Cui quidem largitioni, siuè distri- IOAN. 22. PAPÆ AN. 7. *Macthildis Comitis nostræ in pauperes insignis liberalitas.*

ſtributioni, ſacra beato Michaëli dies, fuit deſtinata.

Eodem nomine eadem Macthildis, egenis

ATREBATENSIVM & Fani Apollinis, * atque DE REMY, libras centum; * Gal. Pampeux

AVDOMARENSIVM, libras octoginta;

ARIENSIVM, libras ſeptuaginta; &

TOVRNEHEMENSIVM, libras tres & viginti, annui & perpetui cenſus impertiuit. *Ex Archiuis Atreb.*

Cereus Atrebatensis, & B. Audomari caput ab Macthilde decoratur.

Eadem Princeps, Cereum Atrebatenſem, (de quo in Lamberto Pontifice) Beati Audomari caput, aliaſque ſanctorum Reliquias mirificè decorauit. *Berſacius.*

Item Virginum Franciſcanarum cœnobium Bethuniæ, ad Sancti Præiecti Portam, quâ Paulopolim eſt iter, exædificauit. Iis nomen à demiſſiore vrbis loco, (vulgò SOEVRS D'EN BAS) principiò datum, etiamnùm perſeuerat. Eius loci Sacellum æuo demùm Philippi Boni eſt perfectum, inque vitreis Burgundiæ ſtemmata gentilitia refert.

Clemētina cōstitutiones confirmantur.

Ioannes Pont. Max. Clementinarum Conſtitutionum Codicem his ferè temporibus confirmauit, & per Gymnaſia legendum tranſmiſit. *Bergomas. Vide ad an. 1307.*

Otho, Comes Cuyckenſis, acceptis 5000. librarum nigrorum Turonenſium, Grauiam clientelæ Ioannis Brabantiæ Ducis ſubijcit. *Diuæus.*

CHRISTI AN. 1324. ANNO 1324. Synodus Generalis Ordinis Prædicatorij in Atrebatenſi cœnobio cogitur: quo in conſeſſu, quadringenti eius Ordinis Patres fuerunt numerati. Eos omnes Macthildis Comes, die B. Magdalenæ votiuâ, largo conuiuio excepit. Poſtridiè ſedecim Moniales, ſancti Dominici inſtitutum ſequentes, quas partim ex Monte-Argino *, partim Lilâ aduocarat, ad Thieuloyenſe Monaſterium, quod in S. Saluatoris, iuxta Atrebatum, ſuburbio, atque è regione dictorum Dominicanorum inchoarat, reditibuſque ornauerat, diducit: & ſub Prioriſſâ, vt vocāt, perpetuò habitandum tradit: cuius rei hiſtoria pro templi foribus expreſſâ cernitur. IOAN. 22. PAPÆ AN. 8. * Gal. Motary.

Moritur Bernardus XIIX. Montis Eligiani Abbas. Eius hoc eſt Epitaphium.

Fulget Bernardus, quia ver & myſtica nardus.
Laus referenda ſibi, vix poſſet marmore ſcribi.
Ver fluit & rorat, & nardus dulcis odorat.

Ver

Ver fontis rorem; dat nardus floris honorem.
Bernardus morum redolens, & nardus honorum,
Hic iacet in requie, sit bona pax hodiè,
Et semper Christo. Saclo migrauit ab isto,
Tercentum mille, viginti quatuor ille.
Terno-die cuius vitam Iulius tulit huius.
Laus viget Abbatis & gloria ceu probitatis.

Bernardo successit Nicolaus Duisantius Sacræ Theologiæ Doctor, rexitque annis sex supra viginti. *Monn. eius loci.*

CHRISTI AN. 1325. ANNO 1325. Abbas & Monachi Cantipratenses, in Comitis Artesiæ tutelâ & protectione se esse, lubentes, volentes agnoscunt. IOAN. 22. PAPÆ AN. 9.

Pax inter Gallos & Flandros conuenit. *Pax inter Gallos & Flandros sancitur.*

CHRISTI AN. 1326. ANNO 1326. Martij 23. Pax inter Gallos & Flandros, anno superiore, Arkis * iuxta Audomaropolim inita, violatur. *Vide Meyerum.* IOAN. 22. PAPÆ AN. 10

* Gal. *Arques.*

Eadē abrūpitur.

Richardo, Henniacensis Monasterij præfecturam abdicante, Ioannes DE FAMPOVX eiusdem loci Antistes nominatur. Eius tempore, anno scilicet 1327. erectum est Sacellum nostræ Dominæ Acheuillensis. * *Balduinus in histor. Abb. Henniac. c. 22.*

* Gal. *d'Acheuille*: vicus est nō procul Lēsio opp.

CHRISTI AN. 1327. ANNO 1327. Theodericus Herissonus, Burbonius, Episcopus Atrebatensis creatur; de quo sic Bersacius in Origine Comitum Artesiæ: *Theodericus ab Hericione * vocatus, patriâ Burbonensis, primùm Philippo Pulchro Regi, tùm Roberto Illustri Comiti fuit à consilijs, & successiuè Macthildi: à quibus locupletissimè ditatus est, & in Ecclesiasticis multipliciter promotus. Cùm Præpositurâ enim Ariensi, cui multis annis præfuit, alia quamplurima beneficia possedit. Extremo vitæ tempore Atrebatensem promeruit Episcopatum, quem ferè per annum rexit.* Hactenùs ille. IOAN. 22. PAPÆ AN. 11.

* Gal. *de Herisson.*

CHRISTI AN. 1328. ANNO 1328. *Theodericus Atrebatium Episcopus moritur mense Nouembri, atque apud Carthusianos, quos in Gosnayo, * iuxta Bethuniam primus instituit, & dotauit, sepulturæ traditur. Macthildis, ex eius testamento (cuius erat executrix cum alijs ordinata) Carthusianos illos rebus adauxit necessarijs, quemadmodum & Xenodochium, ibidem ab illo constructum.* Bersacius ijsdem verbis. Id porrò monasterium, à Valle Spiritus sancti, nomen habet, Gallicè, VAL DV SAINCT ESPRIT. IOAN. 22. PAPÆ AN. 12.

* Vide suprà ad an. 1320.

Eâdem tempestate Macthildis duas Sacellanias seu Capellas, vt vocant, in dicto Gosnayo erexit, quarum altera in Xenodochio, altera in Castro (de quibus ad annum 1320. diximus) consisterent, ad Theoderici Episcopi aliorumque requiem & memoriam. Illarum collatio Artesiæ Principibus reseruata est.

Extrauagantes Constitutiones.

Ioannes Pont. Max. Constitutiones viginti edidit, quas Extrauagantes appellauit.

Hinc Petrus Rogerius, Lemouix, sacræ Theologiæ doctor, ex Fiscenensi in Normanniâ Abbate, factus est Episcopus Atrebatensis; quâ Sede vix triennio occupatâ, Rotomagensis Archiepiscopus renuntiatur, anno 1331. Indè à Benedicto Pont. Max. Cardinalium collegio, sub titt. SS. Nerei, & Achillei adscriptus, tandem anno 1342. in summum Ecclesiæ Pontificem assumitur, Clemens sextus deindè appellatus. Vir fuit sacrarum litterarum scientissimus, Verbi diuini præco eloquentissimus, & virtutibus quibusque largissimè cumulatus. *Vide infrà, ad annum 1342.*

Vectigal Brugensibus concessum.

Brugenses, ab Lodouico Niuernensi, Flandriæ Comitis impetrant, vt ad onera sua leuanda, vectigal indicant cereuisiæ.

CHRISTI AN. 1329. IOAN. 22. PAPÆ AN. 13.

Mors Macthildis Principis nostræ.


ANNO 1329. (Meyero 1330.) Octob. 27. Macthildis Domina nostra, moritur, & iuxta charissimum patrem Robertum sepelitur, apud Moniales Regalis Monasterij, quas amplissimè dotauerat.

Eiusdem proles.

Ex Othone marito plures habuit proles, vnicam tamen filiam superstitem reliquit; nempè IOANNAM, Philippi longi Francorum & Nauarræ Regis viduam. Habuit & BLANCAM, Carolo Pulchro Regi nuptam, & ROBERTVM, qui maximo mœrore, vix puber decesserat. *Bersacius.*

Macthildis funeri appendimus hoc Chronicon:

RobertI patVLs CohIbere CrVenta NepotIs:
Ast MortIs VIreIs qVIs CohIbere potest?



IOANNA VI.

ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1329.

IOAN. 22. PAPÆ AN. 13.

Ioanna paucis diebus Artesiæ Comitatu occupat, Peronæ veneno extincta. Eius Proles.

ANNO 1329. IOANNA, Philippi longi, Francorum & Nauarræ Regis, vidua relicta, iam diu paterna successione, Burgundiæ Comes, Macthildi Matri in Artesiæ Comitatum succedit; sed paucis diebus eidem superfuit, veneno Peronæ extincta, Mense Ianuario, an. 1330. cùm ad capessendam hanc prouinciam, itineri se commisisset. Lutetiæ Parisiorum apud Franciscanos sepulta quiescit. Ex Philippo Rege IOANNAM, Othonis Burgundiæ Ducis, ISABELLAM, Delphini Viennensis, MARGARETAM, Ludouici Niuernensis Flandriæ Comitis, Vxores: & BLANCAM, quæ Monasticam vitam in Longo-Campo professa est, proles reliquit. *Bersacius.*

Illi lusimus hoc Chronographicum:


AnnVM Iane aperIs; aperIt sVa IannaqVe Regna:
Iane beatVs InIs; hæC CIta fata CapIt.

Ioannes DE FAMPOVX, decimus septimus Henniacensis Monasterij Antistes, vitæ metam attingit: quem in eandem secutus est dignitatem Bernardus DE CROISILLES, cui temporalium dispensatio, ad tempus subtracta, postmodùm hilariore ridente cœlo, reddita fuit.

Engerannus Morinorum Episcopus, refossum funus Iacobi Peytæ, seditiosi atque impij hominis, igni cremari publicè iubet. *Meyerum, quùm hoc anno, tùm 1326. consule.*

Borbonia Ducatus titulo ornata.

Dominatus Borbonicus, ad Ducatus honorem prouehitur. Borboniæ primus Dux creatus est Ludouicus Claromontanus, cum Mariâ Hannoniâ, eius vxore. *Meyerus.*



IOANNA SECVNDA, V. ARTESIÆ COMES.

Christi An. 1330.

Ioan. 22. Papæ An. 14.

ANNO 1330. IOANNA Vdonis, siue Odonis, aut Othonis, Burgundiæ Ducis vxor, post Ioannæ Reginæ, matris obitum, qui hoc anno, vt dixi, contigit, Comitatus Artesiæ & Burgundiæ capessit; exceptis Bapalmis cum alijs paucis, quæ Margaretæ, Ariâ & Arce Tournehemensi, quæ Isabellæ Sororibus, in quotam hæreditariam concessæ sunt. *Bersacius, Ioannes Duffayus, &c.*

Artesia ab Præfectis regi cœpta.

Hoc ipso anno, quum Principes nostri in Burgundis, quàm Artesijs frequentiùs versarentur, per Præfectos demùm res Atrebatium regi & dirigi cœperunt. Eorum quos reperire potui, catalogum hîc subtexam, gratum bene sperans meo lectori futurum.

SERIES PRÆFECTORVM ARTESIÆ.

HVGO DE CAROBOEVF, Cabillonensium in Burgundiâ Episcopus, Artesianæ Prouinciæ ab Principibus præfectus, Sacramentum hoc anno dixit, Mense Maio.

ROBERTVS DE LIGNY, anno 1346.

IOANNES DE DAILLON, Ludij Regulus, Ludouico XI. Regi à Cubiculis; Delphinij * anteà gubernator.

* Gal. *Daulphiné.*

ANTONIVS DE CREVECOEVR: iurauit 8. Iulij an. 1477.

N. DE CREVECOEVR: & hic 12. Maij, an. 1484.

PHILIPPVS BVRGVNDVS, Dominus DE BEVRES: an. 1493.

N. DE FIENNES, qui etiam Flandriæ præfuit an. 1506.

HADRIANVS DE CROY, Reuxij Comes: an. 1526.

PONTVS DE LALAIN, Bignicurij Regulus.

AMORALLVS, Egmundæ Comes.

FERDINANDVS LANNOYVS, Comes DE LA ROCHE, siue à Rupe, aut Rupensis.

ROBERTVS MELODVNÆVS, Roubaij Marchio: obijt 22. Aprilis, an. 1585. in obsidione Antuerpiensi.

MARCVS DE RYE, VVarembonij Marchio.

FLORENTIVS, Barlaymontij atque Lalanij Comes, hodiè Lutcemburgij Præfectus.

FREDERICVS, Comes Vandembergius.

AMORALLVS, Lignij * Princeps, qui anno 1610. Mense Iunio, Ferijs SS. Petro & Paulo sacris, Atrebatum solenniter ingressus est.

Gal. de Ligne.

Ad Chronicon reuertamur.

Henricus Gondescarius, S. Bertini Abbas, templi sui chorum siue Odeum renouare aggreditur; perfecit Alielmus eius successor, ac in eo, anno 1350. Paschæ festo, Sacris est operatus. *Iperius, & Bersinius.*

Idem Henricus Monasterij sui Frontispicium, ad pontem, Fluuio Aâ superstratum, nouis structuris adornat.

Bethuniæ Conuentus Fratrum Franciscanorum per nobilem virum, Robertum Gubernatorem, & Blancam eius coniugem construitur. Dedicationis eius dies anniuersaria, celebratur Dominicâ Festum Apostolorum Petri & Pauli proximè sequente. Templum consecratum fuit sub titulo Beatæ Agnetis Virginis & Martyris. *F. Franciscus Gonzaga, lib. de Orig. Ord. Franc.*

Ioannes de Vienna, Morinorum Episcopus, in Remensem Archiepiscopatum accessitur. Succedit Raymundus Sacheti, posteà Lugdunensis etiam Archipræsul; & hunc in Teruannensem sedem subsecutus est Ægidius, temporibus Innocentij Sexti Papæ, & Ioannis Regis Francorum. *Demochares.*

Ioannes Episcopus Morinensis fit Remēsis Archiepiscopus, &c.

Septimo Calendas Decembris, qui Diuæ Catharinæ erat sacer, in Flandris, vico Maleâ, iuxta Brugas, Margareta Flandriæ Princeps, filium suum primogenitum parit. Festo D. Andreæ proximè sequente, sacris vndis tinctus est, nouo ad hoc constituto baptisterio, operante Volhelmo Tornacensi Episcopo, nomenque illi paternum inditum est Ludouicus, Maleanus cognominatus à solo & loco natali. Adfuere ex Sacerdotio præter Episcopum Tornacensem, Petrus Rogerius noster Episcopus, Henricus Gondescarius S. Bertini Abbas, alijque præsules & plurima nobilitas: Susceptores fuere Ioannes Brabantiæ Dux, N. Blesensis Comes, cum Namurcensi, & Fiennensi Heroinis. *Vide infrà ad ann. 1346. & 1382.*

Natalis Ludouici Maleani Principis nostri futuri.

CHRISTI AN. 1331. *Roberti Artesij noua pro Comitatu querela. Ioanna Bethuniẽsis supplicium. Robertus ad Anglos confugit.*

IOAN. 22. PAPÆ AN. 15.

ANNO 1331. Vetus illa, atque multoties sopita Roberti Atrebatensis, Bellimontij Comitis de successione in Artesiæ Comitatum querela recrudescit; cuius, & Ioannæ Diuionensis, aliàs Bethuniensis, (quæ suppositicias litteras, nomine Theoderici, Episcopi Atrebatensis, tunc defuncti, in iudicium adhibuerat, vndè flammis hoc anno, mense Februario Lutetiæ multata est) fraudibus detectis, Robertus ad Eduardum Angliæ Regem auxilium petiturus, & inter vtrumque Regnum, dissidiorum ignes sparsurus confugit, & malorum iliadem vtrimque excitauit.

Petrus Rogerius Atrebatium Antistes, in Rotomagensem Archiepiscopum assumitur. Illi in Atrebatensem sedem suffectus est Andreas Florentinus, qui vix biennio partam hîc dignitatem tenuit, primùm Tornacensium Episcopus, indè à Clemente VI. Pont. Max. Cardinalis, sub titulo Sanctæ Susannæ renuntiatus. *Vide infrà ad an. 1342.*

Dicto Andreæ Magninus Medicus Mediolanensis, opus scripsit & dicauit, cuius Titulus est, REGIMEN SANITATIS, in quinque partes tributum.

CHRISTI AN. 1332. *Castellania Atrebatẽsis fit iuris Principis nostri. Itidem Arx Bellemotia. Priuilegia Atrebatibus concessa.*

IOAN. 22. PAPÆ AN. 16.

ANNO 1332. Atrebatensis Castellania, cum singulis eius appendicibus, ex N. V. Dionysij Herissonij & Dominæ Isabellæ Coniugis manibus, in Othonis Principis potestatem emptione deuoluitur.

Itidem arx Bellemotia, sagittæ gemino iactu ad Septentrionem Atrebato seiuncta, quam ab N. V. Hugone Lannoyo, & Catharinâ Bellemotiâ coniuge, pensis pariter nummis accepit. *Vide infrà ad ann. 1402. & 1565.*

Idem Princeps Otho, multis & præclaris priuilegijs Atrebatenses Ciues exornauit; in quibus prohibuit eorum possessiones fisco adiudicari. Vetuit etiam anno diutiùs vno, quemquam in ipso opido commorari, nisi Ciuium in album referatur.

Fluuius Brugẽsis.

Brugis, primùm cœptus fodi alueus ille abs Aquis Amoris in solem meridianum decurrens, vt nauigabilis fieret.

CHRISTI AN. 1333.

IOAN. 22. PAPÆ AN. 17.

ANNO 1333. Andreâ Florentino Atrebatium Episcopo ad Neruios migrante: Ioannes Galuanus, nobis datur Pontifex: qui postmodùm Purpuratorum Patrum numero accensus, titulo Sanctæ Praxedis cohonestatus est.

Ioanna

Ioanna Artesiæ Comes, Bethunienses Ciues varijs priuilegijs exornat; quorum pars magna hodiéque perseuerat. *Bresinius.* Bethunienses priuilegijs ornantur.

Ludouicus Niuernensis Flandriæ Comes, Mechliniense opidum, cum integro eius agro, ab Adulpho Leodicensi Episcopo, & Reginaldo Geldriæ Comite, qui tùm coniunctim id possidebant, pensis nummis sibi & successoribus comparat. Centum millia nummûm Turonensium pretium fuit; siue centum sexaginta millia Regalium Francicæ monetæ. *Balduinus de Glen in Genealogijs Belgicæ.* Mechliniense opidum fit iuris Ludouici Fl. Comitis.

CHRISTI AN. 1334. ANNO 1334. Quartâ Decembris, Auenione obijt Ioannes XXII. Pontifex Maximus. Ibi sederunt ex ordine Pontifices septem, Gallici omnes sanguinis: Clemens V. Vasco; Ioannes XXII. Cadurcus; Benedictus XII. Tolosas; Clemens VI. Lemouix; Innocentius VI. Lemouix; Vrbanus V. Lemouix; & Gregorius XI. Lemouix. *Meyerus.* BENE. 12. PAPÆ AN. 1. Qui summi Pôtifices in Gallijs egerint.

Fertur Benedictus, Cisterciensibus & Benedictinis perpetuum piscium vsum relaxasse. *Genebrardus.*

CHRISTI AN. 1335. ANNO 1335. Castrum Bapalmense, quod Berengarius Latro famosus, magnâ Mercatorum & cæterorum illàc iter habentium iniuriâ, in Artesiæ ad Austrum finibus, non procul Aroasiâ, iam olìm tenuerat (vide ad an. 1090. & alibi) nouis operis atque munitionibus excitatis formam recipit pulchriorem, viresque firmiores. Quo etiam tempore eius pomœrio, aggeribus & fossis circum-vallato, opidum cognomine iuxtìm surrexit, quo gloriosius simul cœpit esse; Artesiamque nostram eâ accessione reddidit illustriorem. BENE. 12. PAPÆ AN. 2. Castrum Bapalmẽse. instauratur. Opidum Bapalmense conditur.

CHRISTI AN. 1336. ANNO 1336. Caput B. Iacobi Apostoli, quod magnâ curâ & cultu adseruant Vedastini nostri, in argenteam thecam, auro inductam, mirifici operis & valoris transfertur. In eius circuitu legitur Gotthico charactere: BENE. 12. PAPÆ AN. 3.

Anno Milleno c. ter, & totidem duodeno,
Hoc vas patratur, Caput ac in vase locatur.

Vide suprà, ad an. 1174.

CHRISTI AN. 1337. ANNO 1337. Eustathius Mericurtius Ecclesiæ Vedastinæ 61. Antistes consecratur. De illo sic Vedastinum Chronicon: *Præfuit annis triginta & tribus,* BENE. 12. PAPÆ AN. 4.

quùm bella, & bellis sociæ calamitates, incendia, rapinæ, odia, seditiones: pro eruditione insignis inscitia: pro virtutibus, omnis generis vitia: pestis, fames, regnum quoddam suum habuere. Quod tamen mirum est: Eustathius in tot acceptis damnis, rebus consuluit non vulgari quodam modo: sed ita vt nouos prouentus etiam annuos compararet. Studiosus insuper ornatus templi, multũ vestium Sacerdotalium, thecas multo argento & auro graues, Reliquijs complurium Sanctorum constari curauit: ac denique perfecit multo auro abacum seu mensam summæ Aræ templi, quam Paulus inceperat, Sic ibi. Vide suprà ad an. 1252.

CHRISTI AN. 1338 — *Comitia Atrebatensia.* — BENE. II. PAPA AN. 5.

ANNO 1338. Atrebati, ineundæ inter Philippum Valesium & Eduardum Reges pacis gratiâ, Comitia celebrantur. Missi ab Gallo, Rotomagensis, Lingonensis, & Bellouacensis Episcopi, cum duobus Cardinalibus. Ab Anglo, Cantuariensis, Lincolniensis & Dunelmensis etiam Episcopi, cum Hannoniæ Comite & Gulielmo à Monte acuto.* Sed nihil pacis potuerunt consequi. *Meyerus.*

*Gal. Mõtaigu.

Comes Flandriæ fugit Audomaropolim.

Ludouicus Niuernensis, Flandriæ Comes, proditionis, quam in Principem clanculùm Flandri machinarentur, admonitus, fugit Audomaropolim. *Idem.*

CHRISTI AN. 1339. — *Armentaria à Flandris capitur & incẽditur.* — BENE. II. PAPA. AN. 6.

ANNO 1339. Armentaria, Flandriæ quidem ad Lisam Fl. opidum, verumtamen Diœcesis Atrebatensis, quùm ab Gallorum partibus, Genuensibus præsidiarijs staret, Iprensium postulationibus, ab Arteueldâ, comitantibus Flandris capitur atque incenditur. *Idem.*

Cameracenses in Hannoniã cum Gallis excurrentes, Haspram, insignem Vedastini monasterij Præposituram depopulantur, & ignibus funditùs exhauriunt. *Vide ad ann. 1018. & 24,*

Primus Geldriæ Dux.

Reinoldus, eius nominis secundus, Geldriæ Comes, ab Ludouico quarto Cæsare, eiusdem tractus Dux primus renuntiatur, quo deinceps titulo eius successores vsi fuere. *Balduinus, de Glen, Vide suprà ad an. 1079.*

CHRISTI AN. 1340. — *Audomaropolis frustra ab Flandris obsidetur.* — BENEDI. II. PAPA AN. 7.

ANNO 1340. Audomaropolis ab Flandris, Anglorum aliorumque auxilio fretis, strictâ obsidione cingitur. Sed dubio Marte vtrimque sæpe tentato, eâdem soluitur, hoste vasa conclamante. *Bald. de Glen, Vignierius, Meyerus.*

Arkense Castrum iuxta Audomaropolim, ab ijsdem Flandris incenditur.

Robertus Atrebas, Bellimontij Comes, Mathildis no-

ſtræ Nepos, miſſis in Atrebatenſem agrum incendiarijs, eum miſerè deſolat, vicis & arcibus igni penitùs abſumptis. Hoſtibus, honorarij in vicem, id demùm acceſſit, quòd eorum ſexaginta à noſtris intercepti, ſuſpendio vitam terminarint. *De his & ſimilibus Martis tragœdijs, fuſiſſimè Meyerum enim tu conſule.*

CHRISTI AN. 1341. ANNO 1341 Petrus Bertrandi, Viennâ Allobrogum opido oriundus, atque Bertrandi Heduenſis Nepos, Atrebatenſis Eccleſiæ Pontifex renuntiatur. Indè Cardinalium Romanæ Eccleſiæ coaptatus, pòſt paulò Oſtienſis Epiſcopus (hic ſummus poſt Pontificatum Maximum Eccleſiaſtici honoris eſt gradus) fuit ſalutatus. Is Pariſijs Auguſtodunenſe Gymnaſium excitauit, in cuius frontiſpicio ſic legitur: BINE. 12. PAPÆ AN. 8. *Collegiũ Auguſtodunenſe Pariſijs à Petro Epiſcopo noſtro fundatũ.*

PETRVS BERTRANDI, DIOECESIS VIENNENSIS, OLIM NIVERNENSIS, DEINDE ATREBATENSIS EPISCOPVS; POSTEA, TITVLO S. SVSANNÆ PRESBYTER CARDINALIS, OSTIENSIS ET VELLETRENSIS EPISCOPVS CARDINALIS, &c.

CHRISTI AN. 1342. ANNO 1342. Petrus Rogerius Lemouix, primùm Atrebatenſis Epiſcopus, indè Rotomagenſis Sedis Archipræſul renuntiatus & Cardinalis, in ſupremum Eccleſiæ thronum, Clementis ſexti aſſumpto nomine ſublimatur. CLEM. 6. PAPÆ AN. 1. *Clemens VI. Pont. Max. anteà Epiſcopus Atreb.*

Biennales Induciæ inter Anglum & Gallum Clementis VI. Pont. Max. adhortatu & miſſo legato, Atrebati ægrè obtinentur. *Induciæ biẽnales inter vtrũque Regem.*

Inducijs Biẽnalibus inter Reges habitis, Eduardus Rex lanæ mille ampliùs ſaccos mittit in Flandriam; vndè & quæſtus & lætitia grandis vbique exorta.

Nouum illud iugum ſeruitutis, hoc eſt, TRIBVTVM SALIS, hoc primùm anno excogitatum, atque Gallis impoſitum, ſeu imperatum. *Salis tributũ in Gallijs.*

CHRISTI AN. 1343. ANNO 1343. ſecundùm Berſacium, (Meyero 1341.) Robertus Atrebas, Bellimontij Comes, morte interpellante, Patriam cladibus laceſſere tandem deſinit. Londini in Angliâ, honorificis exequijs, Regiâ impenſâ præſtitis eſt ſepultus. CLEM. 6. PAPÆ AN. 2. *Robertus Atrebas moritur.*

CHRISTI AN. 1344. ANNO 1344. Lutetiæ, Philippus Dux Aurelianenſis, CLEM. 6. PAPÆ AN. 3.

Philippi Aurelianensis Nuptiæ. Philippi Regis filius, annos non amplius decem natus, maritale fœdus percutit cum Candidâ, Caroli Pulchri Regis filiâ. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1345 *Philippi Burgũdi casus.* CLEM. 6. PAPÆ AN. 4. ANNO 1345. Philippus, Ioannæ Principis nostræ, ex Othone marito, filius, ex fortuito equi lapsu, contracto morbo, parentibus superstitibus, è viuis recedit, relicto Philippo; quem ei Ioanna Bononiæ Comes pepererat; cuius tutelam gessit Ioanna Auia. *Bersacius*, *Meyerus*.

CHRISTI AN. 1346. *Teruãna ab Anglis diripitur. Miraculum.* CLEM. 6. PAPÆ AN. 5. ANNO 1346. *Teruannam captam Angli diripiunt, direptam incendunt, templum quoque despoliari cœptum. Sed quùm Anglus quidam, iactu sagittæ, coronam Deiparæ Virginis, quæ sublimi quodam stetit pegmate, conatur deijcere, fractus arcus circumstantes grauiter fragmentis suis vulnerauit. Tum parsitum templo, creditumque diuinitùs direptionem prohiberi. Religiosè supplicatum, ac dona ab Anglis Aræ Virginis collata. Discedunt Angli; sed mox prædatoria accedit manus Flandrorum ab Fano Audomari, vt si quid in deserto restaret opido, raperent. Hi Canonicorum* *Flandrorum impietas.* *stantia adhuc ædificia incenderunt, nec à direptione sacrarum rerum abstinuerunt.* Meyerus ijsdem verbis.

Bethunia ab Flandris obsidetur. Bethunia strictam Flandrorum obsidionem perpetitur, sed nil segnius obsessi tuentur. Vndè re infectâ, vasa conclamare hostis compellitur, non paucis vtrimque desideratis. Audiamus de his Meyerum: *Flandri Betuneam per tres circiter Hebdomadas obsident, Ducibus Henrico Flandrensi, & Odardo Rentiaco, pulso à Rege Philippo in exilium; auxiliante vicinâ gente, quæ Alencia vocatur. Ioannes Castellionensis, Godefridus* DANEKIN, *Rolandus ab PonKis, Godofredus Charnius, & Eustathius ab Ribomonte, id opidi pro Rege Philippo tutabantur: ignemque crebrò à Flandris iaculatum ictusque terribiles tormentorum sustinuerunt gnauiter: non-* *Obsidio soluitur.* *nunquam & cum his per eruptiones dimicantes. Habebant secum, præter alios, centum circiter & sexaginta arcubalistarios, Atrebato missos. Instante autem Regum pugnâ, omissâ obsi-* *Numerus hostium.* *dione, Greueningam Flandri concesserunt.* Hæc Meyerus. Addit Bresinius Flandrorum ampliùs septuaginta millia, eâ in obsidione affuisse.

Turris speculatoria Bethuniẽsis opidi. Eiusdem Bethuniensis opidi Turris speculatoria, campanis & carceribus instruenda, in maioris fori meditullio erigitur, quatuor columnis innixa; & vrbs ipsa, concessione Philippi Valesij Galliarum Regis, portis,

fossis,& ædibus reddita firmatior, simulque priuilegium immunitatis à fisco ciuibus confirmatur, dicto Philippo auctore, vti constat ex eius litteris.

Ludouicus Niuernensis, Flandriæ Comes, Mechliniam Ioanni Duci Brabantiæ cedit, mediante 86000. Aureorum Regalium solutione, & iuramento per Clementem VI. Pont. Max. irritato, quo tenebatur id oppidum nunquam alienare. Sed priusquam Ioannes pecuniam numeraret, Ludouicus in viuis esse desijt. *Mechlinia fit iuris Ducis Brabãtiæ*

Reges mutuis se conuicijs proscindunt: Anglus Philippum Mercatorem Salis, Auctoremque Salicæ legis appellare: Gallus Eduardum Lanæ Mercatorem vocare, qui quum nihil lucri eo anno fecisset, alienos populaturus agros plenis velis aduolaret. *Mutui Regum sarcasmi.*

Ludouicus Flandriæ Comes, iuxta Cressiacum (est id Ponthiuensis Comitatus, non procul Abbauillâ, oppidum) prælio commisso interficitur. Habe eius Epitaphium. *Ludouicus Niuernẽsis Flandriæ Comes moritur.*

Chy gist noble, puissant Prinche, de bone memoire mon Seigneur Loys Comte de Flandres, de Neuers, & Rethers, qui tres-passa en l'An de grace, mil trois cents quarante sis, le XXVI. *iour dou Mois Daugst. Pryés pour l'Ame de ly.*

Ludouico Niuernensi Ludouicus Maleanus filius succedit. *Ludouicus Maleanus filius, in eius ditiones succedit.*

CHRISTI AN. 1347. ANNO 1347. Ioanna Artesiæ Comes, etiam vitæ iacturam facit, atque in Beati Dionysij celeberrimo Galliarum Monasterio sepelitur. *Clem. 6. Papæ An. 6. Ioanna, Artesiæ Comes, moritur.*

Olli Chronographicum istud inscripsimus:

CVr MIgras PrInCeps Ioanna? en, Cernes BrItannVs FrendentI nIXV per tVa rVra fVrIt.

PHILIPPVS VI.

ARTESIÆ COMES.

Christi An. 1347.



ANNO 1347. PHILIPPVS Othonis & Ioannæ PP. NN. ex Philippo Filio Nepos, auitâ successione fit Artesiæ Comes: quam quidem ditionem, Ioanna mater, Bononiæ & Aruerniæ Comes eius tutelam gerens, ac deinceps Ioannes Valesius, Francorum Rex, eiusdem Ioannæ, reparato thalamo, maritus, gubernarunt. *Bersacius.* Clem. 6. Papæ An. 6.

Arx Guisnēsis Anglis proditur.

Sub hoc Principe, Artesia multis incommodis fuit adfecta, eiusque Comitatus imminutus. Guisnensis etenim Arx, Præfecto pecuniâ corrupto, ab Anglis intercepta est, Induciarum tempore, an. 1351. expostulantique Gallo respondisse Angli feruntur: RERVM COEMPTIONE RELIGIONEM INDVCIARVM NON VIOLARI. *Idem.*

Caletum ab iisdem Anglis capitur.

Itidem Caletum * opidum maritimum, ab iisdem Anglis, inaudito planè exemplo, expugnatur & capitur. *Vide Meyerum.*

* Gall. *Calés.*

Ludouici Maleani Fl. Comitis Nuptiæ.

Ludouicus Maleanus Flandriæ Comes, spretis nuptiis Anglicanis, Margaretam, Ioannis Brabantiæ Ducis filiam, sibi vxorem deuincit.

Christi An. 1348. *Otho Dux Burgundiæ moritur. Philippus Artesiæ Comes eius hæres.*

ANNO 1348. Otho, Dux Burgundiæ, Roberti filius, in vrbe Senonum, naturæ concedit, atque in Cistercio sepelitur. A cuius obitu, Burgundiæ Ducatus cessit Philippo, eius ex Philippo filio, nepoti, Artesiæ & Burgundiæ Comiti: qui, vt omnes eius Principatus cum Flandriâ coniuncti manerent, Margaretam Ludouici Flandriæ Comitis filiam vnicam & ex asse hæredem in vxorem accepit. *Vide infrà ad an. 1354.* Clem. 6. Papæ An. 7.

Delphinatus vndè primigeniis Regum Gallicanorū accesserit.

Hymbertus Imperij Delphinas beneficiarius, eâ se dignitate, factus monachus, exuit, ac tradit Gallo, acceptis prius quadraginta coronatorum aureorum millibus, ac insuper assertis decem florenorum millibus annui reditus, dum viueret. Carolus Imperator, cuius in hanc transactionem animaduertere erat, id quidem sustinuit, pactâ conditione (scribit Meyerus) *vt dumtaxat Regum Gallicorum filij Delphinatum possideant, idque in fide ac clientelâ Imperij, illumque ab Imperio nunquam alienent. Erat enim Delphinatus vna ex septem prouinciis Regni Arelatensis, Imperio subiecti.*

Primus Delphinus ex Gallijs factus Carolus, Philippi Regis filius. Meyerus ijsdem verbis.

CHRISTI AN. 1349. CLEM. 6. PAPÆ AN. 8.

ANNO 1349. Atrebatenses, Philippo Rege animos excitante, opidum suum nouis operibus & propugnaculis munire, atque contra omnem belli euentum firmare gnauiter & splendidè adoriūtur, vt ex Regijs litteris patet, pridiè Kalendas Iunias, hoc anno datis.

CHRISTI AN. 1350. CLEM. 6. PAPÆ AN. 9. *Natalis Margaretæ Maleanæ Pr. nostræ.*

ANNO 1350. Ludouico Maleano, Flandriæ Comiti, nascitur Margareta, Artesiæ & cæterarum ditionum paternarum hæres ex asse futura.

Moriuntur Nicolaus Duisantius, XIX. Montis Eligiani, & Bernardus Croissillius, XIIX. Henniacensis cœnobiorum Antistites. Huic Galterus DE BOVCHAIN, illi Michael Coulonius successum iuere.

Iubilæũ ad annũ 50. reuocatur.

Clemens VI. Pont. Max. anteà Episcopus Atrebatensis, Petrus Rogerius appellatus, Iubilæum sæculare, à Bonifacio VIII. anno 1300. institutum, ad Iubilæi Iudaici tempora contrahit, atque quinquagesimo quoque anno celebrari præcipit.

Ouorũ & Lacticiniorum vsus Germanis permissus.

Is eâdem ferè ætate Germanis vsum ouorum & lacticiniorum in sextis ferijs, & quibuslibet ieiunijs, exceptâ Quadragesimâ, indulsit.

Idem Sacrum Missæ Officium contra Epidimiæ luem ordinauit.

Beatus Iuo Canonizatur.

Antiquæ Ecclesiæ suæ Atrebatensi plurima ornamenta, Indulgentiasque concessit.

Parisijs Sorbonici Collegij Sacellum ædificauit.

Calũnia in Aduocatos seu Causidicos.

Beatum Iuonem, Aduocatorũ, viduarum & pupillorum Diuum tutelarem, in Sanctorum catalogum retulit. De quo S. Iuone lubet hîc adnotare quod celebris quidam Chronographus scriptis suis ex matre historiarum immiscuit. Eiusdem verbis exprimam: *Non inuenitur* (inquit Mater illa Historiarum) *inter omnes Aduocatos & Iureconsultos, qui sit sanctus, nisi iste solus Iuo.* Sic ille: Nec ab eâ sententiâ abhorrere visus est Sebastianus Brandtius, quando eiusmodi distichon excogitauit, quo Diuum alloquitur Iuonem:

Aduocatorum tu gloria prima vel vna,
Solus & è nostrâ sidera Gente tenes.

Refellitur.

Eam tamen obiectationem, calumniæ, quàm veritati,

dixero assimiliorem. Nam vt cætera omittã, atque imprimis quæ de Iuris præstantiâ & professoribus dici meritò (si nostrũ admitteret institutum) hîc possent; certè Martyrologium Romanũ, Decembris vicesimâ, de Sancto Philogonio Aduocato seu Causidico, sic loquitur: *Antiochiæ Natalis Sancti Philogonij Episcopi, qui ex Causidico ad eam Ecclesiã regendã, Dei nutu accersitus, aduersus Arium, vnà cum sancto Alexandro Episcopo, & socijs, primum pro fide Catholicâ certamen inijt; clarusque meritis, quieuit in Domino: cuius annuam festiuitatem Sanctus Ioannes Chrysostomus præclaro encomio celebrauit.* Hæc ibi: ad quæ verba consule Baronij Notas: Item Ioannem Molanum libro 1. de Canonicis, cap. 4.

CHRISTI AN. 1351. *Anglorũ à nostris strages.* — CLEM. 6. PAPA AN. 10.

ANNO 1351. Angli iuxta Audomaropolim pabulantes, & vastationem inferentes, à nostris excipiũtur, eorumque septingenti fortiter trucidantur.

Luctuosa & funesta hoc anno siccitas, ventorum tempestas & fames.

CHRISTI AN. 1352. *Temporis Calamitas.* — CLEM. 6. PAPA AN. 11.

ANNO 1352. Petrus Bertrandi, sedi Atrebatensi nuntium mittit; sublimioribus apicibus alibi ornatus. *Vide suprà ad annum 1341.*

Illi Aymericus surrogatus est, neque nouem ampliùs annos tenuit Episcopatum.

CHRISTI AN. 1353. — INNO. 9. PAPA AN. 1.

ANNO 1353. Ludouicus Flandriæ Princeps, florente ætate, adeoque cæco isto igni æstuante, in Gallias profectus vbi fuisset, quandam puellam, vultus & honestatis gratiâ, deperire cœpit. Quam cognitam, gestare vterum vt nouit, datis ad puerperia fouenda, & honorificam sacræ vndæ tinctionem, largâ manu pecunijs, domuitionem parauit. Verùm quando id resciuit Margareta vxor, tãto æstu exarsit, vt dolo vocatâ ad se puellâ, eiusdem nares detrũcarit. Vndè tres intra dies, præpropero partu gemellos enixa, vnà cum infantibus statim perijt.

Honorabile cõnubiũ, thorus immaculatus.

CHRISTI AN. 1354. *Philippi Principis nostri Nuptiæ.* — INNO. 9. PAPA AN. 2.

ANNO 1354. Maij XIV. Philippus, Ioannæ Galliarum Reginæ filius, Atrebatium Comes, Margaretam, Ludouici Maleani, Flandriæ Comitis, Filiam, & in solidum hæredem, septennis, vix quadrimulam, in thalami consortium arcessit. Sacra matrimonij, Atrebati in Vedastino templo, abs Tornacensi Pontifice celebrata.

CHRISTI AN. 1355 *Seditio Atreb.* — INNO. 9. PAPA AN. 3.

ANNO 1355. Atrebati popularis seditio ob impositum ab Gallorum Rege nouum & insolẽs vectigal, in vrbis pri-

mores

mores acris exsurgit, eorumque octodecim (quidam septemdecim, & quatuor exteros scribunt) tumultuario impetu trucidantur. Postmodùm autem, subsidente nonnihil tempestate, factiosorum, qui igniculos primi insufflauerant, centum, capitis obtruncatione plexi sunt. Tanti est, cuius terræ Princeps puer est. *Vide Meyerum.*

Mense Octobri, Eduardus Anglorum Rex, magno cinctus comitatu in Artesiam collabitur, rectáque Hesdinum contendit, cuius Parko cum singulis eius ædibus flammâ statim dissipatis, Gallum aduentare, animo castra impetere, manusque conserere paratum vt intellexit, commodùm sibi consulens, Caletum repetijt. *Bresinius.* *ParKum Hesdinẽse ab Rege Anglo incenditur.*

Est autem ParKum, latiniùs Roborarium, vulgò PARK, locus priscæ vrbis Hesdinensis ruinis contiguus, Nemore & Venaticis percelebris. *Vide infrà ad an. 1397.*

CHRISTI AN. 1356. ANNO 1356. Maij tertiâ, Atrebati statutum, vt deinceps quisque Senatorum, familiari & domestico equo vehatur: qui neglexerit, summâ viginti florenorum multator; aliaque id generis ordinata. INNO. 9. PAPÆ AN. 4.

Mense Septembri, Ioannes Galliarum Rex, in Pictauis, ab Eduardo, VValliæ Principe, Eduardi Regis filio, post acre prælium viribus fractus ad deditionem cogitur. Captiuum se Rex concredidit Dionysio * Morbekano, nobili Audomarensium Equiti, ob homicidij culpam (vt scribit in Artesiæ Chronico Franc. Balduinus I. C. Atrebas) ex Galliâ proscripto, qui tum sub Anglis stipendia merebat. Ab hac clade, vniuersa Gallia miserrimè vexata est per factiones intestinas, & Anglorum irruptiones, qui propter victorias aliquoties partas, Caletoque occupato, aptissimo ad hanc regionem inuadendam, ac domestico ingressu ferociores se exhibebant: vt hinc non paruam traheret Comitatus Artesiæ ruinam. *Bersacius, Fr. Balduinus, Meyerus, qui de his prolixè.* *Ioannes Galliæ Rex commisso cũ Anglis prælio superatur.*

* Par exemplum de Francisco Rege, & Carolo DE LANNOY in Atrebatibus Equite, vide ad an. 1525.

Bruxellenses, Euerardo Serclasio, Episcopi Cameracensis Fratre, vehementer illos sollicitante, à Ludouico Maleano, Flandriæ Comite, deficiunt, Venceslao, Brabantiæ Duci, Traiecti ad Mosam, tum agenti sese dedentes. *Bruxellenses Brabãtiæ Duci se dedunt.*

CHRISTI AN. 1357. ANNO 1357. Dicto Venceslao, & Ioannâ, Brabantiæ Principibus, Louaniensis opidi pomœrium dila- INNO. 9. PAPÆ AN. 5.

Louaniẽsis opidi amplitudo. tatur, atque vastissimo murorum ambitu concluditur. Opus inchoatum & coronide suâ donatum, currente solo bienio; vetere (de quo ad annum 895. diximus) in eius velut vmbilico seu meditullio consistente. *Caussa dilatãdi.* Caussa dilatandi, lanificia ibi numerosissima, adeóque in immensum aucta incolarum artis eius scientium & colentium multitudo. Quorum porrò sumptu? Certè ipsorummet lanificum; qui postmodùm ex ciuilibus turbis, ad exteros, & Anglos potissimùm (hinc Brugensium res augescere cœperunt) pennis præpetibus, circa annum 1384: transuolarunt, & simul cum ijs velut colonijs, Ars ista. Vide infrà, ad annum 1425. & Iusti Lipsij Louanium lib. 1. c. 7. vbi de eius vrbis magnitudine, addit; *Eius cum aliorum opidorũ magnitudine collatio.* Louanium maius esse Gandauo tribus Virgis; Leodico octo; Lutetiâ decem; Coloniâ octodecim: idque certè compertum, missis anno 1427. mensoribus, rerum talium gnaris, sponsionis occasione inter quatuor Ducis Ioannis Palatinos, quos etiam nominat, dum in mœnibus fortè obambularent, habitæ. Virgam autem seu perticam ad octodecim & viginti pedes extendit. *Vide suprà ad ann. 895. 1184. 1202. 1228. 1278. 1317. & 1503.*

CHRISTI AN. 1358. ANNO 1358. Atrebati pons versatilis, qui ad portam Veteri Ciuitati oppositam, tutelæ & robori opidanorum, statis horis leuaretur, cum subjectâ macerie componitur. Alibì lego petitum fuisse lapidem abs Azincuriano, in S. Pauli Comitatu, pago, Guidone Castillonio eius tractus Comite, id annuente. *Vide quæ ad annũ 1349. iam antèdiximus.* INNO. 9. PAPÆ AN. 6.

CHRISTI AN. 1359. *Artesiæ deuastatio.* ANNO 1359. Henricus, Dux Lencastriæ in Angliâ, Artesiæ agrum populabũdus percurrit: cuius, suorumque famem, Eligianum cœnobium copiosè vbi compescuisset, abactor aliò diuertens, Brayum Picardiæ ad Sononam Fl. opidulum, obsidione vallare occœpit. INNO 9. PAPÆ AN. 7.

Qui quibus opidis à Gallis præfecti. Intereà Galli, captiui Regis rebus consulentes, firmissima eius in opidis Præsidia collocarãt. Tum præerant, Atrebati Guido, Fani S. Pauli Comes: Bapalmæ Odardus Rentiacus, & Engerrannus Hesdinensis: Ambiani Morellus Fiennus: Quintinopoli Balduinus Danus: alij alibi.

Hinc, quia ob tenebras rebus affusas altiùs non licet, Toparcharum seu Præfectorum opidi Atrebatensis Catalogum lubet auspicari.

CATALOGVS SEV SERIES PRÆFECTORVM OPIDI *Atrebatensis.*

Series Præfectorum opidi Atrebatensis.

1. GVIDO, Fani Sancti Pauli Comes. Vide ad annum 1471. eius casum.
2. CAROLVS DE POICTIERS.
3. IOANNES, Esnæ Dynasta: Vices eius gessit Michaël DV CHANGE.
4. IOANNES DE MIELLE.
5. GVLIELMVS* DE BONNIERIS. Sacramentum dixit tertio Calendas Nouembris, anno 1409. E viuis abijt sexto Calendas Septembris, an. 1423. Quiescit Atrebati in Maiore beatæ Virginis templo. Vices eius gessit Ioannes DE TENQVETTE: Inde Ioannes GVFFROY, an. 1411.

*al. ÆGIDIVS.

6. DAVID DE BRIMEV, Humbercurij Toparcha, an. 1423. Vices eius tenuit N. V. Iacobus DE BEAVVOIR.
7. GVLIELMVS DE BRIMEV, Ligniaci Toparcha, Dominæ de Dampetrâ maritus: Sacramentum dixit VIII. Martij, anno 1426.
8. ROBERTVS LE IOSNE, 1440. Eius locum tenuit Tristrannus DE PARIS.
9. LODOVICVS DE CONTAY, Sacramentum dixit 13. Iannarij, an. 1467. Eius vices gessit N. V. Robertus DE MARKAIS.
10. CAROLVS DE CONTAY, Lodouici Filius, Sacramentum dixit an. 1475. Mense Iulio. Eius vices tulit N. V. Antonius de CROIX.
11. PHILIPPVS CREVECOEVR Sacramentũ dixit 8. Iulij, an. 1477. quo ab Rege Ludouico XI. captum est Atrebatũ
12. ANTONIVS DE CREVECOEVR. Sacramentum dixit 12. Maij, an. 1484. Eius locum tenuit Ioannes GOSSON Iunior.
13. IOANNES DE CREVECOEVR, vix pubes. Vnde in rebus gerundis, dicto Ioanne GOSSON perpetuò est vsus.
14. Opido Atrebatensi in Maximiliani Principis potestatem 4. Nouemb. an. 1492. restituto, Præfectus datũs est

PHILIPPVS DE CONTAY, Forestij Toparcha, quam dignitatem gessit ad vsque obitum; qui contigit.24. Augusti an. 1501. Eius locum tenuit N. V. Robertus de MARKAIS, Giuencij Dynasta.

15. IOANNES DE BEAVFORT, qui in Præfecturæ societatem N.* Habarcquij Dominum, Fratrem coaptauit. Obijt Ioannes 23.Septemb. an. 1503. Eius locum tenuit N. V. Antonius DE POIX, — * Forte PETRVM.

16. ROBERTVS DE MELEVN, Toparcha DE ROSNY, qui in opidum honorificè acceptus est an. 1503. Mense Octobri. Eius vices gessit Ioannes DE LA RVE; cui defuncto surrogatus est Ioannes DE SAINCT AVBIN, ambo, VV.NN.

17. HVGO DE MELEVN. Sacramentum dixit 12.Aprilis, anno 1512.obijt an.1524.Mense Octobri.

18. PETRVS, Habarcquij Toparcha. Obijt 23. Octobris an.1535.Eius vices gessit N. V. Robertus DE MARKAIS; eoque defuncto Reginaldus GRIGNART.

19. PONTHVS DE LALAIN, Bignicurij Toparcha, Sacramẽtum dixit 14.Aprilis, an.1537.

20. IOANNES DE LONGVEVAL, Vauxij Toparcha, anno 1543. Eius vices gessit N. LE VASSEVR Vallis-Hugonis * Dominus. — * Gal. Val-Huon.

21. MAXIMILIANVS DE MELEVN, Gandauensium Vice-Comes; qui decimâ sextâ Iulij, anno 1558.regimen auspicatus est, eidem vicesimâ octauâ Iunij, an. 1572. mortis actus imperio valedixit. Eius vices tenuit Gerardus Vossius Belli-prati Dominus.

22. MAXIMILIANVS DE LONGVEVAL, Vauxij Toparcha.

23. OVDARDVS DE BOVRNONVILLE, Henniaci seu Henninij Comes. Eius vices post Gerardum Vossium Nobilis Eques Ioannes à Monte S. Eligij, Dominus DES VVENDINS, excepit, atque etiamnum tenet.

24. Hadrianus DE NOYELLES, Marlesij Toparcha, Baro DE ROSSIGNOL, &c. Hodiè ab Principibus, mirificis honoribus, in aulâ Bruxellanâ adauctus. Illi iam olim hunc Anagrammatismum luseramus.

ADRIANVS DE NOYELLES, SOL IN SYDERA LEVANDE.

I Felix; voluere Duo te Sydera summis*
Associare locis; Fidei & Pietatis Amore.

* Albertus, & Isabella, clementissimi Principes.

Tertio Calendas Iulias, Natalis Philippi Burgundi, cognomento Boni, Principis Artesiæ &c. futuri. *Petitaus.* *Natalis Philippi Boni, Ar. Pr.*

Christi An. 1360. ANNO 1360. Innocentio Pont. Max. procurante, Pax inter Reges coit. Tùm in cæteris stipulatum; Rex Gallus suæ redemptionis caussâ, Regi Anglo tricesies centena millia coronatorum numeraret. Dati obsides (vt tres Regis filios omittam) Philippus princeps noster; Ioannes Atrebas, Vgellæ Comes, cũ Carolo fratre, Comite Longeuillæ, Guido Lutcemburgius, Comes sancti Pauli, alijque quàm plurimi Illustrissimi Heroës. *Inno. 9. Papæ An. 8. Pax inter Galliæ & Angliæ Reges. Rex Galliæ, carcere solutus.*

His, fide hinc indè iuratâ, peractis, Gallus Bononiam venit, ad B. Virginis Aram preces & vota positurus. Hinc Hesdinum diuertit; quo Ludouicus Flandriæ Comes, arrepto statim itinere profectus, eum humanissimè salutauit, & reduci admodùm congratulatus est. Postmodùm Rex Audomaropoli lustratâ, reuisit optatissimam Lutetiam suam.

Hæc dum ita fiunt; Ioanna, Ioannis Regis Coniux, vt in Burgundis mœrens agit, vitâ defungitur; quo factum vt Philippus Princeps noster, eius Filius, Bononiæ & Aruerniæ Comitatus, Hæredij iure assequeretur. *Meyerus.* *Bononiæ & Aruerniæ Comitatus fiunt iuris Principis nostri.*

Robertus de Gabennis, defuncto Ægidio, Morinorum Pontifex acclamatur; inde Cameracensis; ac demùm post Vrbanum sextum, Pontifex Maximus, Clementis septimi attributo nomine, Fundis à Cardinalibus est electus. Verùm eius electio reiecta fuit, velut schismatica. *Vide Polydorum Vergil. & Palmerij Chronicon.*

Christi An. 1361. ANNO 1361. Mense Nouembri, Philippus Princeps noster, anno ætatis xv. vix puber, per mortem extinguitur. Eius funus in Burgundiam delatum, commune cum maioribus suis inijt sepulcrum. Illi dedimus *Inno. 9. Papæ An. 9. Mors Philippi Principis nostri.*

Chronographicum.

Ater VbIqVe CoLor *: n*IVI*s hos depone* NoVeMber*:*
In tantâ aVdaXqVe *es* VIVere CLade *d*IV.

Margareta eius Vidua, Ludouici Maleani, Flandriæ Comitis filia, thorum posteà redintegrauit cum Carolo Audace, Burgundiæ Duce.

Disceptationes, quæ per Philippi Principis obitum, variè subortæ sunt inter Principes, lege ad satietatem in Ponthi Heuteri Historiâ Burgundicâ, Iacobi Meyeri Annalibus, alibì.

MARGARETA VII. ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1361. — INNO 9. PAPÆ AN. 9.

ANNO 1361. MARGARETA, Philippi Longi, Galliarum Regis, ac Ioannæ, quondam Artesiæ Comitissæ filia, Ludouici Niuernensis, Flandriæ Comitis, qui in prælio apud Cressiacum cæsus est (vide ad annum 1346.) vidua relicta, Philippo Burgundo (cuius erat matertera magna) recens defuncto, succedens, hunc Comitatum & Burgũdiæ obtinuit. Hæc vidualem vitam egit annos triginta sex cum summâ laude: patrias leges, priuilegia & statuta antiquiora reformari curauit, & in rectum ordinem pleraque direxit. Huius tempore vectigalia superinducta sunt, ad vim grassantium & aliorum reprimendam. Margaretam, ex Ludouico Maleano Flandriæ Comite neptem Philippo Audaci * in matrimonium dari procurauit. *Bersacius eodem ferè stylo.*

Margareta Principis nostræ encomiũ.

Vectigalia imposita.

* Vide infrà ad annum 1369.

Moritur Aymericus Atrebatium Episcopus; eumque ad hunc honoris apicem secutus est Gerardus DE DAINVILLE, qui XXVI. Iulij insequentis anni, comitantibus Senonensi Archiepiscopo, Carnotensi & Nouiomensi Episcopis, multaque Nobilitate, solenni admodum pompâ vrbem ingressus, Pastoralis muneris partes est auspicatus. Ciues illi obuiam progressi, insolitæ magnitudinis Taurum, nonaginta lilijs aureis comparatum, in honorarium obtulerunt. Verùm de Pontifice, Atrebatensis Ecclesia, non diutiùs septennio, lætata est, vtpotè anno 1370. ad Morinos, inde Cameracenses transmigrante.

Atrebati Xenodochiũ ab Ioanne DE CHARIOTTES (vnde isti loco nomen) & Dominâ Emelottâ HVCQVE-

DIEV cõiuge, ægris & peregrinis excipiendis, adparatur. Eius cura viduis duodecim commiſſa, ſub tutelâ patrocinioque Atrebatium Senatorum. *Vide ad annum 1556.*

CHRIS AN. 1362.

ANNO 1362. Idibus Auguſti, horrenda ventorum tempeſtas templa, turres, molas, arbores, domoſque grauiter proſtrauit. *Meyerus.*

INNO. 9. PAPÆ AN. 10.

CHRISTI AN. 1363.

ANNO 1363. Burgundis peculiarem ſibi Ducem poſtulantibus, Philippus, cognomento Audax, Ioannis Galliarum Regis filius, Margaretæ Flandrenſis maritus futurus, Princeps, Ducis ornatus titulo, eſt datus. *Vide Meyrum.*

VRBA. 5. PAPÆ AN. 1. *Philippus Audax Burgundiæ Dux datur.*

Michaele Coulonio, XX. Eligianorum Antiſtite, vitâ orbato, Iacobus DE SAILLY, præſtantis vir eloquentiæ, eadem ſede honoratur, ſed non amplius menſibus quinque tenuit, morte auocante. Vndè nouus Abbas Nicolaus gregi præfectus eſt, annoſque XXV. gubernauit.

CHRISTI AN. 1364.

ANNO 1364. Moritur Ioannes Francorum Rex; ſucceſſit Carolus hoc nomine quintus. Hic Carolus, Ducatus Burgundiæ donationem Philippo Audaci factam confirmauit. *Vide Meyerum.*

VRBA. 5. PAPÆ AN. 2. *Carolus V. Gal. Rex.*

CHRISTI AN. 1365.

ANNO 1365. Margareta Arteſiæ Comes, Carthuſianos Goſnayenſes, annuo lignorum prouentu, non mediocriter afficit ac recreat, ſiluâ cæduâ, quæ ad S. Amãdi, in 140. iugerum amplitudinẽ ſe expandit, in hunc vſum conceſſâ.

VRBA. 5. PAPÆ AN. 3.

CHRISTI AN. 1368.

ANNO 1368. Bellum inter Galliæ & Angliæ Reges renaſcitur. *Vide Meyerum.*

VRBA. 5. PAPÆ AN. 4.

CHRISTI AN. 1369.

ANNO 1369. April. 24. Mercurij & Iouis ferijs, Carolus V. Gallorum Rex, Paulopoli Comitia habet, ſerijs de rebus acturus. Interfuere, Cardinalis Bellouacenſis, Archiepiſcopus Senonenſis; Epiſcopi, Aurelianenſis, Atrebatenſis, & Altiſſiodorenſis, alijque heroës huius illius ordinis, quos in Tilletio, ſi aues, cognoſce.

VRBA. 5. PAPÆ AN. 5.

Decimo tertio Calendas Iulias, Gandaui, ad Sancti Bauonis, Philippo Epiſcopo Tornacenſi Sacris operante, nuptiæ inter Margaretam Flandrenſem, Philippi Principis noſtri viduam, & Philippum Audacem Burgundiæ Ducem regio apparatu celebrantur.

Nuptiæ Margaretæ Flãdrenſis cum Philippo Audace, Burgundiæ Duce.

Galterus DE BOVCHAIN, XIX. Henniacenſis Abbas, morte diſſoluitur. Eius corpus ad radicem graduum ſummi altaris ſepultum eſt ſub marmoreo cenotaphio, cui tale inciſum epitaphium.

Henniacum plora, nec non & iugiter ora,
Nam tibi Prælatus natus iacet hîc tumulatus,
Galterus dictus DE BOVCHAIN, *vir benedictus.*
Sobrius & castus vixit, sine crimine fastus.
Electus verè, tanto benè dignus honore:
Qui pro Pastore Christi fuit aptus amore.
Sic Abbas factus, dignos exercuit actus,
Pauperibus largus, factus oculatus vt Argus.
M. C. ter, L. deno nono mens libera cœno,
Martius est Mensis, cùm mortis eum ferit ensis.
Huic sit in immensis data sedes cœlica mensis.

Petrus de Marka successor illi est datus.

Carolus Galliæ Rex, Ludouico Maleano Flandriæ Comiti, cuius ære grauiter premebatur, Insulas, Duacum & Orchiacum cum omnibus suis agris restituit. *Vide Meyerum.*

Christi An. 1370. Insula Duacum, Orchiacū Flandro restituta. — *Vrban. 5. Papa An. 8.*

ANNO 1370. Gerardo ad Morinorum Episcopatum migranti, Petrus Masoërius Aruernensis, legum Doctor, atque Cameraci Archidiaconus Antuerpiensis, paulò ante Gregorij XI. Pontificis Maximi. (creatus est anno 1372.) institutor directorque, sedis Atrebatensis Episcopus renuntiatur.

Ioannes Faber, vir disertus & eruditus, Vedastini cœnobij Antistes efficitur. Quâ in sede quùm decem annos, magnâ gloriâ consummasset, Carnotensis Ecclesiæ Episcopus à summo Pontifice est dictus. *Chronicon Vedastinum.*

Ingressus Philippi Audacis in opidū Atrebatense. Eius clementia.

Angli, Duce Roberto Canello, postquàm in sancti Eligij Monasterio, & circumstātibus locis substitissent, sancti Saluatoris iuxta Atrebatum suburbium, vnà cum cœnobijs Dominicanorum, Thieuloyensium, alijsque, ignibus depascuntur. *Bresinius, Balduinus, &c.*

Philippus Audax, Burgundiæ Dux, Atrebatum ingressus, fors fuit vt cuipiam monetæ adulteratori in Crucem iam iam tollendo, occurreret. Fœlix ô iniquitas! Abijt enim, rogante Duce, furcifer iste liber, sibi suoque iuri relictus.

Christi An. 1371. Prælium Iuliacense. — *Vrban. 5 Papa An. 9.*

ANNO 1371. Guido Lutcemburgius, Ligniacensis Comes, Macthildis sancti Pauli Comitissæ maritus, in Gugernensi, siue Iuliacensi prælio contra Menapios,

per Gallorum Regem, cuius partibus adhærebat, accenso, cæsus extinguitur, eiusque filius atque successor VValerãdus ab hoste capitur, sed postmodùm Carolus 4. Imperator gratis eum liberauit. Fuit porrò VValerandus, vix adhuc puber, primus ex Lutcemburgicâ familiâ, fani S. Pauli Comes, idemque beati Petri (de quo ad annum 1387. dicemus) Frater. *Bresinius.*

Guidonis Lutcemburgij casus. VValerandus Lutcemburgius eius filius & hæres, Captiuus. Liberatur.

Gisbertus, Vianæ Dominus, turrim Paulinam exstruit, pecuniâ, quam VValerando S.Pauli Comiti, ab Menapijs captiuo, dolosè extorserat. Opinor eam turrim esse, quæ in recentiore Opidi B.Pauli castro visa olim fuit, cuius aliqua supersunt hodieque vestigia. Fuit porrò Gisbertus Henrici Vianæ Toparchæ & N. Culemburgicæ filius: Coniugem habuit Beatricem Ioannis XIIX. Egmundæ Reguli filiam. Obijt autem anno 1391. *Ponthus Heuterus in Genealogijs.*

Quinto Calendas Iunias, Natalis Ioannis Burgundi, Principis nostri anno 1405. futuri. Item Martij 23. Natalis Ludouici Aurelianensis. Fuerunt hi, duæ faces, quibus tota penè Gallia exarsit.

CHRISTI AN. 1372.

GREG. II PAPÆ AN. 1.

ANNO 1372. 12. Calendas Aprileis, fulmen immenso fragore cælitùs lapsum icit Vedastinæ Ecclesiæ turrim, quæ tota simul cum sacræ ædis tecto conflagrauit. *Chronicon Vedastinum.*

Turris Vedastina fulmine icta.

Margareta Princeps ad veteres Bethuniensium (circa ferias D. Bar-Ptolomæi) nundinas, alteras adijcit, festo Purificationis B. Virginis annuatim recursuras: Forum etiam diebus Lunæ & Sabbathi hebdomadatim, probauit, & Emporium frumenti stabile promouit: cui non modicè inseruit Lauietta fl. opido adiacens ex multis riuulis, & subindè torrentibus conflatus, tertioque hinc milliari in Lizam fl. sese exonerans.

CHRISTI AN. 1373.

GREG. II. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1373. (Meyero 1372.) Decimo Calendas Augusti, sancta Brigitta Vidua, ex regno Suediæ oriunda, Romæ feliciter in Domino obdormit. Eius corpus in VVastinensi Flandriæ cœnobio iacet (Martyrologium tamen Romanum 23. Iulij in patriam relatum asserit) illuc ab Catharinâ filiâ translatum, vbi instituto nouo Ordine & Regulâ, ex dictantis Christi ore exceptâ, eandem eiusdem loci Monialibus præscripserat. Cuius

S.Brigittæ Mors. Regula Ordinis ab ea instituti.

Brigitta eius instituendi Atrebati praemonita. Eiusdem maritus Atrebati Miraculosè sanitati redditur.

quidem instituti præsaga Atrebati fuit, eius marito grauiter illic ægrotante, posteaquàm Beatus Dionysius ei apparuisset,& de nouo Ordine erigendo commonuisset, velle nempe Christum Dominum, eius operâ nouo quodam exemplo inclarescere: in cuius signum, maritus eius conualesceret. Factum hoc & illud. Ordinem confirmauit Vrbanus quintus Pontifex Maximus. *Vide Haræum in vitis Sanctorum, 23. Iulij.*

Eius ordinis cœnobium nuper in vetere Atrebatium ciuitate exædificatum tandem est; quod vel exindè, maturius planè oportebat.

CHRISTI AN. 1374. — GREG. XI. PAPÆ AN. 5.

ANNO 1374. Quùm controuersia inter Pastores Ecclesiæ parœcialis, & Canonicos Ecclesiæ Collegialis opidi S. Pauli esset exorta, de ferendo DOMINICO CORPORE in supplicatione, quæ quotannis in Venerabilis Sacramēti Altaris solennitate, admodùm est solennis, his sui iuris esse clamantibus, reclamantibus istis; Aldemarus seu Ademarus, Morinensis Episcopus, sic eos composuit.

Episcopi Morinorum Diploma sedandæ cuidam cōtrouersiæ datū.

Ademarus, Dei permissione Morinensis Episcopus, vniuersis præsentes litteras inspecturis, salutem. Cùm esset discordia inter Canonicos S. Saluatoris, in Sancto Paulo nostræ Diœcesis, & Curatos prædicti S. Pauli, de & super eo, quòd dicti Canonici asserebant se portare debere CORPVS DOMINI *processionaliter in die Sancti Sacramenti; Curatis S. Pauli contrarium asserentibus & dicentibus quòd iure parochiali, ad eos tanquam Curatos, & non ad alios spectabat processio & delatio Corporis Christi dictâ die S. Sacramenti: nos pro bono concordiæ, qui pacem & tranquillitatem inter subditos nostros semper zelauimus enutrire, de consensu & voluntate dictarum partium ordinamus, quòd* CORPVS CHRISTI *illâ die, dictæ partes alternis annis portabunt; scilicet primo anno Curati, secundo anno Canonici, & sic alternis annis in futurum: sic tamen quod anno quolibet venient Canonici & Capellani collegialiter, in honorem Iesu Christi, ad Ecclesiam Curatam S. Pauli, & de illo loco portabitur* CORPVS DOMINI *processionaliter, & per dictum Collegium associabitur eundo & redeundo, vsque ad dictam Curam: &c. Datum in S. Paulo, die 20. Mensis Maij, anno Domini 1374.* Sic ibi.

Habet porrò S. Pauli Ecclesia parœcialis duos Pastores, qui alternis hebdomadibus, pastoralibus muneribus funguntur.

Petrus

Petrus Masoërius Episcopus noster, Martij 22. Feriâ quintâ, comitantibus paucis, sine pompâ, Atrebatum primùm ingreditur.

VValerandus Lutcemburgius S. Pauli Comes, abs Anglis, iuxta Ardeam op. capitur, atque in Angliam ductus, in VVindesorensi turri recluditur. Verùm initis cum Macthilde Hollandicâ, Anglorum Regis sorore, nuptijs, à vinculo expeditur. Suscepit ex Macthilde Ioannam, quæ Patris obitum anteuertit. *Bresinius.* *VValerandus fani S. Pauli Comes abs Anglis captiuus. Eiusdem Nuptiæ & libertas.*

Ex litteris Caroli Gall. Regis, 15. Nouembris an. 1379. datis, patet Paulenses pro Comitis sui redemptione, haud exiguas, at ingentes pecunias collegisse. Asseruantur litteræ in Archiuis dicti opidi.

CHRISTI AN. 1375. ANNO 1375 vitâ defungitur Ioannes DE LENS, Recurij Dynasta, atque in medio Chocquensis Ecclesiæ choro, cui varia dona attribuerat, tanquam in fundatoribus præcipuus, pulchro ornatur sepulcro. *Monn. eius loci.* GREG. XI. PAPÆ AN. 4.

Viluordiæ, secundo milliari à Bruxellâ, Venceslaus, Brabantiæ & Lutcemburgij Dux, Arcem struere occipit, quæ Nobilium apud Brabantos virorum, si quid commisissent, posteà carcer fuit, vt apud Flandros Arx Rupelmondana. *Arx Viluordiēsis Nobiliū Brabātiæ carcer: velut & Arx Rupelmōdana Flandriæ.*

Arx Louaniensis, Principum Brabantiæ domicilium, publico Senatus decreto & sumptu instauratur: atque illa ipsa est, quæ etiamnum cernitur. *Iustus Lipsius in suo Louanio l. 1. c. 5.* *Arx Louaniēsis.*

Eodem anno fundatio Carthusiæ Tornacensis per N. V. Ioannem DE VVERCHIN Hannoniæ Seneschallum. Gulielmus tum Carthusiensis Ordinis Generalis, primum huic domui Priorem dedit Franconem de Busco, ab ipsâ Carthusiâ ordinis parente euocatum: sub quo sedecim Religiosi Christo Domino militare insigniter cœperunt. Ioannis fundationem Iacobus DE VVERCHIN filius natu maior, pòst paulò ratam fixam habuit. Porrò eius loci Ecclesiam erexit Philippus de Arbosio, Ecclesiæ Tornacensis Episcopus, insumptis ad id septem millibus Francorum: Dedicauit Petrus de Auxero, eiusdem Ecclesiæ Antistes, V. Id. Aug. 1384. At Cimiterium seu maius Claustrum, Capitulum Vestiarium aliaque, ipsis Calendis Septembribus eiusdem anni. Fundationem auxit Ioannes de

Haricouriâ, primò Ambianensis, dein Tornacensis Episcopus, demum Archiepiscopus Narbonẽsis, territorijs DE GOVY, D'ACRENE, & VIANE, in beneficij memoriã collatis: auxerunt alij, quos lòngum sit recensere. Verùm enimuerò (malum!) anno 1566. hæreticorum diritate concidit, vt & alibi passim omnis antiquus sacræ domus decor, ædificijs in fauillas abeuntibus cadentibusque. Verumtamen (quæ multorum fuit pietas) resurrexit eadẽ, sedatâ postmodum furentium nequitiâ: adeóque instauratum simul cum monasterio templũ, Martij 13. an. 1591. Gulielmus Façon Tornacensis Ecclesiæ Canonicus & Decanus, iussu R.D. Ioãnis DE VENDEVILLE Episcopi, Domino Deo reconciliauit. *Ex monn. eius loci.* Consule de his Chronicon Petri Dorlandi Carthusiani Diestensis, l. 6. c. 27. & in eundem Notas Theodori Petræi Carthusiani Coloniensis, &c.

CHRISTI AN. 1376. *Maria à S. Pauli Comitibus originem ducens. Musæũ in Angliâ excitat.* — GREG. II. PAPA. AN. 5.

ANNO 1376. Ioannes Penbruchensis Comes, nauali prælio ab Hispanis captus, & postmodùm solutus, dum in Angliam traijcit, in itinere moritur. Huius vxor Maria, è sancto Paulo, Belgicæ opido, illustris fœmina, ad excitãda litterarum studia, Cantabrigiæ, musæum nobile excitauit, quod nunc Penbruchensis Aula vocatur. *Georgius Lilius Britannus, in Chronico de Regibus Anglicanis, eodem penè stylo.*

CHRISTI AN. 1377. *Sedes Romana Auenione Romã refertur. Biblia sacra in Gallicũ sermonẽ trãslata.* — GREG. II. PAPA AN. 6.

ANNO 1377. Georgius XI. Pont. Max. Sedem Pontificiam post annos 70. Auenione Romam refert, suasione & litteris potissimum S. Catharinæ Senensis. *Genebrardus.*

VValerandus Lutcẽburgius Fani S. Pauli Comitatu, abs Rege Gallo priuatus, fidẽter adhæret Anglicano. *Meyerus.*

Per hæc tempora, Carolus Galliæ Rex, iussit Biblia sacra fideliter in Gallicum sermonem transferri; quùm VValdenses & alij pro suâ libidine, ea conuertebant. *Idem.*

Idem sanxit, vt Regum Gall. Insignia quæ incerto Liliorum numero anteà coruscabant, 3. modò Lilijs adornentur, voluitq; Regũ filios, anno ætatis 14. vngi & coronari.

CHRISTI AN. 1379. — GREG. II. PAPA AN. 8.

ANNO 1379. Villâ Gosnayensi, ad beatæ Virginis montem, iuxta Bethuniam, Carthusianarum Virginum cœnobium, non procul altero eiusdem Ordinis Monachorum (de quo ad ann. 1320. 1327. & 1365. diximus) exædificatur, & reditibus instruitur, eximiâ Margaretæ Artesiæ Comitis liberalitate, quę Feodum Ioannis BALLIN, in villâ D'AMBIN situm, fisco adiudicatum, aliaque cæteris possessionibus

sionibus aliundè cõparatis, coniunxit. *Ex Arch. opidi Atreb.*

Petrus de Marka, XX. Henniacensis Monasterij Antistes, moritur: in partes eius eunte Ingerranno DE MASTAING: qui vt confirmationem beneficij reciperet ab Vrbano 6. penè pars tertia redituum cœnobij expensa est.

CHRISTI AN. 1380. ANNO 1380. Parisijs Collegium Dainuillense, duodecim studiosis (quorum sex Atrebato, totidem Nouiomo assumerentur) litterarum scientiâ imbuendis apparatur. Id operis Michaël Dainuillius, Gerardi Atrebatium Episcopi, & Ioannis Equitis, Ioannis & Caroli Regum Palatini Germanus, eorum obsecutus voluntati, adorsus est & perfecit. Vndè in Sacello eiusdem collegij talis inscriptio: VRBA. 6. PAPÆ AN. 1. *Collegiũ Dainuillense Parisijs à nostris constructum.*

MICHAEL DE DAINVILLE, ARCHIDIACONVS AVSTREVANENSIS IN ECCLESIA ATREBATENSI, CONSILIARIVS REGIS, COLLEGIVM HOC, QVOD DOMINVS GERARDVS DE DAINVILLE EPISCOPVS ATREBATENSIS, DEINDE MORINENSIS, POSTREMO CAMERACENSIS, QVI IN LATERE DEXTERO DICTÆ ECCLESIÆ CAMERECENSIS SEPVLTVS EST: ET IOANNES DE DAINVILLE, EQVES, HOSPITIORVM IOANNIS ET CAROLI QVINTI, FRANCORVM REGVM QVONDAM PRÆFECTVS, EIVS FRATRES, DVM VIVERENT IN VOTIS HABEBANT, EX PROPRIIS ÆDIBVS INSTITVIT ET DOTAVIT, ANNO 1380.

Idem Ioannes Dainuillius, geminas in Dainuillano pago vno milliari Atrebato abiunсto, Sacellanias, coëmptis ædibus, & luculento censu adiuncto fundauit.

Agnes DE GVEVLEZIN, dicti Ioannis mariti sui pietatem æmulata, Beatæ Agnetis Sacellum, in Gueulesinâ villâ suâ, non procul Duaco, etiam composuit.

Angli per Caletum erumpentes, Artesiensem ditionẽ, plurimaque alia loca prædationibus & ignibus deuastant. *Artesia ab Anglis vastatur.*

Ludouicus, 63. Vedastini cœnobij Antistes, funestissimo bellorum tempore consecratur, præestque quinquennio.

Ægidia DE LALAIN, Flinensis Antistita, moritur.

His temporibus Tormentum æneum quod à Bombo, siue sonitu, & Ardeo BOMBARDAM vocant, à Bertholdo Nigro, homine Germano, medicæ & chymicæ artis studioso inuentum tradunt: *Polydorus Vergilius lib. 2. de Inuent.* *Tormẽti ænei & puluerei, quod Bõbardam vocant, inuẽtio.*

Inuent.c.7.Genebrardus ad hunc annum; Herburtus l.11.Polon.c.6. Iacobus VVimpfelingius, in Epitome rerũ Germanicarũ c.64.Thomas Bozius l.9.c.5.Sig.Ec.& alij. Hieronymus Zieglerus in Illustriũ Germaniæ virorũ historiâ, scribit Bertholdũ istum fuisse monachum, professione Franciscanum, machinæque istius fabricam circa annum 1354. excogitasse. At si vera sunt, quæ Polydorus commemorat, iudicet lector quâ fide hæc à Zieglero asserantur. Ait namque Polydorus Germanum, hominem admodùm ignobilem eius inuentorem haberi, cui casu in mentem venerit tale quid efficere, quùm medicinæ faciendæ caussâ, aliquando puluerem sulphuerũ in mortario seruasset, eiusque vsum Venetis in illo bello primùm ostendisse, quod ad Fossam Clodiã cum Genuensibus anno 1380. gesserunt. Atque vt de annorum discrepantiâ nihil dicam: quis Germanum monachũ, Venetorum se bello immiscuisse crediderit? Aut si ita quis esse contendat, quæ est illa, quæso, Venetorum historicorum, scriptorumue ignauia, vt tam prodigiosam tamque pestilentem machinam à monacho inuentam, suisque traditam non commemorent? *Hæc ferè Miræus in suo Chronico ad Sigebertum.*

Quædam difficultas expeditur.

Annorũ supputus apud Lusitanos innouatur.

Ioannes Portugalliæ Rex, Scribarum consuetudinem, quâ numerabant ab Augusti Imperio, hâc ferè tempestate sustulit, iussitque vt à Domini nostri Iesu Christi natiuitate numeros suos deducerent. *Genebrardus.*


CHRISTI AN. 1382. *Margaretæ Principis nostræ obitus.*

ANNO 1382. Aprilis 13. Margareta Artesiæ Comes præstantissima, & Ludouici Niuernensis Flandriæ Comitis vidua, vitam cum morte commutat. Sepulta iacet in Gallijs ad S. Dionysij percelebre Monasterium, in sacello, quod viuens ad id destinarat. Eius manes lubet chronographo prosequi. VRBA. 6. PAPÆ AN. 5.

Sat LVC*t*V*s h*IC *f*V*d*I*t*I, C*a*S*t*I*s*IM*a t*V*rt*V*r:*
*A*S*tr*I*s beere perenn*I*ter.*



FLAN-




FLANDRIAE ET ARTESIAE SVB EVNDEM PRINCIPEM,

DISCRETIS TAMEN TITVLIS, legibus & iuribus, Reductio.

LVDOVICVS MALEANVS VIII ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1382. VRBA. 6. PAPÆ AN. 3.



ANNO 1382. LVDOVICVS MALEANVS, sic, à loco natali iuxta Brugas, nominatus, Margaretæ, ex Ludouico Niuernensi FLANDRIÆ Comite filius, iamdudum successione, Flandriæ Comes, ab obitu matris, ARTESIÆ Comitatum & Burgundiæ obtinet. In isto, Flandriæ Artesia coniungitur, pristinæque suæ redditur naturæ, quùm anteà, ducentis circiter annis auulsa, linguâque & moribus ferè discreta regeretur. Permansit verò Prouinciarum & Iurisdictionis distinctio, cum Insignibus proprijs; vt in his nihil commune nunc retineant. Et quamuis Gallica Insignia ad ternum Liliorum numerum reducta sint sub Carolo sexto Rege (vti ad annum 1378. notauimus) nihil tamen in ijs, quæ Artesiæ sunt, adimitur. *Bersacius.* *Artesiæ Insignia.*

Is Ludouicus Princeps hoc eodem anno pridie Idus Octobris, Atrebatum glorioso sub triumpho ingressus est. *Ponthus Henterus.*

Idem apud Flandros primus monetã (quùm anteà æreæ & argenteæ solùm, ius esset) auream cudi ordinauit. *Idem. Vide suprà ad annum 1274.*

CHRISTI AN. 1383. VRBA. 6. PAPÆ AN. 4.

ANNO 1383. Quarto Nonas Ianuarias, Audomaropoli moritur Ioannes Iperius, sexagesimus Bertinici cœnobij Antistes, atque eiusdem Chronographus. Hic enim

Ioannis Iperij, Abbatis & Chronographi Bertinici Obitus.

Monasterij sui historiam, & Abbatum seriem ab anno 590. repetitam, ad sua vsque tempora, egregiè contexuit & diduxit; quæ quidem Iacobo Meyero, in suis Annalibus cõcinnandis, non modico fuit adiumento, &, vt fatear ingenuè, mihi cum Iacobo. Hunc tàm crassum fuisse scribit Diaconus, vt vix incedere posset, nec dormire, nisi sedendo. Illum Ipra produxit, vndè retulit cognomen. Errant porrò qui illum anno 1303. obijsse scribunt; etenim Henricus Gondescarius, eius in Præfecturâ Bertinicâ antecessor florebat, ipso Iperio teste, anno 1330. quem nec immediatè sequutus est Iperius. G. Gazeus in Bibliothecâ sacrâ scriptorum Artesiæ, eum anno 1470. floruisse scribit. Bertinenses sanè iudicabunt.

Induciæ inter Galliæ & Angliæ Reges.

Ludouici Maleani Principis nostri obitus.

Eiusdem sepulchrũ

Quinto Idus eiusdem mensis, (Franciscus Balduinus scribit 13. Calendas Februarias) LVDOVICVS MALEANVS Princeps noster in agris Bononiensibus & Castetanis inducias inter Gallos atque Anglos sub signis militantes vbi composuisset, Audomaropoli, Iperium Abbatem præproperâ morte est subsecutus. Insulis, seu Lilæ sepultus est, in Æde Diui Petri, sacello Diuæ Virginis cancellato, sub amplo & sumptuoso Mausolæo, cui armati Principis, Vxoris Margaretæ, & Filiæ matri cognominis, Ludouici in solidum hæredis, effigies ex ære coronario conflatæ incumbunt. Vsus est Ludouicus eiusmodi inscriptione:

LVDOVICVS COMES FLANDRIÆ, DVX BRABANTIÆ, COMES NIVERNENSIS, REGISTELENSIS, ET DOMINVS MECHLINIÆ:

In vitæ extremis addidit:

ARTESIÆ ET BVRGVNDIÆ.

Liberos illegitimos habuit non paucos. Consule Marchantium & alios.

Distichon.

Artesij & Flandri dum sceptra priora reduxant,
Mortis ad imperium, proh! Lodoice cadis.

Epitaphium Chronographicum.

*Lodo*VICV*s* M*a*L*ean*V*s* F*L*andr*I*a & Artes*I*a
*Pr*I*n*C*eps, ab*II*t e* VIVI*s*.

MAR-

MARGARETA MALEANA
IX. ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1383. NNO 1383. MARGARETA MALEANA, Ludouici Principis, & Margaretæ Brabanticæ filia, dudum Philippo, sexto Artesiæ Comiti & Burgundiæ Duci desponsa fuerat; sed illo vix pubere extincto, Philippi Audacis, Burgundiæ Ducis vxor facta, (eas nuptias conciliante Margaretâ eius Auiâ, atque Artesiæ Comite) à morte Ludouici Patris, cum alijs ditionibus permultis, Artesiæ etiam Comitatum possedit. VRBAN 6. PAPÆ AN. 4.

Hâc ferè tempestate Artesiæ siue Artesij vox communior esse cœpit, misso Atrebatesij nomine; vt ex Inscriptione Ludouici Principis licet colligere. *Vox Artesiæ hoc tempore introducta.*

Simon DE LALAIN, nobilis Eques; fato tollitur, atque in Flinensi Gynæcæo sepulturæ traditur.

CHRISTI AN. 1384. ANNO 1384. Petrus d'ORGEMONT, 47 Morinorum Episcopus, ad Parisiensẽ Sedem euocatur. Quare Terüanensi sufficitur Ioannes TABARY, medicus Regis Gall. VRBA. 6. PAPÆ AN. 5.

Gerardus Magnus, Dauentriæ ad Isalam fl. in Germaniâ Inferiore natus, Fratrum seu Clericorum vitæ communis auctor atque institutor, in Domino obdormit. De Clericorum sodalitio vide Auberti Miræi Chronicon hoc anno, & Ioannem Molanum tractatu de Canonicis.

CHRISTI AN. 1385. ANNO 1385. Philippus & Margareta Artesiæ Comites, Ioanni Filio, operâ Ioannæ, optimæ Brabantinorum Ducissimæ, Margaretam Filiam Alberti Bauariæ Ducis, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæque Comitis, vxorem impetrant; & vicissim horum Filia Margareta, Gulielmo Alberti Filio collocatur. Nuptiæ Cameraci Regali magnificentiâ celebratæ sunt; vbi Carolus sextus Rex, ingenti Procerum cateruâ stipatus, adfuit. Ex quibus nuptijs, post aliquot annos, Prouinciæ istæ in vnum cõiunctæ sunt. Ab his, permutatione factâ*, Bethunia Ioanni Gulielmi Fratri, Namurcẽsi Comiti cessit, Slusâ opido Flandriæ maritimo, in illius vicem receptâ. Cæterũ abs huius Ioannis obitu, Bethunia per Philippum Burgundum recuperata, Artesiæ vnita est, nec deinceps auulsa: & Comitatus Namurcensis abs eodem pecuniâ comparatus. *Vide infrà ad an. 1428. Meyerus, Bresinius, Bersacius, &c.* VRBA. 6 PAPÆ AN. 6. *Ioannis Burgũdi Nuptiæ, Item & Margareta Burgundæ eius sororis. Bethunia Ioanni Comiti Namurcensi traditur.*

*an. 1386. 1. Dec.

Robertus, sexagesimus quartus Vedastinæ familiæ Abbas creatur. Hic Ecclesiæ suæ campanas, ab illâ anni 1372. turris & templi conflagratione solutas ruptasque redintegrauit.

Vedastus Polonius, vicesimus quartus Russelli-villæ Antistes, è viuis tollitur. Is etiam veteres Ecclesiæ suæ campanas secundò reparauit.

Castellania opidi Audomarẽsis. Duodecimâ Decembris, Audomarensis opidi Castellania, quùm controuersa esset, Gulielmo CASSINET, ex Parlamenti Parisiensis sententiâ, adiudicatur. *Ex Archiuis opidi Atrebatensis.*

CHRISTI AN. 1386. *Philippi Principis nostri testamentũ.* ANNO 1386. Nouembris 14. Philippus Princeps noster testamentum condit, & liberis suis ditiones, aliàque ab eius & coniugis obitu accipienda partitur; cuius testamenti autographum, Atrebati, in Basilicæ Virgineæ adytis, arcâ, quam fabricari fecerat, geminâ claui obseratâ, iussit cum nonnullis alijs diplomatibus recondi & seruari. *Ex Bibliothecâ MS. N. D. Alexandri de Meurchin.* VRBA. 6. PAPÆ AN. 7.

CHRISTI AN. 1387. *B. Petrus Lutcemburgẽsis.* ANNO 1387. Beatus Petrus de Lutcemburgo, Guidonis, Fani S. Pauli Comitis, filius, titulo Sancti Georgij ad Velum Aureum Diaconus Cardinalis, vitam hanc temporariam cum æternâ commutat. Interest audire Molanum, latè in Natalibus Sanctorum Belgij ad VI. Non Iulias, de rebus eius gestis disserentem. VRBA. 6. PAPÆ AN. 8.

Eius genus, studia. Fit Canonicus Parisiensis, Archidiaconus Carnotẽsis; Episcopus Metẽsis, ætatis 15. Diaconus Cardinalis tit. S. Georgij ad velũ aureum. *Auenione* (scribit Molanus) *obitus beati Petri de Lucelburgo, tituli ad Sanctum Georgium, ad Velum Aureum Diaconi Cardinalis. Qui parentes habuit ex Imperiali & Regali stirpe prodeuntes, Guidonem de Lucelburgo, Comitem Sancti Pauli, & Dominam Mathildam de Castilione. Hi autem puerum bonam animam sortitum liberalibus artibus & decretis imbuendum Parisijs tradiderũt. Vbi à Clemente septimo, ætatem moribus transiens, Parisiensis Canonicus est institutus, & post biennium, Archidiaconus Carnotensis, & decimo quinto ætatis anno, licet plurimùm renitens, Episcopus Ecclesiæ Metensis. In quibus sanguinis & honorum dignitatibus sese non extulit, sed omnia, tanquàm aranearum fila, nihil pendens, soli Deo placere studuit. Vndè etiã Clemens, voluntati Dei se conformans, qui supra cardines terræ posuit orbem; eum, Fratrum consilio, Cardinalium collegio aggregauit. Cumque omni sanctitate polleret, crucem suam baiulando, adeò Christi vestigia est insecutus, vt in Ecstasi positus, ipsum Iesum in Cruce pendentem, corporeis oculis in*

aere

aëre meruerit intueri. Migrauit autem per mortem ad vitæ auctorem circa annum decimum octauum ætatis, anno Domini millesimo, trecentesimo, octuagesimo septimo, die secundâ Iulij, abstinentijs & disciplinis attritus. Quintâ autem die sepultus est Auenione, in cæmiterio, vt ipse voluit, sancti Michaëlis, vbi nunc est Monasterium Fratrum Cælestinorum de Lucelburgo; in quo loco Sancti Petri meritis, intra duos sui obitus annos, nongenta & sexaginta quatuor leguntur miracula contigisse. Exstat porrò de eo præclarum testimonium inter acta Concilij Basileensis. Scribit enim Philippus Burgundiæ & Brabantiæ Dux, aliarumque ditionum Belgicarum Dominus; litteras ad Basileenses Patres, ex villâ suâ Bruxellensi*, quibus rogat Patres, vt canonizent & eleuent digna per sæcula memoriæ Dominum Petrum de Lucelburgo, Cardinalem, suum consanguineum, quem ex meritis gloriosis & tot miraculis velut inauditis, quibus cottidiè coruscat, aliorum Christi Confessorum collegio constat aggregari. Hoc etenim varijs in Concilijs, retroactis temporibus fuisse incœptum, sed quibus medijs vel modis fuerit interruptum, vel imperfectum remanserit, ignorare se asserit. Fortassis autem præcipua caussa fuit, quia Cardinalatum à Clemente VII acceptauit. Is enim quum Cameracensis esset Episcopus, & Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, illegitimè in Pontificem electus, sedecim annis Auenione resedit, contra Vrbanum sextum & Bonifacium nonum; & à Gallis potissimùm, Hispanis & Scotis Pontifex cognoscebatur. Porrò hic noster Cardinalis Louanij in primariâ Ecclesiâ, in fenestrâ ad altare Venerabilis sacramẽti depingitur, procumbens ante Crucifixi visionẽ. Quæ pictura ex superioribus à me est intellecta, & ex eo quòd ad latus habeat arma Comitatus S. Pauli, sub Cardinalitio galero.* Hactenùs Molanus ex Historiâ Lutcemburgensi MS.

* al. annũ vicesimũ secundũ

* Pridie Kalend. Febr. an 1436. *Vide ibi.*

Iesum Crucifixum oculis videre promeruit. Eius obitus, sepulcrũ & Miracula.

Dilatæ Canonizationis eius caussa.

Eiusdem pictura Louanij cum insignibus Comitatus S. Pauli.

ANNO 1388. Quidam magni nominis Anachoreta, à Deo (vt creditur) ad Carolum Galliæ Regem missus, seriò monet, vt miserijs populi sui compatiens, vectigalia mitiget, alioquin vindicem Deum experturus. Verùm Rex risu & scommate exceptum hominem reiecit. Non tamen abfuit Numinis diuini animaduersio, vt quæ intra quadriennium, Regẽ Phrænesi alijsque posteà multauit, in quibus primatum obtinuit Azincuriana clades. *Vide Meyerum, & infrà ad an. 1415.*

CHRISTI AN. 1388

VRBA. 6. PAPÆ AN. 9.

Carolus Rex ob vectigalia Regno durè imposita punitus.

Nicolaus 22. Eligianorum Abbas vitæ facit iacturam. Eius Epitaphium est istud:

Moribus ornatus Nicolaus prætitulatus,
Virgâ Pastoris & magni dignus honoris,
Doctrinæ radijs fulgens: qui largus egenis,
Verus quinquennis hic Abbas præfuit annis,
Sed trino mense demto tamen. Ast obijsse
Lapsis millenis quadringentis, duodenis
Demtis, Octauis Martini, Mense Decembri,
Hunc fertur; vestris precibus quem, quæso, iuuetis.

In eius locum surrogatus est Michaël D'ALLENNE, seditque annos sex & triginta.

CHRISTI AN. 1389. ANNO 1389. Ingerrannus DE MASTAING, vicesimus primus Henniacensis cœnobij Præsul fato cōcedit; successore Ioanne POVLAIN; qui licet in Natali solo Abbas esset, aliquot post annos dignitatem abdicauit, obijtque anno 1397. VRBAN. 6. PAPÆ AN. 10.

Per totum Galliarum Regnum, ingens beneficiorum Ecclesiasticorum abusus, per Clementem Antipapam.

CHRISTI AN. 1390. *Philippus Atrebas ad sacrū Bellum proficiscitur.* ANNO 1390. Philippus Atrebas, Vgelli Comes, cū multâ nobilitate, magnoq; exercitu ad bellum sacrū contra Africanos, Ludouico Borbonio & Engerrāno DE COVCY ducibus proficiscitur. Eâ in expeditione nihil feliciter actum. VRBA. 6. PAPÆ AN. 11.

In Flandris Furnense opidum, fossis dilatatis, muro lapideo cingitur.

CHRISTI AN. 1391. ANNO 1391. VValerandus S. Pauli Comes, agrum Cameracensem equestribus decursionibus euastat. BONIF. 9. PAPÆ AN. 1.

Rex Gallus Phrænesi corripitur.

Turris speculatoria Tornacensis opidi fortuito igni conflagrat.

Petrus Masoërius Atrebatensis Episcopus è vitâ decedit, inque tēpli sui Odeo telluri mandatur. Successit Ioannes Canardi, Philippi Burgūdiæ Ducis, atque Flādriæ & Artesiæ Comitis Cancellarius. Is Ecclesiæ suæ varia eaq; ditissima donaria contulit; in quibus, B. Virginis Imaginem argenteam inauratā, Infulam, Pedum & id genus alia. Episcopion ædificijs auxit; Canonicorū subsella posuit; Xenodochium iuxta Duacum ad Morelli portam exstrui curauit.

Bonifacius nonus, hoc anno summus Pōtifex ordinatus, augendæ Ecclesiasticæ dignitatis ergò, primus beneficijs Ecclesiasticis Anatharum vsum imposuit; hac tamen lege vt qui beneficium consequerentur, dimidij anni prouentum Apostolicæ Cameræ persoluerent. *Bergomas l. 14. suppl.* *Anathæ Pōtificiæ.*

ANNO

CHRISTI AN. 1392 | BONIF. 9 PAPÆ AN. 2.

ANNO 1392. Mense Martio, Philippus Princeps, Atrebati Panni mercatũ instituit; vt ex eius litteris constat, datis in MESCASTEL, tractus Bononiẽsis pago. Hinc eo in opido Hallæ seu Sallæ inter vtrumque forum huic vsui adparatæ, quas hodieque Panni Mercatores frequentant.

Aquarũ inũdatio. Eisdem anno & mense, in Artesiâ ingens aquarum inundatio, Atrebati imprimis; effractis cataractis, euersisque aggeribus & munitionibus cæteris, quæ inter vtrumque opidum arcendis ijs composita fuerant.

Caroli Reg. statua cerea in Præpositurâ Hasprẽsi. Caroli Regis Statua cerea, Haspram, nobilem Monasterij Vedastini Præposituram, ad memoriam Diui Aychardi, cuius ibi Corpus quiescit, Phrænesis, quâ laborabat Rex, curãdæ ergò, mittitur, & felici, Diui meritis, successu. *Consule Meyeri Annales hoc anno: item Natales Molani 15. Septembris. Vide etiam hîc suprà ad annos 1018. 1024. & 1339.*

VValerandus S. Pauli comes. Ager Lutcemburgẽsis, ab sancti Pauli Comite euastatur. VValerandus Lutcemburgius, S. Pauli Comes, iratus ob pecuniam quam eius pater Guido Regi Bohemiæ mutuam dederat, quòd recipere eam facile non posset, Comitatum Lutcemburgensem, incendijs & rapinis, cognominis & sanguinis immemor, fœdè dehonestat, viginti supra centum pagis flammâ deletis, & castris nonnullis interceptis, quibus præfecit Ludouicum Quercetanum & Theodoricum Dixmudanum. *Meyerus.*

CHRISTI AN. 1394. | BONIF. 9. PAPÆ AN. 4.

ANNO 1394. Ioannes DE MOY, claris & nobilibus ortus parentibus, sedem Vedastinam sexagesimus quintus Antistes ingreditur. *Hic virtute* (habet cœnobij Chronicon) *& moribus incorruptus splendorem natalium auxit. Ornatus primâ domus dignitate, obiuit non segniter totis viginti annis; prioribus benè quietis, & ad rem faciendam non incommodis. Quibus ex occasione vsus, exædificauit harum sacrarum ædium Turrim, primum vrbis huius miraculum; in quâ nescias an artificium maximè internum, an altitudinem, an sinuosæ pyramidis gratiam prius admireris. Posterioribus verò nonnihil turbulentioribus vsus est, tolerabilibus tamen: nisi fortè postremus eam ipsis eripiat gratiã, quo Rex Gallus infensus Ioanni Burgundioni, Flandriæ & Artesiæ Comiti, circumsedit hanc vrbem: quod, vt fit, plurimum inuexit nostris malorum, & toti patriæ, quæ populata est longè latéque, licet vrbs sit minimè expugnata, &c.* Sic ibi.

Eodem anno, Auenione moritur Clemens Antipapa, quondam sedis Morinensis & Cameracensis Episcopus.

CHRISTI AN. 1395. — BONIF. 9. PAPA AN. 5.

ANNO 1395. Ioannes Canardi Episcopus Atrebatensis, omnigenûm ferarum quibus Episcopij sui Viuarium* abundabat, tædio adfectus, quòd petulcâ lasciuiâ, arbores frequens insitas passim corticibus nudarent, & ab excrementis olidior Iupiter ædes incesseret, omne id genus exegit, atque ad Philippum Principem, in Hesdinensi Roborario (Parcum vulgò vocant) continendum, dono transmisit. *Vide suprà ad annum 1355.*

Parcum Hesdinense.

* Vulgò *Brulle.*

Hoc ipso tempore, dictus Princeps Philippus Arcem Hesdinensem eleganti opere construxit, ad voluptarios inter venandum secessus; sicut & olim alter Philippus, cognomento Elsatius, etiam noster Princeps, illam Alciacensem, ad Altiam fl. eodem fine exædificarat; de quâ ad annum 1178. iam antè diximus.

Arx Hesdinensis construitur.

CHRISTI AN. 1396. — BONIF. 9. PAPA AN. 6.

ANNO 1396. Cathedralis Ecclesiæ Atrebatensis integra nauis, abs Choro, ad vsque valuas maiores protensa, simul cum geminis hinc indè coëuntibus alis, & pari ingentium turrium, quarum eminentior prægrãdium campanarum fragoribus inhorrescit, mirificis operibus instauratur. Cui adoriundo ædificio Gregorius XI. Pont. Max. iam antè iter aperuerat (sedere enim cœpit anno 1372.) singulorum Atrebatiæ Diœceseos beneficiorum vacantium anni primi prouentus, in hunc vsum destinans. Indè Carolus sextus Galliarum Rex, anno 1395. Decembris 8. summum Põtificem æmulatus, quinquaginta annui census aureos, ex vetere Atrebatium Ciuitate, certâ annorum serie colligendos, impertiuit. Postmodùm, anno scilicet 1398. circumductâ per totam Diœcesim Arcâ, quæ adinstar Mosaicæ fabricata, cãtatissimi illius Mãnæ (de quo ad annum 371. diximus) partem, aliaque beatæ Virginis pignora & sanctorum continet, (sic Laudunenses, innouando templo suo, anno 1115. rem egerunt*) pecuniam non exiguam reportauerunt.

Ecclesia Atrebatensis instauratur.

* Vide mariale nostrũ li 4. c. 70

Porrò operi lapidem præbuit Iacefortiæ* siluulæ latomia, mille passibus abs vrbe abiuncta, quam signatis 21. Aprilis, anno 1396. tabellis, Atrebatenses Canonici ad nouennium conduxerant. *Ex Monn. MSS. D. Roberti Caulerij, eius templi Præpositi & Canonici.*

* Gal. *le Ac-fort.*

Est autem dicta siluula hodiè radicitùs auulsa. Locus vbi stetit, visitur, viâ, quâ Atrebato Tornacum iter est, in

B. Lau-

B. Laurentij colle ad dexteram, dumis & carduis opertus; atque itidem latomiæ vestigia.

Ioannes Ludouici Maleani & Margaretæ Comitum Artesiæ Filius natu maximus, Niuernensis Comes, annos circiter 25. natus, post multam Francorum stragem, apud Nicopolim Bulgariæ opidum, mense Septembri cum alijs Principibus viris capitur, ac summo versatur in periculo. Parentum operâ, magno auri pondere cum aliquot Proceribus redemptus est. Aulæa quædam summâ industriâ Atrebati contexta, in quibus Alexandri Magni res gestæ conspiciebantur, Baiazeti, Turcarum Principi oblata fuere, quò Christianis captiuis æquior fieret; nec Barbaro displicuit donum. Cladem per Prosopopœiam scito Elogio Philippus Meyerus Atrebas celebrauit, ipso Ioanne sic in cæteris, loquente:

Ioannes Maleanus à Turcis capitur. Redimitur. Aulæa Atrebatia.

Dux ego iampridem fueram bellare peritus,
Edoctus damno sæpius antè meo.
Ne maturarem præceps decernere ferro,
Terruerant animum Turcica vincla meum.
Quippe per Hungaricos * *Galla cum milite tractus,*
In Turcas temerè cùm pia bella gero;
Captus ab his, multâ cum Nobilitate, catenis
Induor, ut ferro cætera turba cadit.
Quin iussu sæui, me prospectante, tyranni,
Maxima pars Procerum postmodò cæsa fuit.
Vix potui paucos mecum subducere morti,
Pollicitus diris multa talenta Getis.
Trans mare quæ locuples confestim Flandria misit,
Non mea passa diu compede crura premi.
Me quoque seruarunt, Atrebatia dona, Tapetes,
Quæ Mahumetano grata fuere Duci, &c.

* Vide ad annum 1395.

Philippus Atrebas, Comes Vgellanus, animi mœstitudine, in captiuitate obiuit. *Vide I. Meyeri Annales.*

CHRISTI AN. 1397. ANNO 1397. Lite in Curiâ Parisiensi, ob Crespiacense vectigal motâ; Philippus Princeps Mercatoribus Flandris & Atrebatêsibus immunitatem impetrat, donec lis ea penderet. *Meyerus.* Id porrò vectigal, pro Atrebatium quotâ, mille aureorum nummûm fuisse, alibi lego.

BONIF. 9 PAPÆ AN. 7. *Vectigal Atrebatiû Mercatorum remittitur. Quale illud.*

Philippo Principe Gandaui tum hærente, Ioannes eius Filius, cum multis Galliæ Angliæque proceribus, ex Mysiâ

Ioannis Burgundi & sociorũ ex Turcicâ captiuitate reditus. Hungariáque postliminiò reuersis, idipsum opidum Patrem salutaturus subintrat.

Guido Blesij Comes, atque Bellomontij Toparcha, vitâ defunctus, Valēcenis apud Franciscanos in Atrebatensi sacello telluri mandatur.

CHRISTI AN. 1398. ANNO 1398. VValerandus S. Pauli Comes, ab Philippo Principe, Ioannæ Brabātinæ, contra Iuliacenses atque Gueldros, qui eius ditiones depopulabantur, auxilio, cum trecentis Equitibus mittitur. BONIF. 9. PAPA AN. 8.

Ioannis Guisij Hannoniũ Chronographi obitus. Iacobus Guisius, Doctor Theologus, Ordinis S. Frācisci Religiosus, moritur Valencenis, apud sui instituti sodales, atque ibidē ante Odeum sub marmore sepelitur. Scripsit latinè Annales Hānoniæ, tribus voluminibus cōprehensos, ex quibus Ioan. Lessabæus cōpendium hausit & euulgauit.

CHRISTI AN. 1399. *Turris Burgundica.* ANNO 1399. Philippus Princeps noster, Nanneti, ad munitionem opidi, Turrim ædificat, quæ longo tempore Turris Burgundica est appellata. BONIF. 9. PAPA AN. 9.

CHRISTI AN. 1400. ANNO 1400. Leopoldus Austriæ Dux, cognomine Superbus, Philippi Principis nostri Gener (etenim Catharinam eius Filiam, vxorem habuerat) recedit è viuis, nullâ relictâ prole. BONIF. 9. PAPA AN. 10.

CHRISTI AN. 1401. ANNO 1401. Ludouicus Aurelianensis, Philippum Patruum suum, Principem nostrum armis lacessit. BONIF. 9. PAPA AN. 11.

CHRISTI AN. 1402. ANNO 1402. Atrebati Antonius Philippi Audacis Filius coniugale vinculum init, cum Ioannâ VValerandi S. Pauli Comitis Filiâ. *Andreas Theuetus l. 4. Virorum Ill. Bresinius, &c.* BONIF. 9. PAPA AN. 12.

Ioannes de VVissocq, Hollandiæ Toparcha, Philippo Principi Architriclinus, Hierosolymâ reuersus, nono Calendas sextileis, diem suum obit. Is, Mariâ Gherbodâ coniuge in paria vota eunte, Audomaropoli B. Ioannis Xenodochiū construxit & reditibus ornauit. Fundationis litteræ Maij 28. an. 1408. exaratæ & signatæ, in Audomarensium Archiuis adseruantur. Iacet Ioannes Audomaropoli, in S. Aldegunde, sacello B. Ioanni sacro, sub magnifico Mausolæo: vbi inter cætera, septem Icones, totidem diæ Eleēmosynes opera proferentes, effigiatæ cælatæque parent: & in ambitu id Epitaphij, latino sic donandi:

Hìc iacet Nobilis vir Ioannes de VVissocq, quondam Equestris Ordinis, Dominus de le Hollande, Architriclinus Domini Ducis

cis Burgundiæ, Comitis Flandriæ, Artesiæ & Burgundiæ: Fundator huius sacelli, & Xenodochij S. Ioannis, siti in Pareciâ S. Sepulchri, huius opidi. Qui obijt anno gratiæ Domini nostri 1402. Iulij 23. Deum apprecare vt eius animæ & omnium fidelium defunctorum misereatur.

Cæterùm Gherboda coniunx anno demum 1424. Dec. 22. recessit è viuis, & commune cum marito recepit sepulcrum, cum Epitaphio Gallico, abs altero vix dissonante.

Margareta, nostra Princeps, Bellemotiæ Arcis iuxta Atrebatum frequentatione admodùm delectatur, vt ex eius litteris ibidem, hoc anno, Septembris septimo datis colligitur. *Vide suprà ad an. 1332. & infrà ad an. 1565.*

Arx Bellemotia iuxta Atrebatum Princ. sedes.

CHRISTI AN. 1403

ANNO 1403. Monstrum quoddam marinum, mulieris specie, viridi musco turpe, & vndique squallens, vi tempestatis, ex Oceano in sinum Batauicum, qui maris Australis agnomine notior est, compulsum, apud Edamum opidum capitur. Tradunt id cibis, hominum more, assuefactum, annos aliquot (quindecim quidam scribunt) superuixisse, ambulasse, sonum peregrinum ac suspiriosum potiùs, quàm articulatum sermonem (qui vniuerso piscium generi negatus est) edidisse, atque inter fœmineos cœtus, pensa etiam traxisse. Demum Harlemi defuncta Christianam sepulturã retulit, ob reuerentiam, quàm Cruci Dominicæ deferre didicerat. *Hadrianus Iunius in suâ Bataniâ*,

BONIF. 9. PAPÆ AN. 13. *Monstrũ marinũ, mulieris speciem referens.*

CHRISTI AN. 1404.

ANNO 1404. Philippus Burgundus, cognomento Audax, Artesiæ Comes, dum in Galliam, in quâ ferè assiduus erat, ob Nepotis Caroli sexti Regis curatelam, proficiscitur, in opido Hallensi non procul Bruxellâ, publicoque diuersorio, imagine Cerui insignito, * decedit è viuis. Sepultus est Diuione apud Carthusianos, quos ibi collocauerat: Tumbâ postmodùm aheneâ sumptuosâ, per Philippum Bonum Nepotem, exornatus est: Eius cor ad S. Dionysij, Regum conditorijs adiunctum: intestina ad Diuæ Matris Hallensis tumulata. *Marchantius, Bersacius, &c.*

BONIF. 9. PAPÆ AN. 14. *Philippi Audacis Principis nostri obitus.*

* Sexto Calendas Maias.

Obitus sui habe hanc Prosopopœiam Chronographicam.

FatIs LVXo qVIbVs? QVId GaLLICa sCeptra reVIso?
En, IbI ne MorIar, VIrgo Beata Vetat.

In diplomatis hoc titulo est vsus:

PHILIPPVS, FILIVS REGIS FRANCIÆ, DVX BVRGVNDIÆ, COMES FLANDRIÆ.

Ære alieno valdè laborauit. *Eius rebus mobilibus Margareta vidua renūtiauit.* *Simile exemplū in Comite S. Pauli.* *Caussa æris contracti.* *Eius Proles.*

Æris alieni eo pondere laborauit, vt Margareta, quùm Atrebati marito iusta persolueret, ne viri debitis obnoxia esset, omnibus mariti mobilibus bonis renuntiauerit, neque erubuerit, in cessionis signum, Zonam, Crumenam Clauesque coram Tabellione, solenniter Feretro eius superponere. Quod ipsum post vndecim annos, Bona, Henrici Principis Bari filia, VValerando marito, S. Pauli Comiti, pulchro maritalis amicitiæ indicio, deferre ausa est.

Cæterùm contracti ab Philippo æris potissimam fuisse caussam (nam aliæ intercessere) reperio, Ioannis Filij de Turcis redemptionem, quæ adeò grauis fuit, vt ducenta Ducatorum millia fuerint numerata: quibus colligendis Burgundia, Flandria, & Artesia, quadringenta Florenorum millia suppeditauerint. *Meyerus*, *Balduinus*, *Theuetus*, *Marchantius*, *Heuterus*, *Miræus*, &c.

Proles ex Margaretâ habuit

IOANNEM, vtriusque Burgundiæ, Flandriæ, & Artesiæ:	hæredes.
ANTONIVM, Brabantiæ integræ, cum Limburgo, cæteraque ditione Transmosanâ:	
PHILIPPVM, Neuersij & Rethelij	

Ex Filiabus autem

MARGARETAM, quæ Gulielmo Bauaro, Hollandiæ Hannoniæque Comiti:	enupserunt.
CATHARINAM, quę Leopoldo Superbo, Austriæ Duci:	
MARIAM, quæ Amedeo Sabaudiæ Duci:	

BONA autem, quarta eiusdem Philippi filia, virgo, vt creditur, decedens, Atrebati, in Principe Ecclesiâ, honorificè sepulta est.

Porro IOANNI Margareta, Alberti Bauariæ Ducis: ANTONIO Ioanna, VValerandi Lutcemburgij S. Pauli Comitis: PHILIPPO Bona Artesiensis, Philippi Comitis Vgellani, Filiæ, vxores obtigerunt.

CHRISTI AN. 1405. *Margareta Audacis vidua moritur.* *BONIF. 9. PAPÆ AN. 15.*

ANNO 1405. Decimo septimo Cal. April. moritur Margareta, Philippi Vidua, atque Artesiæ Comes, non toto anno, à mariti funere superstes, apoplexiâ Atrebati in suis ædibus contractâ; anno ætatis circiter 56. Lilus in S. Petri Basilicâ, commune cum Ludouico Maleano Patre, sepulcrum introiuit.

IOAN-

IOANNES BVRGVNDVS
X. ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1405.

BONIF. 9 PAPÆ AN. 15.

ANNO 1405. IOANNES BVRGVNDIÆ DVX, & Flandriæ Comes, Artesiæ etiam Comitatum à Margaretæ matris obitu accepit. Hic Digeone, loco Natali, à Ioanne Biturigum Duce, & Margaretâ Proauiâ, Ludouici Maleani Matre, Lustralis aquę testibus sponsoribusque, nomen adeptus est, ad annum 1371. in quẽ etiam Ludouici, Aureliani Ducis (vt iam antè diximus) fatalis* natalis incidit. *Meyerus, Marchātius, &c.*

* Vide infrà ad ann. 1407 & 1419.

Ante Parentum mortem Ioannes Niuersij Comes nuncupabatur. Animi fuit ingens, pace & bello insignis, suisque ob comitatem admodùm charus; vel ob id etiam maximè, quòd inter assidua Galliç atque Angliæ dissidia, bellorumque strepitus, vtriusque Regni commercia, ab Regibus impetrarit.

VValerandus, S. Pauli Comes, commisso iuxta Caletum cum Anglis velitari certamine, multos suorum cadere, & periculo proximum se vt videt, verso tergo fugam arripit, Terüannamque anhelus subit.

VVal. Comitis S. Pauli periculū.

Intereà Ioannes Princeps de Caleto, quod Angli firmo præsidio tenebant, expugnando, seriò cogitans, omnem bellicum apparatum Atrebatum instruit, indè transfert Audomaropolim.

Apparatus ad Caletanā obsidionem.

Petrus Lutcemburgensis, futurus S. Pauli Comes*, Ioannis Lutcemburgij, ex Margaretâ Conuersani Comite, Filius, Margaretam, Gulielmi, Andriæ in Siciliâ Ducis Filiam, sibi coniugem assumit: ex quo Matrimonio prodijt Ludouicus ille Franciæ Conestabilis, quem infœlici sorte anno 1475. Parisijs contigit obijsse. *Bresinius, &c.*

* Vide infrà ad an 1430.

Petri Lutcemburgij, futuri S. Pauli Comitis nuptiæ.

CHRISTI AN. 1406.

INNO. 7. PAPÆ AN. 1.

ANNO 1406. Bellicum apparatum, quem Ioannes Atrebato Audomaropolim transuexerat, inque B. Bertini, Caletum versus castra promoturus, recluserat: quidam proditores, quos ære Angli conduxerant, iniecto puluere tormentario & igni, totum penè, cum magnâ Monasterij parte consumunt. At incendij auctores eâdem die deprehensos, digna facinoris vltio statim subsecuta est. *Meyerus.*

Audomaropoli grāde incendium.

Pridiè feriarum B. Martini, agente in Morinis Ioanne

Anglorũ in Artesiam irruptiones

Principe, Angli ex Caleto alijsque locis erumpentes, in Artesiæ fines excurrunt, atque suburbia S. Audomari populantur; captiuos locupletiores Ghisnas mittunt: in Conuentum Dominicanorum irrumpunt: sed flexi precibus Antistitis, viri probi, nihil mali intulerunt. Benignè ac hilariter Antistes eos accepit, cibo & potu largiter pauit; duos cados vini, quos paulò antè Comes Conuentui miserat, illis dedit, vt Martinalia hilariter peragerent. Quod quidem fecerunt. Et post diem dehinc quartum, duodecim Nobiles Aureos (nũmorum Anglicanorum est genus) pro vino sibi tam liberaliter oblato, cœnobio miserunt: motique humanitate atque precibus Antistitis, ab incendio vici Bosselarij, quem cremare decreuerant, abstinuerunt. *Idem ijsdem penè verbis.*

Insigne Gratitudinis exemplum.

Agri Bethuniani deuastati.

Eadem tempestate ager Bethuniensis, ab jisdem Anglis, populationibus deuastatur, minùs ideò ab nostris contra hostem adsertus, quòd Gulielmus Namurcensis, cuius tunc erat Bethunia, æs militare cum Atrebatibus conferre recusasset. Verùm Bethunienses, ne denuò eiusmodi vexationes sustinerent, nummos postmodùm vltrò pependerunt.

Ioanna, Ioannis Hollandi, Bredæ Domini, Filia, Engelberto Nassauiæ Comiti, iuueni tum Germanorum nobilissimo locata, Nassauiorum genti aditum in Brabantiam hoc anno facit. *Dinæus.*

CHRISTI AN. 1407. — INNO. 7. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1407. Carolus sextus Galliæ Rex, Atrebati Ærarium, Quæstorem, & Antigraphæum, qui pecuniarum, in vsum Principis per certos homines collectarum rationes obseruarent, primus instituit. *Ex Archiuis opidi Atreb.*

Ioanna S. Pauli Comitis Filia moritur.

Ioanna, Antonij Brabantiæ & Limburgi Ducis vxor, VValerãdi Comitis S. Pauli Filia vnica, eaq; formosissima patris fatum anteuertens, * moritur. *Aubertus Miræus.* (* 12. Augusti.)

Ioannes Canardi, Episcopus Atrebatensis, annis quindecim in eâ dignitate consumptis, mortali carcere liberatur.* Ad eius tumulum, qui in templi sui odeio visitur, tale legitur eius elogium. (* 7. Octo.)

Hic iacet Dominus Ioannes Canardi, Episcopus Atrebatensis: Consiliarius Domini Regis, & Domini Ducis Burgundiæ, Artesiæ & Burgundiæ Comitis &c. qui obijt anno Domini CIↃ. CCCC. VII. *Mensis Oct. die* VII.

Canardo

Canardo Martinus successit. Vide annum proximè seq.

Ioannes XXIII. Abbas Henniacensis, à Præfecturâ suâ remouetur, eique regundæ Iacobus Cheualerius admouetur. Quo sedente, anno nempè 1414. eius loci Canonici quatuordecim peste fuerunt extincti, quibus, præ rerum inopiâ vix parentatum. *Bald. de Glen.*

Ioannes Burgundio, Princeps noster, varijs ex caussis, diuque recoctis, Ludouicum Aurelianorum Ducem, Caroli sexti Gallorum Regis Fratrem vnicum, suum verò Patruelem, Parisijs vicesimâ tertiâ Nouembris, proditoriè curat interfici. Tanti Parricidij exequendi negotium susceperat Rauletus, cognomento Autouilla, conditione Sicarius & nequam: sed magno admodùm patriæ & Burgundionis malo, quòd cum Aureliano, par postmodùm expertus est. Consulantur Meyeri Annales, in quibus ad amussim Tragœdiæ expenduntur. *Vide etiam infrà ad an. 1419.* Eius cædis annum, quidã hoc versiculo expresserunt.

Ludouicus Aurelianus, iussu Ioannis Principis nostri, interficitur.

Contere braChIVM peCCatorIs.

CHRISTI AN. 1408. ANNO 1408. Martinus Poræus, Ordinis S. Dominici, in opido Senensi Religiosus, S. T. Doctor, ac Ioannis Principis à Confessionibus, in defuncti Ioannis Canardi Episcopi Atrebatensis locum sufficitur. Hic ad Concilia duo, Principis vices gesturus, legatus est missus; primò in Italiam ad Pisanum, quod anno 1409. indè in Germaniam ad Constantiense, quod anno 1416. fuere adgregata. GREG. 12. PAPÆ AN. 1.

Carnuti pax inter Burgundionem & Aurelianum Principes iuratur.

CHRISTI AN. 1409. ANNO 1409. Lutetiæ moritur Petrus Dorgemontanus, Morinorum, antequàm Parisiensibus datus fuisset, Episcopus. *Belforestus in Cosmographiâ, Demochares, Bresinius.* GREG. 12 PAPÆ AN. 2.

Burgundio, noster Princeps, pridiè Calendas Ianuarias, Parisijs vbi agit, Xenia suæ Nobilitati distribuit, ad quatuordecim millia florenorum æstimata.

Ioannis Principis nostri, in Xenijs dãdis liberalitas

CHRISTI AN. 1410. ANNO 1410. Catharina Ioannis Burgundi Filia, conuenit cum Ludouico, Ludouici Regis Siculi filio. De quorum posteà repudio consule Meyerum. ALEX. 5. PAPÆ AN. 1.

Ioannes Eickius, & Frater eius Hubertus eximij pictores, Brugis Flandrorum, Emporio tunc celeberrimo florent. Horum alter Ioannes, oleum ex lini seminibus extusum picturæ coloribus primus immiscere occipit, ijs

aduersus

aduersus æui iniuriam, æternùm (vt sic dicam) seruandis. *Vide A. Miræi Chronicon vbi plura*:

CHRISTI AN. 1411. — ALEX. 5. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1411. Idibus Iulijs, Hesdini moritur Ioannes Paruus Franciscanus, S. T. Doctor, atque Ioannis Burgundi, pro cæde Ludouici Aurelianensis coram Rege & Galliæ Proceribus, egregius Apologista.

Iuxta Caletum induciæ inter Flandros & Anglos, in quinquennium componuntur, quibus indictis, lana affatim aliaque mercimonia, in Burgundionis ditiones aduehuntur.

Ioannes Croyus interfectus.

Aurelianorum contra Burgundionem dissidium grande renascitur; inter caussas, ob Ioannem Croyum, Burgundionis legatum, summâ perfidiâ trucidatum.

CHRISTI AN. 1412. — IOAN. 22 PAPÆ AN. 1.

ANNO 1412. Atrebatense opidum, Principis iussu, nouis aggeribus, propugnaculis & munitionibus instruitur, vt ex eius litteris constat, pridiè Kal. Aug. datis.

Itidem Arkense castrum, iuxta Audomaropolim, Ioanne in S. Bertini Abbâ, nil secius moliente, firmis operibus cingitur, atque alibi excipiendo hosti talia. *Bresinius.*

Pax inter Burgundum & Aurelianũ.

Verùm enimuerò vt hæc fiunt, Pax Carnotensis inter vtrumque Principem sic disrupta, super Sacrum Euãgelij Codicem resarcitur, atque vtrimque exhibentur solidæ (quantum extùs significabatur) amicitiæ argumenta. At verò intùs, Aureliani animus totus in furorem & vindictam efferuescebat.

CHRISTI AN. 1413. — IOAN. 22 PAPÆ AN. 2.

Cœnobiũ Eligianum muris & turribus cingitur. *Candida Lancea Principi ab Eligianis offerenda.*

ANNO 1413. Septemb. 10. Eligiani Montis Ascetis ab Burgundo Principe cõceditur Monasterium muris & turribus, sustinendo aut propulsando hosti, idoneis communiendi. Cuius permissus gratiâ, quoties eius loci Antistitem, supremum vitæ diem obire contingeret, toties, & in æuum Candidam Lanceam, ferro instructam, Artesiæ Principibus offerrent. *Ex Monn. MSS. Ant. de Mol.*

Sichenæ, Brabãtiæ op. Thomæ Distensium Toparchę, ab Reginaldo, Schoonuorstensi Domino, nummis postulatis conceduntur.

CHRISTI AN. 1414. — IOAN. 22. PAPÆ AN. 3.

Magistratus Atreb. quando renouantur.

ANNO 1414. Septembris 21. Ioannes Princeps, Scabinorum, siue Senatorum Atrebatensium renouationem, in profesto omnium Sanctorum annuè fieri iubet; quùm ex Philippi Burgundi Patris instituto, Septembris vicesimâ secundâ, etiam quotannis, eadem recurreret, abrogatâ nimirùm

mirum priscâ consuetudine, de Magistratu renouando, non nisi quatuordecim mensibus euolutis, velut ad annum 1271. notauimus. *Ex litteris Principis, Bethuniæ hoc anno datis.*

Neque de corpore Senatorio tantùm cogitauit tunc Princeps, verùm etiam de Capite. Quùm enim Prætoria eiusdem opidi dignitas, secundùm Roberti Illustris institutionem, * penes Simonis Fauerelij posteros constitisset; eodem agente Principe, successionis iure abrogato, eiusmodi dignitas electioni submissa est. Hinc itaque Prætorum Atrebatium Catalogum placet contexere.

* Vide suprà ad an. 1271.

SERIES PRÆTORVM OPIDI ATREBATENSIS.

1. IAcobus SACQVESPEE; electus est hoc anno, pridie Kalendas Nouembris.
2. Leonellus à Sancto Vedasto.
3. Michaël, ex Collegio Senatorum assumptus.
4. Ioannes DE BEAVMONT.
5. Nicolaus LE BORGNE; Sacramentum dixit X. Iunij, an. 1485.
6. Ioannes LE MAIRE, vulgò GRISARD, ex humili alioquin conditione, ad id muneris euectus. Vide ad an. 1492.
7. Ludouicus LE MAIRE, Ioannis filius; Sacramentum dedit an. 1509. Mense Maio.
8. Petrus LALLART, an. 1527.
9. Philippus DE SOVASTRE, Equestris vir Ordinis, Baro Auxianus.
10. Ioannes DE LOVEVSE.
11. Ludouicus BLONDEL, Dominus DE BEAVREGARD: Iurauit 9. Martij 1555.
12. Philippus LE PRVVOST.
13. Ponthus D'ASSONLEVILLE.
14. Petrus DERVILLERS.
15. Antonius LE MERCHIER, Dominus DE BOIRY.
16. Nicolaus DV VAL, Dominus DV NATOY, qui etiamnum perseuerat, hoc anno 1611.

Eodem anno, factionibus Aurelianorum instaurato inter Gallum & Burgundionem funestissimo bello, Carolus

Bellum inter Burgundum & Gallum renouatur. Bapalma deditur Gallo.

Rex Bapalmam Artesiæ opidum, cliuo edito situm magnis animis obsidet. Exercitus intereà aquæ penuriâ valdè laborat, ob ardentem & siccam æstatem. Putei tandem supra quinquaginta effossi, optimæ aquæ copiam præbuerunt. Federicus Haugestus, Ioannes Iumontius & Adam Danetus opidi Præfecti, Burgundionis consensu, locum parùm munitum, pauco commeatu & milite instructum, Regi, eiusque Filio dedunt, seque incolumes, cùm fortunis suis, omnique milite, Insulam recipiunt ad Ducem. *Bersacius, Marchantius, Meyerus.*

Atrebatenses obsidionem exspectantes, muniunt se pro viribus: suburbia sua, ne hostibus latibulo essent, cum ædiculis & varijs Monasterijs quæ S. Saluatoris & S. Vincentij suburbijs continebantur, vno pariter impetu demoliuntur.

Atrebatum à Gallis frustra obsidetur

Hinc Gallus ob Bapalmæ deditionem factus tumidior, subitò cum valido exercitu (quater quinquagenis hominum millibus constare ferebatur) Attrebatum veniens, cominùs ad veteres Templariorum ruinas, castra metatur, atque per septem hebdomadas, viribus omnibus oppugnat, opidanis nihil remissiùs se tuentibus; donec magnâ Gallorum parte Dysenteriâ cadente, & Ioannâ Hannoniæ & Hollandiæ Comitissâ, Ioannis Sorore, atque ipso Delphino, Burgundionis Genero intercedentibus, Carolus Rex & Burgundio ad pacis fœdera conuenerunt.

Liberatur. Pax inter Burgundum & Gallũ.

Tum quæ in vrbe cisternæ, putei, penuaria mœnibus propiùs accedebant, oppleri iussit Comes; ne aliàs, vrbi obsidione excipiendæ, forent periculosa.

Sigerus Vedastinorum creatur Antistes. Constantiensi interfuit Synodo, in quâ tria diplomata, rei domesticæ conducentia ab Ioanne XXII. Pontifice Maximo impetrauit.

CHRISTI AN. 1415. VValerandi S. Pauli Comitis interitus. — *IOAN. 22. PAPA AN. 4.*

ANNO 1415. Pridiè Idus Aprileis, VValerandus Lucemburgius S. Pauli Comes, Yuodij (Lucemburgense est opidum, Gallicè YVOYS) ex hac vitâ emigrat, atque ibidem tumulatur, quamquàm Caricampense Maiorum suorum commune conditorium sibi dari præoptasset. Cur autem non fuerit assecutus, caussam vide ad annum 1404. Consule etiam Meyerum.

VVale-

VValerando Philippus Burgundus, eius ex Ioannâ Filiâ, & Antonio, Brabantiæ Duce, Genero, Nepos, in S. Pauli Comitatum successit.

Philippus Burgundus S. Pauli Comes renuntiatur.

Octobris XXV. Artesia insignem cladem sustinet, ex pugnâ in campis Azincurianis, iuxta Russelli-villam commissâ: vbi Gallorum maxima cædes abs Anglis perpetrata est. Hic vos, ô Galli, compellat Liuius: *Horridus miles esse debet, non calatus auro argentoque* (scitis quid velim?) *sed ferro & armis fretus.* Sed & Curtius, qui Macedonum exemplo, milites vult, *non auro, neque discolori veste, sed ferro atque ære fulgentes.*

Gallorũ in Cāpis Azincurianis contra Anglos dimicantiũ Clades.

Sed ad rem reuertamur. Numerus desideratorũ ex Gallis, decem millia, tantusque fuisse traditur captiuorum, sed fugientium iniri non potuit. Ex nobilitate, quidam quadringentos, alij plures longè (in quibus Petitæus, qui quatuor millia) cecidisse commemorant. Philippus Princeps Iunior, Ioannis Burgundionis Filius, motus pietate & commiseratione tot occisorum, omnes per Balduinum Hericurtium Russelli-villæ Præsulem, ac N. Prætorem Ariensem, sepulturæ dari imperat. Tum puteis altis defossis, interemptorum 5800. corpora fuere iniecta: aliorum alia alibi. Locus illius sepulturæ, postmodùm in cœmiterium conuersus est, ac permissu Ludouici Lutcemburgij Morinorum Episcopi consecratus, sepibusque ac dumis munitus. Cladis Azincurianæ vidi tale

Chronographicum.

CrIspInI MVLtos gens destrVIt AngLICa FranCos.

Christi An. 1416. Anno 1416. Martinus Episcopus Atrebatensis ad Concilium Constantiense, per Ioannem Principem Orator legatur, in quo sacrum Missæ officium, circumstante Episcoporum multitudine, solenniter bis celebrauit, primum hoc anno, sessione XI. indè anno 1417. sessione trigesima. *Demochares.*

Ioan. 22 Papæ An. 5. Constantiense Cōcilium, in quo bis ab Episcopo Atreb. celebratũ Missæ sacrificiũ.

Ioannes Mericurtius fit Abbas Vedastinus. Hic villas Mofflinensem* & Thelodiensem*, quas in prospectu habet Atrebatum, ambustas, ex integro restituit. Idem Syluulam ad Neapolim Vedastinam* conseuit.

* Gal. *Mofflines*
* Gal. *Thelu.*
* Gal. *Neufuille S. Vaast.*

Moritur Balduinus Hericurtius, Russelli-villæ Antistes; cuius ædes ab Azincurianâ clade, varijs incommodis fuit adfecta. Reparauit secundò Ecclesiæ suæ

Campanile, quod tunc maius vocabatur, nunc verò per bella nupera, in ventos iterùm euolauit.

Moritur itidem * Ludouicus Delphinus, Aquitaniæ Dux, Caroli Regis Filius, atque Ioannis Burgundionis Gener; Galliarum, si fata siuissent, Rex futurus.

* 15. Kal. Ian.

CHRISTI AN. 1417

SEDE VACANTE. AN. 1.

ANNO 1417. Maij tricesimâ, Gulielmus Bauarus, Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ Comes, moritur; successit Iacoba Filia, quę anno proximè sequẽti, cum Ioanne Brabantiæ Duce, fœdus coniugale iniuit. *Diuæus.*

Primus Sabaudiæ Dux.

Amadeus, Sabaudiæ Dux primus ab Ferdinando Imperatore creatur. *Aubertus Miræus.*

Ioannes Billetus, Henniacensis Monasterij 24. Abbas creatur. Vir fuit eruditus & venerandâ corporis formâ. Obijt autem cœcus, resignatâ dignitate an. 1432.

Carolus Regis Galli Filius minor natu, Ludouico & Ioanne * Fratribus, veneno, Aurelianorum fraude extinctis, Viennensem Delphinatum assequitur. *Vide Meyerum.*

* obijt hoc anno mense Aprili.

CHRISTI AN. 1419. *Ioannes Burgundus Princeps noster, ab Carolo Delphino, Aurelianorũ impulsu trucidatur.*

MARTIN. 5. PAPÆ AN. 1.

* Gal. *Mõstreau.*

ANNO 1419. Decimâ Sept. Dominicâ die, Ioannes Princeps ab Carolo Viennensi Delphino, specie consilij ad Anglos Galliâ expellendos capiendi, Monstrolium * (aliàs Monterauium) euocatus, in ipsius Delphini conspectu crudeliter trucidatur. Eius corpus ad Carthusianos Diuionenses translatum atque sepulturæ traditum est. Marchantius tragœdiam sic depingit. *Ioannis securitatem augebant iuramenta, in manus Romani Legati super Christi Crucem, sanctumque Euangelium, sub verbo Principis, suæ nobilitatis, sub parte suâ speratæ æternæ salutis; sic enim Annales loquuntur; præstita atque repetita; quódque in arrabonem sinceræ pacis Sacrosanctum Eucharistiæ panem, ad aram coniunctim edissent; & quòd Arx Monstroliensis, ipsius Ioannis potestati committeretur; ingensque erat ab Anglis in foribus periculum. Verùm quùm Burgundus in ponte Monstroliensi ad colloquium designato, per apertum interstitij portulam introijsset, admonitus rogatusque ciuilissimè à Delphinicis vt transiret, venerabundus, altero que genu ante Delphinum innixus, dixit, se venisse, vt obtemperaret, consiliumque & operam communicaret ad Anglos Regno eijciendos: Ibi Delphinus, Haud esses, Belle Cognate, probus Abbas, non enim bene tenes conuẽtum: nam præsidia ex pacto vndè debueras, nondùm emisisti: Quùm verò Ioannes culpam à se amoueret, mox alter, mẽtiris, ait, scelerate: tergumque obuertit: & ex composito hæc verba* TEMPVS EST,

*exclamauit. Tum Taneguyus (aliàs Tanaguyus) Chastelletus (vt nostri Annales referunt**, *quod tamen ille semper pernegauit) aut quiscunque is fuit, paruâ securi, quam sub veste celarat, in Ioannis faciem ferijt à sincipite aberrans trepidus, mentumque abscidit, ac eo ictu succidentem; sed in pedes se erigere, gladiumque ad defensionem educere nitentem, Oliuerius Layettus, Petrus Frottierus, alijque adiuuantes mactauere.* Hæc ille.

* & asseris Tilletius.

Quod tibi nomen apud tuos hâc tragœdiâ parasti, Delphine? Audi Chronicon, quod alibì me legisse memini:

Cadens BVrgVndVM; à GaLLIs DeLphInVs VtaVdIt?
FeX, faX, neX, Latro, Lerna, TIrannVs, Aper.

At nos pariantes, chronographicè pariter adlusimus.

O! CoMes: ô! te te, CVI fIdIs? nonnè PVeLLo?
Pro Patre non gestat PeCtora FIda PVer.

Ergo licet exclames:

Inuidus immeritò Cognatum morte peremi:
Mors (heu!) quæ Gallis plurima damna tulit.
Hinc odium, cædes variæ, bellumque perenne:
Hinc quoque Mors similis mi subeunda fuit.

Suscepit Ioannes ex Margaretâ, quam Cameraci decimum quartum ætatis annum agens, duxerat, hasce proles: *Ioannis Burgūdi Proles.*

PHILIPPVM, virilis stirpis vnicum, Charoloisij Comitem:

MARGARETAM, priùs Ludouico, Caroli sexti Regis primigenio, eiusque à morte, Arturo, Richemundæ Comiti: Britanniæ Ducis fratri, hæredique,

ISABELLAM, Britanni filio, Comiti Pontiberæ,

ANNAM, Betfordiæ Duci Anglo: steriliter coniugatas.

CATHARINAM, à sponso Renato Gādauensi, ob factiones Aurelianas repudiatam, quæ Gādaui cœlebs obijt.

MARIAM, Adulpho Cliuiæ primo Duci, vndè Ioannes Dux, & Adulphus Rauestainæ Regulus, septemque filiæ prodierunt, &

AGNETEM, Carolo Borbonij Principi, ex quo filios quinque totidemque filias peperit: nuptijs coniunctas.

Nothos etiam hos habuit:

IOANNEM, qui Cameraci Principatu Episcopali, &

GVIDONEM, Crubecæ Dominum, qui militari laude inclaruerunt.

Ioanni parentatum Atrebati ab Philippo filio, admodum magnificè, in B. Vedasti, 3. Idus Octobris, feriâ sextâ. *Exequiæ Atrebati celebratæ.*

PHILIPPVS BONVS
XI. ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN 1419.

MARTIN. 5. PAPÆ AN. 1.


NNO 1419. PHILIPPVS BVRGVNDVS Cognomento BONVS, Ioannis Filius, Artesiam, vnà cum Ducatu Burgundiæ & Comitatu Flandriæ, adipiscitur.

Philippi Burgūdi Principis nostri dominia.

Obtigerunt insuper Brabantia, Lutcemburgum, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Frisia, &c. Quin etiam Bethuniam, à Maioribus abalienatam, nouo iure recepit; adeò vt Carolus eius Filius, Patre superstite, Dominum Bethuniæ se scripserit. *Bersacius, Hoyus, &c.*

In Patrē pietas:

Huc notandum venit, quòd *Philippus accepto à charissimi Patris nece, Flandrorum & Artesiorum Imperio, Monstrolium* (scribit iterùm Marchantius) *vbi Pater cæsus erat, obsessum, ope Anglorum cepit, incendio abstinuit, quòd vacare opidum culpâ diceret: corpus Patris cum thorace ocreisque terra iniectum, multis lachrymis omnium astantium exhumauit, Diuionēque ad Carthusianos splendidè transmisit. Et quùm totus vindicando Patri studeret, Carolo sexto Regi, Socero persuasit, vt secum fœdus cum Henrico quinto Angliæ Rege iniret: Filiamque Catharinā, illi ambienti in vxorem daret, & in illos legitimosque eorum liberos, Salicâ lege neglectâ, ius Regni transferret, Filio Carolo Delphino, velut Sicario, periuro, & intestabili abdicato: eoque pacto, sese ab Anglorum infestissimis armis, & Regnum à tanta perfidiæ infamiâ eriperet. Sic Carolus Delphinus ad Mensam Marmoream ter ritè citatus, quùm Iudicij diem non obijsset, paterno regno indignus, in Curiâ Parisiensi iudicatus est, &c,* Sic ille, & confirmiter Meyerus, etsi prolixiùs.

Et necis vlciscē-da zelus.

Carolus Delphinus à Patre, Gall. Rege, proscribitur.

CHRISTI AN. 1420

MARTIN. 5. PAPÆ AN. 2.

Hēricus Angliæ Rex, Gallicani Regni hæres instituitus.

ANNO 1420. Carolus Galliæ Rex, Catharinâ Filiâ, Henrico Angliæ Regi elocatâ, eundem signatis, Trecensi in opido, Maij 21. tabulis, dictoque Sacramento, atque Salicæ legis auctoritate reiectâ, Gallicani Regni hæredem instituit. Hinc illæ lachrymæ, de quibus alibi.

Carmelitæ Atrebatenses, ædibus præ obsidionis metu, quæ, vt dixi, contigit, deiectis (vide suprà ad an. 1414.) in Xenodochio DE MINGOVAL aliquamdiù quùm substitissent, nouis ędibus in S. Saluatoris suburbio ad opidi fossas restitutis, non modicè recreantur.

Hæretici

Hæretici aliquot deprehensi, & impijssimis opinionibus infecti, partim Atrebati, partim Duaci, digno plectuntur supplicio. *Hæretici cremati.*

CHRISTI AN. 1421. ANNO 1421. Tertio Idus Sept. Philippus Princeps, maximâ omnium exultatione, Atrebatum, portâ Meolanâ ingressus est, atque in Comitum Artesię Curiâ exceptus magnificè: omnibus elatâ voce, eo vrbis vicos prętergrediente, certatim clamantibus, NOEL, atque ingeminantibus. *MARTIN. 5. PAPÆ AN. 3. Philippi Principis in vrbem Atreb. ingressus solennis.*

Natalis Antonij Burgundi, Philippi Principis ex Iolâ Prellæâ Filij. Hic Beueræ fuit Regulus, atque Mariæ Viesuillæ, Petri Modonis ac Tornehemi Toparchæ, Filiæ Maritûs, non infœcundis nuptijs.

Iacobus (alijs Ioannes) DE SACQVESPEE, opidi Atrebatensis Maior seu Prætor, minore in foro, Sacellum iuxta perinsignem Sacri Cerei pyramidem, anno 1215. constructum, iugis sacrificij offerendi ergò, ad Deiparæ honorem componit.

Villici quidam Bellouacenses, Augusti, 23. carrum mercimonijs valdę onustum, equorum more, Atrebatum inuehunt, talibus officijs, etiam in agriculturâ, assueti, aiebant, ob equorum patrio in solo raritatem. *Villici vices equorum subeũtes.*

CHRISTI AN. 1422. ANNO 1422. Februarij septimâ, ædificia & hortorum sepimenta, Atrebatensis opidi fossas, duobus supra viginti pedibus propiùs attingentia, diruũtur, tellusq; cõplanatur. *MARTIN. 5. PAPÆ AN. 4.*

Catharina Francica, Caroli sexti Filia, atque Henrici Angliæ Regis vxor, Parisijs, solenni admodùm pompâ, Galliarum Regina, vetere Salicę Legis auctoritate repudiatâ, atque exhęredato Carolo Delphino, coronatur. *Catharina Francica, Hẽrici Angliæ Regis vxor, Galliæ Regina coronatur.*

Mensę Iulio, Michaëlis, Philippi Principis, atque Caroli VI. Filia, primo ætatis flore, Gandaui moritur.

Quarto Calendas Septẽbreis, moritur & Henricus Rex Anglorum, Henrico Filio impubere, relicto successore. *Mors Caroli Gall. Regis.*

Duodecimo Calend. Nouemb. etiam decedit Carolus VI. Gall. Rex: hinc inter Anglos & Gallos odia & querelę, quę perennant, de legitimo Gallici Regni hęrede, adeoque mixta vtriusque Regni, in Anglicano scuto, Insignia. *Gallorũ & Anglorum querelæ.*

CHRISTI AN. 1423. ANNO 1423. Aprilis 22. & aliàs sæpè, Atrebati, maiore in foro (quod amplitudine suâ, in cæteris Belgicæ, primas facilè obtinet) ipso Principe, multáque nobilitate spectantibus, hastiludia variè exercentur: in quibus subindè *MARTIN 5 PAPÆ AN. 5.*

mors

mors, spectatoribus gaudium; victori præmium decernebat. Egregium sanè spectaculum, in quo mens humana humano pascitur cruore.

Nicolaus DE VVISSOCQ, Ioannis Filius (vide ad an. 1402.) Meuvverlersij Toparcha, adstipulante Iacobâ à Sanctâ Aldegunde, egtegiâ heroinâ & coniuge, Audomaropoli, in S. Sepulcri templo parœciali, sacellum ad Dominici Ierosolymitani exemplar, æternæ, quòd id cum parente feliciter visitasset, mnemosynes ergò, solerter adprimè construi curauit.

Natalis Lodouici XI. Regis. Quinto nonas Iulias, apud Auaricum, Biturigum opidum, Natalis Ludouici XI. Galliarum Regis futuri.

Augusti vicesimâ septimâ, moritur Gulielmus DE BONNIERES, Atrebatium atque Bapalmensium Præfectus, inque Cathedrali templo reconditur.

CHRISTI AN. 1424. *Gallorũ cædes.* MARTINI V. PAPA AN. 6. ANNO 1424. Augusti 17. Feriâ quintâ, signa inter Anglos & Francos miscetur, atque acerrimè pugnatur, remanente penes Anglos, quibuscum noster Princeps iunctus erat, victoriâ, multisque Gallorum cæsis & captiuis, in quibus Ioannes Procomes Narbonensis quadrifariam sectus est, & Cruci appensus, quòd nefariæ necis Ioannis Burgundi fuisset conscius.

Quartâ Nouembris moritur Michaël DALLENE, Eligiani montis XXIII. Antistes. Eius en Epitaphium:

Hîc iacet humanus Michaël Abbas, genere clarus,
Rebrouys natus, coluit aras mente deuotus;
Regimine prudens atque fidelis, subditos regens,
Et nefas prohibens, totis viribus bonum amplectens.
Hic Anno milleno, quadringesimo, vicesimo quarto,
Migrauit à sæculo: terra corpus & animam Christo
Reddens Nouembris die quartâ, verè fidelis.

Michaëli successit Ioannes Bullotius. Is thecam argenteam, quâ B. Vindiciani Corpus continetur, fieri curauit: atque Ecclesiam parœcialem in ipsâ montis Eligij villâ cõstruxit. Chaunense etiam Asylum seu refugium Atrebati situm pretio sibi comparauit, & ædificijs à fundamento instaurauit. Monasterio suo alterum murorum ambitum, turriculis ornatum, circumduxit. Sedit annos 28.

Eodem mense Nouembri, iam præcipiti, Philippus Princeps, in Burgundis vt agit, licentiâ ab Martino Pont.

Max.acceptâ, Bonam Atrebatēsem, Philippi Comitis Niuernensis, Patrui sui viduam, Philippi Atrebatis, Comitis Vgellani, Filiam, vxorem sibi deuincit. Dicta est Bona à nonnullis Elizabetha, prudentiâ atque sanctimoniâ apprimè commendabilis. *Philippi Principis nuptiæ.*

CHRISTI AN. 1425. ANNO 1425. Ioannes IV. Brabantiæ Dux, Antonij Burgundi, ex Ioannâ Lutcemburgicâ, Fani S. Pauli Comitissâ, Filius, quùm vrbs Louaniensis, pereunte lanificio, paulatim ad vastitatem rediret, Academiam ibi instituit, approbante Martino V. Pontifice, & potestatem faciente omne genus Artium docendi, solâ tamen Theologiâ exceptâ. Diploma datum est signatũque hoc anno V. Idus Decembris: lectiones autem anno demùm sequenti, postridiè Kalendas Octobris, primùm sunt habitæ. Anno autem 1431. Eugenius IV. indulsit, vt & Theologia Louanij docerètur, quùm eius rei caussâ Legatos ad ipsum misisset Philippus, Burgundiæ Brabantiæque Dux. *Vide Iacobi Middendorpij librum 5. de Academijs: I. Lipsij Louanium l. 3. & Scænam rerum inuersarum Hadriani Hecquetij Carmelitæ Atrebatensis.* MARTIN. 5. PAPÆ AN. 7. *Academia Louaniensis institutio.*

Montis Eligiani Turris fulmine icitur. Vndè hi versus.

Ecclesiæ nostræ Turri, dum fulgura clangunt,
M. C. quater, semel V. bis & X. nos duriùs angunt;
Nox erat, & Fratres sua tristes cantica frangunt:
Ad laticem currunt; sic victo fulmine pangunt,
Martis bis deno da tres, tunc gaudia tangunt:
Verùm pro tonitru turris discrimina plangunt.

Vsus Bombardarum hoc primùm anno Gallis innotuit, Thomâ à Monte-acuto, Sarisberiense Comite Anglo, Cœnomanorum vrbem oppugnante. *Genebrardus.* *Tormenti puluerei vsus in Gallias introductus.*

Philippus Princeps centum millia nummûm ab Flandris pro bellicis sumptibus obtinet, hâc cautione, pacem & mercimoniorum communionem cum Anglis liberam seruaret, quod & factum.

Bona Philippi Principis coniux, Diuione moritur, atq; apud Carthusianos sepelitur, magno sui desiderio relicto. *Bona, Philippi Principis vxor moritur.*

CHRISTI AN. 1426. ANNO 1426. Quinto decimo Kalendas Maias, Bruxellæ moritur Ioannes, Brabantiæ Dux, Louaniensis Academiæ institutor, nullâ prole relictâ, anno ætatis 24. Cessit tum Brabantia Philippo eius Fratri Ligniacensi, Fanique Pauli Comiti. Furnam eius funus delatum est, ad Antonij MARTIN. 5. PAPÆ AN. 8. *Philippus S. Pauli Comes, Dux Brabant*

Patris tumulum. *Meyerus*. Ferunt eum morte instante, psalmum, *Miserere mei Deus &c.* deuotissimè pronuntiasse.

Septembris die sextâ, Martinus Porçus, Episcopus Atrebatensis, posteaquàm duodeuiginti per annos Atrebatensem Ecclesiam administrasset, fato cedit, & in templi sui odeio honorificè tumulatur, hâc inscriptione ad futuram memoriam adiunctâ.

Hîc iacet Martinus Poré, de Conuentu Senonensi, Ordinis Fratrum Prædicatorum, olim Confessor Illustrissimi Principis Ioannis, Ducis Burgundiæ: Flandriæ, Artesiæ & Burgũdiæ Comitis, &c. & deindè Atrebatensis Episcopus, qui obijt Anno Domini Millesimo, quadragintesimo, vigesimo sexto, die sextâ Mensis Septembris.

Martino successit Hugo Cayetanus, Audomarensis Ecclesiæ Præpositus, Galliæ Regis & Burgundiæ Ducis Consiliarius, nobili extractus prosapiâ: de quo in Ecclesiæ Atrebatensis tabulas sic relatum: *Hugo de Cayeu, Præpositus Ecclesiæ sancti Audomari, Martino successit. Hic Ecclesiam rexit XII. annis, & fecit fieri murum cingentem Lucum, siuè Bruillum Domus Episcopalis Atrebatensis, versus Fortalitium Ciuitatis.* Hæc ibì. Idem Ecclesiæ suæ Corollas amplissimis fornicibus exornauit. Vide nostram Chronicam Anacephalæosin Virgineam.

CHRISTI AN. 1428. *Philippus Princeps, Namurcẽsis Comes salutatur.*

MARTIN. 5. PAPA AN. 10.

ANNO 1428. Philippus Princeps, Ioanne Namurcensium Comite per mortem sublato, eiusdem Comitatum nemine repugnante apiscitur. Illum quippe Ioãnes, quùm nec liberos, nec vxorem haberet, paulò antè Philippo 13200. aureis coronatis vendiderat, statim ab eius obitu, nec priùs, possidendum. Itidem & Bethuniensis Aduocatia, quam idem Ioannes occupabat. *Vide suprà ad an. 1385.*

Ioannes DV CLERCQ Patriâ Duacensis, Vedastinorum ex Subpræposito Abbas creatur. Hic eximiâ in egenos, præter cæteras, quibus pollebat, virtutes, liberalitate enituit; atque cottidianum, ad Beatæ Virginis gloriam, Missæ sacrificium, in eius, quod mirificè ornauit, Sacello, celebrandum perpetuò ordinauit.

CHRISTI AN. 1429. *Philippus Princeps thalamũ instaurat: ordinem Velleris Aurei instituit.*

MARTIN. 5. PAPA AN. 11.

ANNO 1429. Philippus Princeps, tertiò thalamum instaurat cum Isabellâ Lusitanâ. Nuptiarum die, quæ Brugis Flandrorum consummatæ sunt, augustissimum AVREI VELLERIS ORDINEM instituit, sed prima eius Comitia in annum 1431. fuere protracta. Hi fuere huius

ORDI-

ORDINIS VELLERIS AVREI

PRIMI EQVITES:

1. PHilippus Dux, Caput & Princeps.
2. Gulielmus Viennensis, Toparcha S. Georgij & S. Crucis.
3. Raginerius Pot, Rupellæ Regulus.
4. Ioannes, Toparcha * Roubacensis. (* Gal. Roubay.)
5. Rolandus VVtkercanus, Hamsrodij Dominus.
6. Antonius DE VERGY, Dommartinij Comes.
7. Dauid Brimæus, Toparcha Ligniacensis.
8. Hugo Alnetanus *, Santensis Dominus. (* Gal. de Lanoy.)
9. Ioannes, Cominij Comes.
10. Antonius THOLONGION, Dominus Tranensis, & Burgundionum Equitum Magister.
11. Petrus Lutcemburgensis, posteà Fani S. Pauli Comes.
12. Ioannes Trimolius, Ionellæ Regulus.
13. Guillibertus DE LANNOY, VVilleruallis Dominus.
14. Ioannes Lutcemburgius, Ligniaci Comes.
15. Ioannes Villarius, Insulæ-Adami * Toparcha. (* Gal. Lisle-Adam.)
16. Antonius Croyus, Rentiaci Toparcha.
17. Florimundus Brimæus, Masincuriæ Regulus.
18. Robertus, Dominus Masemëus.
19. Iacobus Brimęus, Grignij Toparcha.
20. Balduinus DE LANNOY, agnomine Balbus, Molembasij regulus.
21. Petrus Beffromontius, Charnij Dynasta.
22. Philippus, Dominus Teruantius.
23. Ioannes Croyus, Dominus DE LA THOVR.
24. Ioannes, Crequiaci Regulus.
25. Ioannes DE NEVFCHASTEL, Dominus DE MONTAGV.

Dedit Philippus singulis Equitibus Collyrium aureum, dependente ab illo aureo Vellere, quæ post mortem cuiusque ad Ordinem redeunt, alijs distribuenda. *Consule Mariale nostrum, libri 3. c. 7.*

(MARTIN. 5. PAPÆ AN. 12. *Bellæ-quercus tribunal Atreb. aliquantisper innisit.*)

(CHRISTI AN. 1430.) ANNO 1430. Nono Kalendas Februarij, Reginaldus DE GHIMES, Bellæ-quercus in Picardiæ finibus Præpositus, tribunal audiendis grauioribus caussis, & iuri dicundo, ex Bella-quercu ad Grandem-vallem iuxta Atreb. quùm ab

 aliquot

aliquot annis trāstulisset, fixissetque: Hyeme inclementiùs sæuiente, adeóque aduocatorum & causidicorum nostrorum turbam domi coërcente; vt in opidi Halam seu Salam migraret tātisper, donec aliter fuisset consultū, impetrauit.

Philippus, Brab. Dux, & S. Pauli comes, moritur.

Louanij, Philippus Burgundus, Brabantiæ Dux, atque Fani Pauli Comes, per mortem de medio tollitur, Matrimonij nullas leges expertus, adeoq; nec eiusdem fructum. Dixi Matrimonij: nam solutus, ex concubinâ Nothos duos habuit, Antonium & Philippum, qui Brabantini sunt cognominati, at hæredij incapaces. Itaque in Brabantiæ Ducatum successor iuit Philippus noster Princeps; in S. Pauli autem Comitatum Margareta, VValerandi, olim eiusdem ditionis Comitis, Germana: sed plena dierum non toto anno illum possedit, euocante morte; Petro Lutcemburgio, Ioannis Filio successore. *Heuterus, Bresinius, &c.*

Eius in vtrāque ditionem successores.

CHRISTI AN. 1431. — MARTINI 5. PAPÆ AN. 13.

ANNO 1431. Mense Septembri N. Abbas Lætitiensis, pluribus in locis indici iubet, vt qui Rhetoricen profiterentur, ad se accederent, & cur Franciam Pax non nosset, paratis argumentis certatim dissertarent: qui potiores, pace (vt vocant) argenteâ, pondo vnciarum octo; qui secundi, Agno Dei etiam argenteo, vnciarum quinque: & qui consequenter, alijs honorarijs seu præmijs donandi. Comparuere Hesdinenses nostri (quibus cessit præmium princeps) Cameracenses, Duacenses, Valencenenses, Veromandui, alij.

In Musæo certamine Hesdinensiũ victoria.

Egregia illa templi Bertinici, apud Audomarones turris, à fundamentis excitatur. *Bresinius.*

Atrebati Cœnobium Virginum, B. Hieronymi institutum sectantium, quas à laudando Deo, LOVEZ-DIEV, vulgò indigetant, piorum eleemosynis exædificatur. *Vide infrà ad an. 1456.*

Comitia Velleris Aurei Lilæ primùm celebrata.

Pridiè Calendas Decembris, Ferijs S. Andreæ votiuis, Philippus Princeps noster, prima Aurei Velleris Comitia, Lilæ in Beati Petri Ecclesiâ per triduum celebrat, atque Ordinis à se recens instituti has tabulas consignat:

Diploma instituti eius Ordinis.

PHILIPPVS, *Dei gratiâ Dux Burgundiæ, Lothricij, Brabantiæ, Lemburgij: Comes Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ: Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ &* DE NAMVR: *Marchisius sancti Imperij, Dominus Salinarum & Mechliniæ: Notum facimus omnibus præsentibus & futuris, quòd propter magnum &*

perfectum

perfectum amorem, quem habemus erga nobilem statum & ordinem dignitatis equestris, cuius honorem ardenti & singulari affectu exoptamus augere, per quem ordinem vera fides Catholica, status nostræ sanctæ matris Ecclesiæ, & tranquillitas prosperitasque Reipublicæ sit (vt esse potest) defensa, custodita, & conseruata: Nos ad laudem & gloriam Omnipotentis Creatoris & Redemptoris nostri, ad reuerentiam Matris eius Gloriosæ Virginis, & ad honorem Domini nostri Sancti Andreæ, gloriosi Apostoli & Martyris, ad exaltationem fidei & sanctæ Ecclesiæ, & excitationem virtutum & bonorum morum, decimo die Mensis Ianuarij, anno Domini nostri 1429. qui erat dies solẽnizationis Matrimonij inter nos, & nostram charissimam & amantissimam coniugem Elizabeth, in opido nostro Brugensi, accepimus, creauimus & ordinauimus, & per has præsentes accipimus, creamus & ordinamus ordinem & fraternitatem dignitatis equestris, & amicabilis societatis, certi numeri Equitum, quem volumus appellari ORDINEM VELLERIS AVREI, *sub formâ, constitutionibus, statutis, modis, articulis, qui sequuntur. Primò ordinamus vt in Ordine antedicto, sint vnus & triginta Equites viri nobiles, nomine & armis sine repræhensione, quorum nos tẽpore nostro erimus caput & supremus, & post nos successores nostri, Duces Burgundiæ, &c. Datum in opido nostro Insulensi 27. Nou. 1431.*
Hæc ille, cætera legis capita, breuitatis ergò, omisimus.

Ijsdem in Comitijs creati fuere Equites

SIMON LALANVS, Montigniaci Toparcha, tum Lauduni captiuus: &

AIDERICVS, aliàs VVALERANDVS, Comes Murensis: duobus ex Equitum albo, partim morte, partim culpâ deletis.

Moritur Matthæus Reginaldi, Morinorum Episcopus, Petro Lutcẽburgio, Franc. Regis Cancellario, successore.

CHRISTI AN. 1432 — MARTIN. 5. PAPÆ AN. 14.

ANNO 1432. Ioannes Billetus, Henniacensis Antistes, quùm, ob cęcitatem, dignitati nuntium anteà misisset, vitæ tædijs expeditur, iam sedẽte Ioanne DE LA TRAMERIE, qui etiam anno 1443. sede abdicatâ, anno 1461. decessit.

Comitia Aurei Velleris secundũ Brugis celebrata.

Brugis, Aurei Velleris Comitia secundùm celebrantur, in quibus hi creati Equites:

ANDREAS TOVLONTON, tum absens, ad sanctam Terram deuotionis zelo profectus: &

IOANNES MELODVNÆVS, Anthoingnij Toparcha.

CHRISTI AN. 1433. — EVGEN. 4. PAPÆ AN. 1.

ANNO 1433. Petrus Lutcemburgius, S. Pauli Comes, diem vitæ extrémum oppetit: & in Caricampensis Ecclesię

Petrus Lucemburg. S. Pauli Comes moritur, atque Caricapi sepelitur sub Augusto Mausolæo. Eius Proles.

odeio, è principis altaris regione sepultus, superbissimo donatur Mausolæo, marmoreo illo, ad quatuor pedes eleuato; cuius cippus duabus prægrandibus insignitur eiusdem lapidis statuis, quarum manus & capita eburnea. Solet diebus anni solennioribus operiri admodùm insigni villosoque serico, aureis folijs intertexto, atque Cruce aureâ, & Petri adfecto insignibus, ornamento Regijs prorsùs digno funeribus.

Numerosam ex Margaretâ coniuge, Daneti in Siciliâ Ducis Sorore, prolem recepit,

LVDOVICVM, in S. Pauli Comitatum successorem:

THIBALDVM, qui, Antoignij Reguli Filiâ in vxorem ductâ, & liberis ex eâ susceptis, tandem anno 1456. Cistercij Monachum professus est:

N. Metensem Episcopum:

IACOBVM, Richeburgij Toparcham.

Ex Filiabus, IACOBAM, quæ hoc anno 1433. Teruannæ nuptias cum Ioanne Lanclastrense, Berfordiæ Duce, auspicata est: quo, an. 1435. defuncto, alteras cum Richardo Dondeuillano, Riuieriæ Regulo celebrauit, ex quo Filiam genuit, quæ Eduardo 4. Angliæ Regi enupsit. ISABELLAM, quæ Carolo Misniæ Comiti, CATHARINAM, quæ Arturo Britanniæ Duci, vxores accesserunt; & PHILIPPAM, quæ virginitatem professa, vixit Antistita Monasterij sanctæ Maxellendis.

Ex Nothis, IOANNEM, Hasburdini* Dominum.

Ludouicus, S. Pauli Comes.

Porrò Ludouicus recens S. Pauli Comes effectus, duas successiuè habuit coniuges: primò Ioannam Baresem Roberti Comitis Maleani Filiam & hæredem, quâ defunctâ thorum redintegrauit cū Mariâ, Philippi Sabaudiæ Ducis Sorore, Ludouici Filiâ. Ex priore liberos septem, ex alterâ duas dumtaxat suscepit proles. Valuit is magnâ apud Gallum auctoritate, factusque est totius Regni Conestabilis. Sed enim magnatium quàm infimatium capitibus miserabilis fortuna sæpiùs insidiatur, vt clarè patuit in Ludouici casu. *Vide infrà ad annum 1475.*

* Gal. *Hasbourdin*, est Flandriæ Gallicanæ celebris pagus.

Tertia Aurei Velleris Comitia Diuione celebrantur.

Pridiè Calendas Decembres, Diuione in Burgundiâ, Philippus Princeps tertiùm Velleris Aurei Comitia celebrat: in quibus, vt numerus XXXI. Equitum compleretur, in album relati fuerunt hi noui Equites:

GVIDO Pontalerius.

BODO DE NOYELLES.

IOANNES, Nothus Lutcemburgensis, Hasburdini Dominus.

CAROLVS Burgũdus, Philippi Principis Filius, recens natus*, primoque suæ ætatis mense.

*natus est tertio Idus Nouembris.

ROBERTVS, Comes Vernenburgensis: &

THEOBALDVS, Noui Castelli Dominus.

In defunctorum verò locum suffecti sunt,

IACOBVS Creuecurius: &

IOANNES Vergiacus, Vignoriaci Toparcha.

CHRISTI AN. 1434. ANNO 1434. Audomaropoli, Sacellum S. Eligij, in cœmiterio Beatæ Aldegundis, Ciuium quorundam instantiâ & eleemosynis construitur. EVGEN. 4. PAPÆ AN. 2.

Tertio Idus Nouemb. Ferijs B. Martino sacris, Diuione Natalis Caroli Martini, cognomẽto Audacis, Philippo Bono & Elizabethâ parẽtibus, Principis nostri futuri. *Petitus.* *Natalis Caroli Audacis*

CHRISTI AN. 1435. ANNO 1435. Philippus Princeps noster, postquàm fœdam Patris, Ioannis necem egregiè vltus esset, nec haberet Gallorum Rex vbi quiesceret; quamplurium totius Europæ Principum rationibus, ac etiam precibus tandem delinitus, Atrebati in celeberrimis Comitijs, quibus Nicolaus Albergatus Cardinalis tit. S. Crucis, Eugenij Papę Legatus à latere, præsidebat, cum Carolo septimo Gallorum Rege reconciliatur. Id Marchantius sic breuiter collineat: EVGEN. 4 PAPÆ AN. 3. *Pax inter Philippum Principẽ, & Carolũ Regẽ.*

Quùm anno tricesimo quinto, Mense Septembri, post millesimum quadringentesimum, Angli celeberrimũ Atrebati conuentum, in quo supra decem equorum millia fuisse narrat Monstreletus, omni spe pacis destituissent, quia possessione tituloque regni Frãciæ neutiquam cedere volebant: ad Philippum iam delinitum, cui aderant Arnoldus Geldriæ Dux: Nassauij, Vaudemontij, Niuernij, Stampæ, Sampauli, Lignij, Falcobergæ, Comites: in æde Diui Vedasti accesserunt Carolus Borbonij Dux: Arturus Regni Conestabilis, Richemũdæ, Ludouicus Magnus Magister Regiæ domus, Vendomij, Principes, cum Remorum Archiepiscopo Cancellario, Fayettâ Mareschalco Regni, & Adamo Cameraceno, Curiæ Parisiensis primo Præside, EIVSQVE AD PEDES GENVA PALAM PROCVMBENTES, NOMINE CAROLI REGIS ORARVNT, VT PARENTIS SVI CÆDEM EI REMITTAT, PROFITENTI SESE ID FACINVS IMPERITIA ADOLESCENTIÆ, ET *Caroli supplex veniæ precatio*

IMPROBORVM SVASV, DESIGNASSE: AC DOLERE IAM GRAVISSIME, QVOD ITA ACCIDISSET, ET NISI FACTVM ESSET, NE VNQVAM FIERET, OMNI OPE ANNIXVRVM. *Ad has supplicationes demissionesque Philippus illacrymatus, pronũtiauit*, SE OMNEM INIVRIAM CONDONARE, TVM PROPTER VENERATIONEM MORTIS PASSIONISQVE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, TVM QVIA POPVLI GALLICI MISERICORDIA EVM CAPERET, TVM ETIAM VT CONCILII BASILEENSIS ET PAPÆ, ET CHRISTIANORVM PRINCIPVM MONITIS MOREM GERERET, QVI MEREBANTVR, VT HOC AB SE IMPETRARENT. Hactenùs Marchantius; vide de his fusiùs apud Meyerum & alios.

Regius Philippi animus & pietas

De istâ Pace, in Archiuis Atrebatium hi reperiuntur versus, ab istius ætatis imperitiâ non prorsus abhorrentes:

ILLVXI*t nob*I*s* CL*ar*I *pa*X LVC*e* M*atth*æI,
Pro quâ Francisci debent cum laude lætari:
Atrebati primò sonat hæc vox, voce iocundâ.
Christus laudetur, cui cuncti subijciuntur.

Bruxellę, pridiè Calendas Decemb. Velleris Aurei Comitia, in Beatæ Gudulæ templo quartùm celebrantur.

Quarta Velleris Aurei Comitia, Bruxellæ

CHRISTI AN. 1436.

ANNO 1436. Octauo Idus Octobris, Iacoba Bauara, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ Comitissa, Frisiæ Transisalanæ, & Groningæ Domina, moritur. Hæreditarias Consobrinæ suæ Prouincias adijt Philippus Bonus Princeps noster.

EVGEN. 4 PAPÆ AN. 4.

Philippus Princeps variarum ditionũ fit hæres.

Philippus Princeps magnis animis atque precibus, ab Concilij Basileensis Patribus cõtendit vt Diuum Petrum Lutcemburgensem, Guidonis, Fani S. Pauli Comitis Filium, consanguineum suum, in sanctorum catalogum referant, litteris ad eos missis Bruxellâ, pridiè Kalendas Februarij, hoc anno, ex quibus id tãtùm excerpere visum est. *Quid vestro cœtui, ô veri pugiles, veræque bases Ecclesiæ, plus honoris & gloriæ accedere possit, quàm ad Canonizationem & eleuationem prædictam procedere, & eum, quem suis ex meritis gloriosis, & tot miraculis velut inauditis, quibus quotidiè coruscat, aliorum Christi confessorum collegio constat aggregari, ac cum his palam & publicè adorandum eleuare ipsisque in catalogo sanctorum inscriben-*

Sollicitat D. Petri Lutcemburgensis consanguinei sui Canonizationem.

ſcribendis, ad perpetuam eius laudem & memoriam apponere, &c. Vide ſuprà ad an. 1387.

Lilæ ſeu Inſulæ Velleris aurei Comitia quintùm habentur.

CHRISTI AN. 1437. EVGEN. 4. PAPÆ AN. 5.

ANNO 1437. Philippus & Iſabella Comites, Monaſterium Clariſtarum Heſdini, hodiè ſolo adæquati, exædificant, quod in hunc vſque diem, non obſtantibus bellorum temporumque iniurijs perſiſtit. Pontificium Diploma de eo extruendo ſeu perficiendo, ità habet:

EVGENIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, DILECTO FILIO OFFICIALI MORINENSI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM:

Eximius deuotionis affectus, quem dil... in Chriſto Filia, Iſabellis, Duciſſa Burgundia, ad Nos & ad Romanam gerit Eccleſiam, nō indignè meretur, vt precibus ſuis, illis præſertim, quæ ad laudem Altiſſimi ac Religionis propagationem cedere dignoſcuntur, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper, pro parte dictæ Duciſſæ, petitio continebat, quod ipſa cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna, fælici commercio commutare, ac ob ſingularem quam ad Ordinem S. Claræ gerit deuotionem, de donis à Deo ſibi collatis, vnum Monaſterium, cum Eccleſiâ, campanili, campanâ, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortellicijs, & alijs neceſſarijs officinis, in loco DE HESDIN, *Morinenſis Diæceſis, pro vſu & habitatione quarundam dicti Ordinis Monialium, quarum vna illius Abbatiſſa exiſtat, quæ vnà ſub regulari obſeruantia dicti Ordinis, ac perpetuâ clauſurâ, & arctiſſimâ paupertate viuere deberent, de nouo cōſtruere & ædificare, ſeu quoddam in eo loco, per dilectum filium Guidonem* GVILBAVLT, *dilecti filij Nobilis Philippi, Ducis Burgundiæ, Theſaurarium, ad ſimiles vſum & habitationem inchoatum monaſterium, vlteriùs perficere, aut conſtrui, erigi, ſeu perfici facere proponit pariter & intendit, ſi & ſuper hoc Apoſtolica ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dictæ Duciſſæ n... fuit humiliter ſupplicatum, vt propoſito ſuo annuere, & aliàs ſup... hoc oportunè prouidere, de auctoritate Apoſtolicâ dignaremur: Nos igitur qui Religionis propagationem huiuſmodi, noſtris potiſſimè temporibus vigere, intenſis deſiderijs affectamus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ, per Apoſtolica ſcripta mandamus, ſi eſt ità, & tibi conſtiterit, quod locus prædictus ad id aptus & accommodatus*

existat, præfatæ Ducissæ, vnum Monasterium cum Ecclesiâ, Campanili, Campanâ, Claustro, Dormitorio, Refectorio, Hortis, Hortellicijs & alijs officinis prædictis, de nouo construendi & erigendi, seu iam incœptum Monasterium huiusmodi ad debitam perfectionem deducendi, & faciendi, pro vsu tantùm & habitatione perpetuis Abbatissæ, & Monialium prædictarum, quæ inibi sub obseruantiâ clausum & paupertate huiusmodi perpetuò viuere debeant, nec non ipsis Monialibus illud recipiendi, & in eo perpetuò permanendi, plenam & liberam potestatem auctoritate Apostolicâ largiaris. Nos enim, si licentiam per te vigore præsentium concedi, & Monasterium huiusmodi perfici contingat; Abbatissæ & Monialibus in dicto Monasterio, pro tempore degentibus, eique seruientibus personis, vt ipsæ & earum singulæ quibuscunque priuilegijs, exemptionibus, libertatibus, prærogatiuis, indultis, & alijs gratijs dicti Ordinis S. Claræ de Obseruantiâ, huiusmodi Monasterijs, locis, Abbatissis, Monialibus, & personis per sedem Apostolicam, vel aliàs generaliter cõcessis vti valeant pariter & gaudere, auctoritate prædictâ, tenore præsentium, indulgemus. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ 1437. V. Cal. Iul. Põtificatus nostri anno septimo.

Porrò sacras illas Ædeis Sancta Coleta prima incoluit, collectis aliquot Virginibus ex licentiâ Gulielmi de Casali, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Ministri, velut hoc eius rescriptum demonstrat.

Christo Deo deuotæ Sorori Coletæ, in sponso Virginum gratiâ & meritis prædicatæ, Filiæque nostræ charissimæ, Frater Gulielmus de Casali, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, ac sacræ Theologiæ Magister, salutem ac pacem in Domino sempiternam. Cùm Illustrissimus Princeps & Dominus, Dominus Philippus, Dux Burgundiæ, ad Dei laudem & gloriam, & ob S. Claræ reuerentiam, eiusque S. Religionis propagationem, & diuini cultus augmentum, nec non & pro animarum salute, quoddam Monasterium auctoritate Apostolicâ, & de consensu Domini Diœcesani construi & ædificari in villâ de Hesdinio, situatâ in Morinensi Diœcesi, & infra temporale Dominium prædictorum fecerunt: hinc est quòd, tenore præsentium, vobis, de cuius vitâ laudabili & prudentiâ plenè confido, & sororibus vestris, ac fratribus pro vestrâ curâ & administratione deputatis, concedo auctoritatem & licentiam, ad præfatam villam accedendi, cum comitatiuâ decente, ac dictum Monasterium recipiendi, & in eo habitandi & remanendi, ac ibidem perpetuò Domino Iesu Christo famulandi. Mandamus omnibus per

obedien-

obedientiam salutarem, quatenùs vos in præfatâ auctoritate & licentiâ, nullatenùs impedire audeant. Vale in Christo Iesu, & ora pro me. Datum Iannæ, anno Domini 1440. tempore nostri Capituli Generalis ibidem celebrati.

Antistitæ eo in loco hactenùs fuerunt.

1. GVLIELMA CHRISTIANA, quam B. Coleta ex Burgundiâ illuc adduxit, & regimini admouit.
2. PANAGIA SYLVIA, Virgo Nobilis.
3. IACOBA DE SOMBRE.
4. ANTONIA DAVSTREMEPVI.
5. IOANNA BOTINA.
6. MARIA SYLVIA, V.N.
7. MARIA DV CROCQ.
8. IOANNA ISORE.
9. MARGARETA DV PONT.
10. R.D. FRANCISCA DE CANCHY, quæ hodiè præest.

Ex Monn. MSS. eius loci.

Comitia Velleris Aurei, Atrebati ad S. Andreæ ferias celebranda indicuntur; sed hoc tantùm: neque enim hoc anno, siue hîc, siue alibi sunt habita.

CHRISTI AN. 1438. — EVGEN. 4. PAPÆ AN. 6.

ANNO 1438. Moritur Hugo Cayetanus, Episcopus Atrebatensis, atque in templo suo sepultus, hoc ornatur Epitaphio:

Hîc iacet Reuerendus in Christo Pater, Dominus Hugo de Cayeu, Licentiatus in Iure Ciuili, & Præpositus S. Audomari, & indè Episcopus Atrebatensis, Consiliarius Regis, & Domini Ducis Burgundiæ, & Dominus temporalis de Cayeu, Mailly, Vrsane, & Semerpont, qui obijt decimâ tertiâ Ianuarij, anno Millesimo IIII^c. XXXVIII. *Orate Deum pro Animâ eius.*

Successor ei nominatur Fortigarius de Placentiâ, Brugensi opido in Flandris exortus, Philippi Burgundiæ Ducis primus ab Eleemosynis & Sacellanus. Hic maius templi sui altare consecrauit; domosque, Episcopalem, Mareolensem, Bebriacensem, atque Bronnensem magnis sumptibus reparauit.

Isabella Lusitana, Burgundiæ & Brabantiæ Comes, Princeps nostra fato corripitur, atque in Odeio Ecclesiæ Gosnayensium Carthusianorum, sub insigni cenotaphio sepelitur: cui loco multis beneficijs ab se collatis æternam sui memoriam meritò reliquit. *Isabella Lusitana moritur.*

Petronilla Carnellia, Ioannis Hourierij relicta, ex bonis proprijs Augustinianarum Atrebatensium cœnobium instaurat, atque natabus suis, alijsque virginibus illuc introductis, vitæ monasticæ formam restituit. *Ex vetere MS. codice eius loci.*

Annonæ Caritas. Eâdem ætate, in Artesiâ & circumfusis locis ingens annonæ caritas: quâ regnante Ioannis Abbatis Vedastini reluxit exemplaris pietas, egentioribus vili admodùm pretio, & sæpè nullo, triticum distribuentis. *Franc. Balduinus.*

Aurei Velleris Comitia, Atrebati celebranda, iterùm intermittuntur.

CHRISTI AN. 1439. ANNO 1439. Septimo Cal. Febr. Fortigarius Atrebatium Episcopus, exquisitâ pompâ vrbem ingreditur. Philippus Comes illi obuiam adusque B. Michaëlis portam progressus est, raro in Principibus fauoris & virtutis exemplo. EVGEN. 4. PAPÆ AN. 7.

Ioannes 49. Morinorum Episcopus, Patribus Concilij Florentini, sub Eugenio Papâ congregatis adsidet. Eum inter centum & tredecim qui conuenerant, vndecimum numerat Demochares libro 4. de Missæ sacrificio cap. 18.

Aurei Velleris Comitia in Brabantis habenda, in sequentem annum protrahuntur.

CHRISTI AN. 1440. *Carolus Aureliæ Dux, è custodiâ Anglicanâ educitur. Eius Nuptiæ Audomaropoli celebratæ.* ANNO 1440. Philippus Princeps, Carolum Aureliæ Ducem, prælio Azincuriano abs Anglis captum ducentis aureorum millibus numeratis, è custodiâ Anglicanâ educit: & positis odijs amicitia inter vtrumq; coalescit. Hinc Audomaropoli, ad Beati Bertini, solennia Velleris Aurei sextùm celebrantur: nuptiæque Caroli Aureliani, cum Mariâ Cliuensi, Philippi, ex Mariâ Sorore, Nepte peraguntur regio apparatu. EVGEN. 4. PAPÆ AN. 8.

Sexta Velleris Aurei Comitia. Ijs in Comitijs Aurei Velleris, demortuorum in loca surrogati fuere:

CAROLVS, Dux Aurelianus:

IOANNES, Dux Britanniæ:

IOANNES, Dux Alenconius, &

MATTHÆVS DE FOIX, Commingij Comes.

Ars Typographica inuenta. Ioannes Gutthembergius, secundum Polydorum Vergilium & Gilbertum Genebrardum, (alijs Ioannes Faustus) Equestri vir dignitate, patriâ Argentinensis, Artem typographicam, diuinâ planè inuentione, Europeis aperit.

Quâ

Quâ de re vide Garsiam, libro primo Aromatum apud Indos nascentium, c. 38. Ioannem Barrum suâ in Asiâ, Dec. 1. l. 9. c. 1. Paulum Iouium historiarum libro 19. aliosque, apud quos intelliges Chinenses, Indiæ populos, primos huius Artis fuisse inuētores. De nostris verò scripsere Polydorus Vergilius, lib. 2. de Inuent. Rerum, cap. 7. Iacobus VVimpfelingius historiæ suæ cap. 65. Philippus Bergomas lib. 15. Supplementi, Gilbertus Cognatus, lib. 3. Syluæ Narrationum, Hadrianus Iunius in Batauiæ descriptione, qui Laurentium Ioannem, cognomēto Æditum siue Custodem, Ciuem & incolam Harlemensem, prædicat huius Artis inuentorem: alijque. Ad patriam quod attinet, ex quâ fœcundissima ista mater exorta, Europæos mirificè affecit, fuisse Germaniam asserit Beroaldus, quùm cantat:

O Germania, muneris repertrix;
Quo nil vtilius dedit vetustas,
Libros scribere quæ doces premendo.

Ferunt libros S. Augustini de Ciuitate Dei, & Lactantij Firmiani de diuinis Institutionibus, fuisse primos, qui typis excusi, lucem inspexerunt. *Volaterranus.* *Qui libri primò excusi.*

CHRISTI AN. 1441. ANNO 1441. Prouincialis Curia Flandrorum, dandis & capiendis consilijs Gandaui hactenùs constituta, Curtracum, iustas ob caussas, ab Principe transfertur. *Oudegherstius. Vide suprà ad annum 1180.* EVGEN. 4. PAPÆ AN. 9.

CHRISTI AN. 1442. ANNO 1442. Gandauenses ob dictæ Curiæ migrationem dolore adfecti, multis precibus ab Philippo ægrè tandem impetrant, vt priori loco restituatur. *Idem.* EVGEN. 4. PAPÆ AN. 10.

CHRISTI AN. 1443. ANNO 1443. Elizabetha, Ioannis, Gorliciensis Ducis Filia, Antonij Burgundi, Brabantiæ Ducis relicta, atque Lutcemburgensis Ducatus Princeps, mœstissimo ferens animo, quòd subditos in officio continere nullo modo posset, quin ab ijs, summis passim afficeretur iniurijs: Philippo Principi, Nepoti suo Lutcemburgensem Ducatum cedit, hâc conditione; ditionem ab hostibus securam redderet, sibique quamdiù viueret, decies mille nummos numeraret. Dictum, factum: at magno Lutcemburgensium malo, vtpote quos contumaciæ pœna grauis subsecuta sit. *Balduinus de Glen, Abbas Henniacensis in Genealogijs Belgicæ.* EVGEN. 4. PAPÆ AN. 11. *Lutcemburgensis Ducatus Philippi Principis Ditionibus accedit.*

Ludouicus Lutcemburgensis, quinquagesimus Morinorum Antistes, mortem oppetit, eique sufficitur Hen-

ricus Lotharingus. *Vide suprà in serie Episcoporum Morinensium, ad an. 530.*

Ioanne DE LA TRAMERIE, sedis Henniacensis dignitatem abdicante, Melchior Loucepisius 27. Presul nominatur, atque à Fortigario Episcopo consecratur.

CHRISTI AN. 1444. ANNO 1444. Gulielmus Lalanus, Nobilissimus in Aduaticis Equestris Ordinis Heros, Hollandiæ, Zelandiæ, atque Frisiæ præficitur. *Petitaus.* EVGEN. 4. PAPA AN. 12.

CHRISTI AN. 1445. *Septima Velleris Aurei Comitia.* ANNO 1445. Gandaui, Comitia Aurei Velleris septimùm celebrantur; in quibus, quùm hactenùs ea Ferijs Beato Andreæ sacris habita fuissent, statutum est, vt deinceps non nisi secundâ Maij cogerentur, nec trïennio frequentius. Creati fuere noui Equites EVGEN. 4 PAPA AN. 13.

ALFONSVS, Rex Arragoniæ:

FRANCO BORSALIENSIS, Austreuantij Comes:

REGINALDVS, Brederodij Toparcha;

HENRICVS BORSALIENSIS, Veriensis Regulus:

IOANNES, Dominus DV BER D'AVXY:

ANDREAS HVMIERIVS, &c.

CHRISTI AN. 1446. ANNO 1446. Sub Calendas Iulias, Arturus Richemontanus, Dux Britanniæ, Catharinam Ludouici Lutcemburgensis, S. Pauli Comitis Filiam, sibi in vxorem deuincit. EVGEN. 4 PAPA AN. 14.

Eodem anno, quartâ Decembris, Fortigarius Episcopus Augustinianarum Atrebatensium Sacellum, simul cum altari & modico earundem cœmiterio consecrat, Indulgentiasque impertit, atque eiusdem loci Priorissam, cum tribus virginibus, pullo velo obnubit. *Ex Monn. MSS. eiusdē loci.*

CHRISTI AN. 1447. ANNO 1447. Gandaui, Beata Coleta (de quâ ad annum 1437. diximus) fragilem hanc vitam cum æternâ commutat. *Meyerus;* EVGEN. 4. PAPA AN. 15.

Eius vitam vide apud Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij, quartâ Martij.

Ludouicus Cardinalis, ex bonis Ecclesiæ, primus sui Ordinis, canes & equos alere incipit. *Volaterranus & Genebrar.*

CHRISTI AN. 1448. ANNO 1448. Moritur Isabella Ghistellana, Nobilis Heroina, Gulielmi Toparchæ DE BONNIERES, Atrebatium Præfecti (qui anno 1423. è viuis excessit) vidua. Eius corpori, Beati Dionysij Sacellum, Cathedrali Beatæ Virginis Atrebatensis templo implexum, sepulcri locum præbuit, in quo cottidianum missæ Sacrificium ad eius memo- NICO. 5 PAPA AN. 1.

riam iugi tenore peragitur. In reliquis pietatis suæ monumentis, superest etiam altare, quod in Senatoriâ Atrebatium aulâ erexit, ad quod hebdomadatim quartâ & sextâ ferijs, atque Dominicâ, Sacris operaturus Sacerdos accederet, Sacellaniâ ad id ex rebus proprijs institutâ. *Ex tabulis vtriusque loci.*

Ioannes Ioffridus (qui posteà, anno scilicet 1452. Atrebatensem Episcopatum adeptus est) ab Philippo Principe Romam Orator mittitur, vt Nicolao, Pontifici initiato congratularetur: cuius oratio qualis fuerit vide virgulam censoriam Meyeri in eius Annalibus, ad hunc annum.

Petronilla, cœnobij Augustinianarum virginum apud Atrebates instauratrix, morti concedit.

CHRISTI AN. 1449 — ANNO 1449. Beatus Bernardinus, Franciscani Ordinis reformator, in Catalogum Sanctorum, ab Nicolao Pontifice refertur. Tum Audomaropoli, Dunkercæ, alijsque Flandriæ locis, cœpere ad eiusmodi reformationem variâ reparari cœnobia. *Meyerus.* — NICO. 5. PAPÆ AN. 2. *Ordo B. Francisci reformatus.*

CHRISTI AN. 1450 — ANNO 1450. Sexto Calendas Maij, Brugis obijt Nicor Gondisalui, ingenua matrona, Nutrix Illustrissimæ Principis nostræ Isabellæ Lusitanæ. Sepulta est eâdem in vrbe, apud Vestales S. Claræ. *Idem.* — NICO. 5. PAPÆ AN. 3.

Raso Grauiensis, Maleuię Toparcha, Antonio Croiacēsi Heuerlam iuxta Louanium vendit. *Diuæus l. 1. c. 4. Brabant.*

Comitia sacri Ordinis Aurei Velleris, hoc anno nusquam habita.

CHRISTI AN. 1451. — ANNO 1451. Quarto Idus Martias, Fortigarius, noster Episcopus visis litteris Apostolicis, Dauidem de Burgundiâ, in Arcis Arkensis iuxta Audomaropolim, Sacello, Tornacensem creat Episcopum, adstantibus Tullensi & Gebeldensi Episcopis. — NICO. 5. PAPÆ AN. 4.

Sexto Nonas Maias, Philippus Princeps, Velleris Aurei Comitia, Montibus Hannoniæ ad S. VValdetrudis, octauùm habet: in quibus Equitum defunctorum vices excepere, — *Octaua Velleris Aurei Comitia.*

IOANNES, Dux Cliuiæ.

IOANNES GANERVS, Comes Ariennæ.

PETRVS A CARDONIA, Comes Golizennæ.

IOANNES Lannoij Toparcha.

IACOBVS LALANVS, Bignicuriæ Regulus, &

IOANNES A NOVO CASTELLO, Montis-Acuti Toparcha.

Decimo tertio Calendas Augusti, Fortigarius Episcopus, Bethuniæ, in S. Bar-Ptolomæi, primum iacit lapidem sacelli, quod postmodùm Virgini-Matri consecratum est.

Idem ibidem, ad instantiam Præpositi, Brachium S. Bar-Ptolomæi, Ducis Burgundiæ donum, thecâ argenteâ recondidit. *Ex Regest. Capit. Atreb.*

CHRISTI AN. 1452. ANNO 1452. Nono Calendas Martias, Fortigarius Episcopus vitâ defungitur, inque templo Cathedrali, Sacello Beati Vedâsti, quod instaurauerat, sepulturæ traditur, adiunctâ marmoreo eius cippo tali Epigraphe. NICO. 5. PAPA AN. 5.

Hîc iacet bonæ memoriæ Reuerendus in Christo Pater, Dominus Fortigarius, Episcopus Atrebatensis, de opido Brugensi in Flandriâ oriundus, Philippi Ducis Burgundiæ & Brabantiæ Consiliarius, qui antea magnum Archidiaconatum Atrebatensem, & Ecclesiam S. Petri Insulensis rexit, & XXVI. die Mensis Ianuarij, Anno CIƆ.CCCC.XXXIX. *viâ spiritus sancti, à Venerabilibus suis fratribus de Capitulo Atrebatensi, vnanimiter fuit electus, & per sanctissimum Dominum Papam Eugenium* IV. *pronuntiatus & confirmatus: & deindè sanctæ VValburgis Furnensis, ac etiam in VVest-frigiâ, in Ecclesiâ Traiectensi Præposituras pacificè possidens, & Protocapellanus & Eleemosynarius prædicti Philippi Ducis fuit. Obijt Anno* CIƆ.CCCC.LII. *die* XXI. *Mensis Februarij.*

Fortigario in Episcopatum Atrebatensem successit Iacobus à Colybriâ, vulgò DE COIMBRES, Lusitanorum Regum prosapiâ exortus, & summi Pontificis Protonotarius; quem vbi quatuor circiter menses tenuisset, mox Vlyssiponensis, seu, vt hodiè loquuntur, Lisbonensis Archiepiscopus, & titt. SS. Nerei & Achillæi Cardinalis nominatus,

Ioanni Ioffrido V. I. Doctori, ac Lexouiensi in Burgundis Abbati dignitatem resignauit: quo tempore Ioannes THIBAVLT Atrebatensem agebat Officialem.

Fortigarium Episcopum Ioannes Iuuenis 51. Morinorum Episcopus, ad fatum presso pede subsequitur, atque successorem habet Dauidem Burgundionem, qui aliquanto tempore interiecto, Traiectensis Ecclesiæ Antistes est renuntiatus.

Duobus Episcopis defunctis tertium se iungit Ioannes Bullotius, 24. Montis Eligiani Abbas, en eius Epitaphium:

Pro meritis dignus Abbatis sumere pignus,
Rexit Conuentum, sacrum monstrans documentum.
Mille quadringentos, quinquagenos simul annos,
Atque duos iunge, quo tunc discessit ab Orbe.
Fulgens vt Magnes, iacet hîc probitate Ioannes.
Gaudia Cœlorum sibi det Dominus Dominorum.

Illi in eandem præfecturam alius Ioannes, cognomento DE PINGRELEM, fuit successor: quã tenuit per annos quatuor supra triginta, & sex menses, qui ab Innocentio Octauo Pont. Max. (sedere cœpit an. 1484.) priuilegium subditis suis impetrauit, vt dum vicesimum primum ætatis annum attigerint, ad sacros possint Ordines promoueri. Verùm eiusmodi licentiam Concilium Tridentinum posteà irritauit. Idem Monasterij sui Nosocomium, siue Valetudinarium, Infirmariam vulgò appellant, curandis ægrotis construxit.

Domina Maria DE MAILLY, egregia Heroïna, Dauidis DE BREMEV, Nobilissimi Equitis coniux, Ecclesiæ B. Nicolai nostræ, in quâ hodie, translato ex vetere Ecclesiâ corpore (vide infrà ad an. 1564.) sepulta iacet, varia donaria atque possessiones, vltrò impertit, vndè ibidem cottidiè præclara ad altare, eius memoria, Missis votiuis (vt vocant) ad hoc institutis.

Instauratur templum atque Refectorium Dominicanorum Atrebatensium, quæ simul cum cœnobio, anno 1414. corruerant.

CHRISTI AN. 1453.

ANNO 1453. Melchior Henniacensis Antistes, ex Hydropisi moritur, Carolo VOITVRIER ei succenturiante. NICO. 5. PAPÆ AN. 6.

In Lusitaniâ seu Portugalliâ, nummi aurei recens percussi, in primis probi; CRVCIATI ideò dicti, quòd per hæc tempora Lusitanis venia à Pontifice concessa sit, vt Cruce signati, aduersus Christiani nominis hostes arma sumerent. *Ioannes Mariana de Rebus Hispan.*

Origo Nũmûm Portugallorũ.

CHRISTI AN. 1454.

ANNO 1454. Philippus Princeps rebus Patriæ compositis, contra Turcas moturus, conuocatis Artesiæ Ordinibus, centum viginti aureorum coronatorum millia, stupentibus cunctis, expôscit: verùm non amplius 56. (Meyero 42.) Ordines obtulerunt: hâc tamen lege, vt nihil penderent, nisi in Turcas proficisceretur. Respondit Dux, nihil aliàs se velle. *Ex Archiuis Atreb.* NICO. 5. PAPÆ AN. 7.

Auxilia Philippo Principi ab Artesiæ Ordinibus concessa.

Philippus Princeps Concilium perpetuũ caussis quum Ciuilibus tum capitalibus audiendis & definiendis in Belgicâ instituit.

ANNO 1455. *Philippus Belgarum Princeps, magno suorum commodo,* (agnosce Miræi nostri stylum) *perpetuum instituit Concilium, cui Præsidem & Procuratorem Principis (Generalem vocant) dedit, suamque semper Senatores aulam sequi voluit, hac ratione, subditorum lites, per appellationem cogniturus, & quæ alicuius forent momenti, suo iudicio finiturus; quùm anteà pugnis & latrocinijs dissidentes inter se homines, ius suum tueri essent soliti, infirmiores verò à potentioribus semper opprimerentur. Senatus ac Curia Parisiensis (Parlamentum Franci vocant) ægerrimè institutionem noui Concilij tulit, quòd Flandri atque Artesij, magno Iurisperitorum Parisiensium quæstu, in eius vrbis Curiâ, per appellationem litigare essent assueti. Verùm Philippus in proposito perstitit, nec tamen cuiquam appellare ad Parisienses prohibuit.* Hæc Miræus, nec absimiliter Marchantius, etiam & Meyerus, nisi quòd eiusmodi institutum ad annum 1454. reuocet.

Festum Reliquiarum Atreb.

Festiuitas Reliquiarum Atrebatensium, quæ secundâ à Paschate Dominicâ celebratur, cum singulis Octauæ ferijs, à Calisto Pontifice, Indulgentijs ornatur. Calisti seu Calixti produco diploma:

CALIXTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI;

Vniuersis Christi fidelibus, præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Si populus Israëliticus, qui sub vmbrâ legis, frequenter accedens oraturus ad locum, quem Dominus elegit, vota sua, & donaria plurima ibidem offerebat; tantò fortiùs populus Christianus, cui apparuit benignitas & humanitas Saluatoris, tenetur Ecclesias, præcipuè Cathedrales, in quibus Christus, ad abolendam criminum nostrorum corruptelam, immolatur quotidiè, congruis honoribus frequentare, & offerre munera, cum animi puritate, quantò certiora sunt experimenta rerum, quàm ænigmata figurarum. Cùm itaque, sicut accepimus, in Ecclesiâ Atrebatensi, quæ mirificâ ædificiorum fabricâ, constructa est, atque preciosissimis sanctorum Reliquijs, capsis & iocalibus decorata, inter cætera, quoddam VAS, *insigne auro, argento, & gemmis coruscans existat, in quo non modica* CRVCIS, *in quâ* SALVATOR NOSTER *se obtulit Patri hostiam viuam, particula, &* VELVM, *quo caput suum texit intemerata Virginitas: nec non* CINGVLVM, *quo vterus Virginalis, Templum Dei, Sacrarium Spiritus-sancti, circum-amictus erat: ac de illo* MANNA, *quod velut Lanam Albam, pluuiâ mixtam, apud Atrebatas, è cælo defluxisse celebres testantur auctores,*

Lignum S. Crucis. B. Virginis Velum & Cingulum. Manna.

recondita sunt: quodque propter singularem sui æstimationem vniuersus illius, aliarumque Regionum populus FERETRVM S. MANNÆ *nominat & veneratur. In cuius descensu confluunt cateruatim habitatores regionis, piâ existimantes deuotione, suas animas gratiam, terramque rore & pluuiâ, ad fructus suos ministrãdos, diuinâ misericordiâ, aptiores esse. Quibus præmissis, vt similiter accepimus, tradidit antiquitas, vsque ad moderna tempora protẽsa, quòd olìm populo fame pereunti in Regione Atrebatensi, Dominus misericorditer visitans illam, hoc Manna demisit ab alto: ex cuius præsentiâ, terra priùs arida & sterilis, fertilis effecta est valdè, & ipse populus saturatus, pane quasi de cœlo misso, cuius portionem, ne memoriam tanti beneficij, vlla deleret oblinio, in loculo illo precioso Patres eorum seruauerunt, ad instar Moysi famuli Dei, qui, præcepto eius, ex Mannâ, Patribus in deserto cælitus concesso, Gomor in vrnâ aureâ reposuit, vt seruaretur in futuras retrogenerationes. Et vt has Dei miserationes, Incolæ regionis cantent memoriter & teneant, Dominicâ, quâ in sanctâ Dei Ecclesiâ, in Introitu Missæ canitur:* MISERICORDIA DOMINI PLENA EST TERRA, *&c. Ipsa Atrebatensis Ecclesia suarum Reliquiarum, atque huius diuinissimi muneris, sancti scilicet Mannæ solennia deuotissimè celebrat, submittendo, cum gaudio, reuerenter capsam ipsam, horâ Nona vigiliæ præcedentis, eamque per totas Octauas contrectari, oscularique à populo permittens: ac vbi die octauo diuinum Officium decenter exsoluit, suo in loco, cum iubilo diuinæ laudis deuotissimè reponitur.*

Nos igitur cupientes, vt ipsa Ecclesia, cui, sicut Venerabilis Frater, Ioannes Episcopus Atrebatensis, Referendarius noster, & dilecti filij Præpositus, Decanus & Capitulum dictæ Ecclesiæ nobis exposuerunt, licet per has Octauas ipse populus olìm offerret munera pretiosa, vt Ecclesia memorata integra consisteret, & ne vllâ ex parte pateretur ruinam: nihilominus tamen, instantibus nouissimis temporibus, populi charitas adeò refriguit, quòd eorum oblationes, ac eius Ecclesiæ facultates, quæ exiguæ sunt, ad reparationem & manutentionem tam altæ Fabricæ, tamque mirificæ, quæ mammillâ Regum, & lacte populi retroactis sæculis nutrita, integra permanebat, non suppetant: quin imò ad hoc Christi fidelium suffragia sunt quamplurimùm opportuna, à populo prædicto ac alijs fidelibus, congruis honoribus frequentetur, & etiam pijs eorundem suffragijs, in suis structuris reparetur, pariter & conseruetur, & ipse populus ac alij Christi fideles, eò libentiùs

caussa deuotionis confluant ad eandem & ad illius reparationem, restaurationem, & conseruationem, manus promptiùs porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ vberiùs conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordiâ, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui in Vigiliâ memoratæ Dominicæ, nec non ipsius, ac Corporis Domini nostri Iesu Christi, ac Assumptionis & Natiuitatis B. Mariæ Virginis festiuitatum, diebus, quibus illud pretiosissimum Feretrum, per populum & fideles ipsos venerandum submittitur, & per singulos dies Octauarum earundem festiuitatum, nec non alijs diebus, quibus etiam ipsum Feretrum ob aliquā caussam, iudicio & arbitrio dicti Capituli rationabilem deorsùm mittetur, eandem Ecclesiam deuotè visitauerint annuatim, & ad reparationem ac conseruationem huiusmodi, manus adiutrices porrexerint (vt præfertur) pro singulis diebus præfatis, quindecim annos & totidem quadragenas, de iniunctis ijs pœnitentijs, misericorditer in Domino relaxamus; præsentibus post quinquaginta annos minimè valituris. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1455. 17. Cal. Iulij, Pontificatus nostri anno primo. Hactenùs ibi, vide Marialis nostri librum 5. cap. 28. & hîc suprà, ad an. 1286.

Mausolæum ab Philippo Principe, Lilæ, quibus apparatū.

Philippus Princeps, Lilæ in S. Petri Sacello Virgini-Matri nuncupato, superbissimum Mausolæum Maioribus suis, Ludouico & Margaretæ, Flandriæ atque Artesiæ Comitibus, Iacobo Bruxellano opifice, curat eleuari.

Ægidius, Marcolensis cœnobij Archimandrita, Ecclesiæ suæ princeps altare; abaco seu tabulâ, vt vocant, & Odeium Canonicorum subsellijs exornat.

Moritur Carolus Henniacensis 28. Antistes, eumque in dignitatem subsequitur Abel Canetus, ex villâ Montigniacensi oriundus, cuius Frater, Nicolaus nomine, Fanopinense rexit Monasterium.

CHRISTI AN. 1456. *Nona Velleris Aurei Comitia.* — CALIXI. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1456. secundā Maij Philippus Princeps, apud Hagam Comitis in Batauis vbi agit, conuocatis Velleris Aurei Equitibus, Comitia nonùm celebrat, in quibus demortuorum partes suscepere, qui sequuntur.

IOANNES BVRGVNDVS, Comes Stampensis.

ANTONIVS, Nothus Burgundiæ, Comes Rochensis, in Arduennâ.

ADOLPHVS CLIVENSIS, Rauestaini Regulus, &

IOANNES DE COYMBRE, Regni Cyprij Prorex.

Idem Princeps Atrebati, Hieronymianarum virginum Gynæcæo, anno 1430. inchoato, quasdam ædes, ampliando illi percommodas, piâ liberalitate impertit.

Abel, Henniacensis Antistes, dum instat operis, ab summo templi fastigio lapsus, moritur, Ioanne BRETON, Marcolensis Monasterij Canonico, successore.

[Ludouicus Delphinus Patre Rege profugus, apud Philippũ Principẽ degit.]

[* Fuit posteà Galliæ Rex huius nominis XI.]

Ludouicus * Galliæ Delphinus, Patri Carolo VII. Galliæ Regi infensus, ad Philippum Principem confugit, & annos quinque apud Belgas humanissimè est habitus, at magno nostro malo & damno, quod posteà sensimus.

[Festum Transfigurationis institutum.]

Calixtus Pont. Max. Festum Transfigurationis Iesu Christi instituit, ad VIII. Idus Aug. ob victoriam de Mahumete Turcâ, hoc anno ad Belgradum, seu Taurinum opidum, quod nunc Albam vocant, reportatam. Idem eiusdem diei Ecclesiasticum ordinauit officium.

[CHRISTI AN. 1457.] [CALI. 2. PAPÆ AN. 3.] [Natalis Mariæ Burgũdæ]

ANNO 1457. Idibus Februarij, Maria Burgunda XIII. Artesiæ Comes futura, Bruxellæ nascitur, Carolo Audace Comite & Elizabethâ parentibus. Illam è sacro fonte suscepere, Ludouicus Delphinus, Elizabetha Lusitana, Auia paterna; & Beatrix Amita, Adolphi Cliuij, Rauestaini Toparchæ Vxor. *Heuterus*.

Pridiè Calendas Aprileis, Ioãnes Ioffridus, Atrebatensis Episcopus, parœcialem Ecclesiam B. Virginis, anno circiter 1148. (vt suprà diximus) Atrebati erectam, atque postmodùm instauratam (vulgò Capellam in horto nominant) eidem Sacrę Virgini Matri, atque Sanctis Hieronymo & Vedasto nuncupat.

[* Gal. Bailleul-lemont.]

Eodem anno in vetere Atrebatium Ciuitate, virginum cœnobium, Beatæ Claræ institutum sectantium, ab N. V. Philippo Saueusio, Ballioli-Montis*, Saueusij, & Houuinij Toparchâ, & Dominâ Mariâ DE LVLLY, coniuge adparatur: Calisti Tertij Pontificis Max. diploma, de illo exstruendo, ita habet:

CALISTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, VENERABILI FRATRI EPISCOPO ATREBATENSI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pijs Fidelium votis gratum nos decet præstare consensum; vt ad ea, quæ ipsorum salutem animarum, nec non Religionis propagatio-

nem, diuinique cultus augmentum respiciunt, optatum sortiantur effectum, libenter interponimus solicitudinis nostræ partes. Sanè pro parte dilecti Filij Nobilis viri Philippi DE SAVEVSES, *Domini locorum* DE SAVEVSES, DE BAILLOEVLLEMONT, *&* DE HOVVIN, *Ambianensis, Atrebatensis, & Morinensis Dioc. ac dilectæ in Christo Filiæ, Nobilis mulieris, Mariæ* DE LVLLY, *eius vxoris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd ipsi nouiter cupientes terrena in cælestia, & transitoria in æterna, fælici commercio commutare, de bonis à Deo sibi creditis, ob singularem deuotionem, quam ad Ordinem sanctæ Claræ gerunt, quandam domum cum Ecclesiâ, altaribus, nec non campanili, campanâ, claustro, refectorio, cæmiterio, hortis, hortalicijs, & alijs necessarijs officinis, pro vsu & habitatione Monialium dicti Ordinis, ibì perpetuò, sub regulari obseruantiâ, Altissimo famulaturarum, sumptuoso opere fundari & ædificari inceperunt, & opus inceptum huiusmodi, ad statum debitum perducere corde gerunt & proponunt, si eis desuper Apostolicæ sedis suffragetur auctoritas. Quare pro parte Philippi, asserentis quòd charissimi in Christo Filij nostri, Caroli Francorum Regis Illustris, ac dilecti Filij, Nobilis Viri Philippi, Ducis Burgundiæ Consiliarius & Cambellanus existit, nec non Mariæ prædictorum, nobis fuit humiliter supplicatum, vt eis super ijs, opportunè prouidere, de auctoritate Apostolicâ dignaremur.*

Nos igitur qui diuinum cultum, nostris præcipuè temporibus adaugeri, & Ordinem ipsum intensis desiderijs affectamus, piumque propositum Coniugum prædictorum, in hac parte plurimùm in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs si est ita, eisdem Philippo & Mariæ domum ipsam cum Ecclesia, campanili, campana, altaribus, claustro, refectorio, horto, hortalicijs, & alijs necessarijs officinis huiusmodi, dummodò tuus, & dilectorum filiorum Capituli Ecclesiæ tuæ Atrebatensis, ad id expressus accedat assensus, perficiendi, construendi & ædificandi, siue perfici, construi & ædificari faciendi, nec non Monialibus prædictis, illam pro earum vsu & habitatione huiusmodi, recipiendi, retinendi & inhabitandi, auctoritate nostrâ licentiam largiaris, non obstantibus felicis recordationis, Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, & alijs Apostolicis constitutionibus contrarijs quibuscunque: iure tamen parœcialis Ecclesiæ, & alterius cuiuslibet in omnibus semper saluo. Nos enim, si licentiam ipsam per te concedi contigerit, vniuersis & singulis Monialibus, in ipsâ constituendâ domo pro tempore degentibus, quòd

omnibus

omnibus & singulis priuilegijs, exemptionibus, libertatibus, gratijs & immunitatibus quibuslibet Præfato Ordini, & ipsius domibus, nec non personis eorundem, per Sedem Apostolicam, & aliàs quomodolibet generaliter concessis, vti & gaudere liberè & licitè valeant, eadem auctoritate, tenore præsentium indulgemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, annò Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo septimo, tertio Idus Aprilis. Hactenus ibì.

Huic diplomati Pontificio etiam Ioannis Episcopi indultum adiunctum est, quod hîc adnotare nil necessarium.

Porrò Antistitarum eius loci hic est catalogus.

1. Catharina Calonnensis.
2. Margareta Mauguieria.
3. Agnes VBY; obijt an. 1491. initio Maij.
4. Laurentia DV MONCHEL, decessit an. 1505. quo eius Gynæcæi Virgines Peronā migrarunt, indè Cameracū.
5. Ioanna LOTERIER: defuncta est an. 1520.
6. Antonia BRIEL: obijt an. 1528.
7. Maria DE BACQVEVILLE: decessit anno 1558. 2. Octob. die S. Claræ Translationi sacrâ, ætatis 72. præfuit annis 30.
8. Gabrielis DE BRVAY: obijt an. 1564.
9. Maria à Monte S. Eligij: obijt an. 1568. ætatis 61. actis in Religione 47.
10. Paschasia PIERCHON: obijt an. 1590.
11. Magdalena DE PARADIS: obijt an. 1594.
12. Catharina GOTRAM: obijt an. 1596.
13. Iodoca LALLOVX, obijt an. 1604.
14. R. D. Ioanna MONVOISIN, hodiè superstes.

Primæ Atrebatium Virginum, quæ inibì Ordinem professa est, Clara DE LONGEVAL erat nomen.

Eadem ferè tempestate, Sacellum Beatæ Annæ, in vetere Atrebatium ciuitate, fundatum est per N. Christianam, Andreæ Christiani, primi Claristarum Prouinciæ Gallicanæ Visitatoris, qui apud easdem Virgines quiescit, Germanam. PII 2. PAPÆ AN. 1.

CHRISTI AN. 1458. ANNO 1458. Quidam, Conradus nomine, Artem Typographicam, Romam transfert: quam deindè Nicolaus IENSON Gallus, mirum in modum primus illustrauit. *Polydorus Verg. Vide suprà ad an. 1440.* *Typographia Romā translata.*

Vgellæ

Vgellæ Comitatus, Caroli Artesij, cui Philippus Bonus Pater, gratiâ, mense Augusto, in Pariatum, vt vocant, per Carolum septimum Regem erigitur.

CHRIST. AN. 1459. ANNO 1459. Nascitur Maximilianus, Imperator atque Artesiæ Comes futurus. PII 2. PAPÆ AN. 2.

Perna oppidulũ Artesiæ flammis corripitur. Perna, peruetustum in S. Pauli Comitatu opidum, exiguum id quidem, verumtamen loci genio amœnum, scaturientibus aquis irriguum, arbustis caput attollẽtibus frondosum, luxuriantibus pratis fœcundum, & templo suo imprimis, montis vertici imposito conspicuum, luctuosum incendium patitur, igni ex suburbio in vrbem transuolãte.

CHRIST. AN. 1460. Ludouicus XI. fit Gallorum Rex. ANNO 1460. Carolo septimo Gallorum Rege Iulij 24. defuncto, Ludouicus XI. eius Filius Regni sceptrum apiscitur. Coronatus est Remis, Festo die Assumptionis Virgineę, Philippo Bono Belgarum Principe pompam comitante. PII 2. PAPÆ AN. 3.

Castrũ S. Martini iuxta S. Pauli Fanũ instauratur. Gosuinus DE BAILLOEVL, Gosuini Primogenitus, Equestri dignitate, velut Parens & Ataui, ornatus, & Ægidia DE SAVEVSE, Boni Saueusij etiam Equitis, Domini DE BAYS, SAVIE &c. Opidi Bethuniensis Præfecti Filia, prioris Gosuini coniunx, Castrum cui à S. Martino nomen, iuxta S. Pauli Fanum, præstanti operâ instaurant. Lympidissimis id aquis ambitur, Thernâ fluuio (Moláno Thenâ) iuxtim fœcundæ scaturiginis continuo hiatu & vomitu frigidam eructante; atque liquidum iter auspicante. Cæterùm quâ perflat Aquilo, quàque Phœbus, vocantibus equis inclinat; commodùm montes è regione arrecti, quorum vertices densissimis nemorum horrescunt comis, ne quid eæ plagæ noceant, pari conatu certare conspiciuntur: & ipsæ arbores colludentibus ramis, suauique murmure; aues volatu & garritu: feræ excursu atque recursu turmatim alternante, perpetìm & ad satiem afficiunt ac recreant. Quin ipsæ hortenses Insulæ, vbi susurrantium vndarum sese expandit sinus, ad Persicas aut Romanas delicias, mirâ odorum fragrantiâ, & variegatâ colorum copiâ, omnigenis per areolas & puluillos distinctis floribus, parem gratiam pariter euaporant & aëra perfundunt: Oriente atque Austro, quibus id loci facilè patet, mollem tepidùmque spiritum adflantibus. Ibì abs olìm Balliolanorum Heroüm iugis constitit ædes & sedes, ho-

diéque incolitur ab Illustrissimis DD. Maximiliano DE BAILLOEVL & Christinâ DE LANNOY, pari coniugum, qui nihil prius duxerunt, ac præstantibus ibi operis, singularem testari, Maiorum suorum exemplo, pietatem: in quibus elucet Sacellum, ad B. Virginis Sichemiensis prototypum & nomen, in montis edito iugo nuper constructum, ad quod per nemoris medium triplici viâ itur est, auulsis & eradicatis arboribus vepribusque, aperiendo itineri obnoxijs; eâ verò præstantiâ, vt ex longinquo in decliui castrum intueatur facilè, ductis in directum vtrinque lineis, quas insident pari ordine, tonque quadruplici, quercus; vlmi, fraxini, & id genus arborum, non sine ingenti voluptate spectantium, quod & nos mirati sumus; mixtam nempè cum pietate gratiam, & sacram B. Virginis Iconem prætereuntium animos percutientem & ad se velut attrahentem. Ad eius montis pedes amœnus hortus expatit, cui sint impares illi Hesperidum, Alcinoi, & pensiles Assyriorum. Castrum nouis cottidiè ædificijs accrescit & illustrescit. *Vide supra, ad an. 1294. & infra ad ann. 1473. & 1564.* Sacellum nouū Dinæ Zichemensis.

CHRISTI AN. 1461. ANNO 1461. Audomaropoli, in S. Bertini, Philippus Bonus toto triduo Velleris Aurei Solennia, decimum & vltimum celebrat. In ijs defunctorum nomina hæc fuere, PII 2. PAPÆ AN. 4.

IOANNES, Rex Arragoniæ & Nauarræ; Decima Velleris Aurei Comitia, Audomaropoli celebrata.

ADOLPHVS, Geldriæ Dux;

THEOBALDVS, Noui-Castri Toparcha;

PHILIPPVS POT, Rupellæ Dominus;

LVDOVICVS BRVGENSIS, Gruthusij Regulus, &

GVIDO, Roïæ Dynasta.

CHRISTI AN. 1462. ANNO 1462. Ioannes Ioffridus Episcopus Atrebatensis, in Purpuratorum Patrum numerum assumitur, atque Albanensi donatur Episcopatu. PII 2. PAPÆ AN. 5.

Ioffrido in Atrebatensem Ecclesiam successit Petrus Ranchicurtius, Protonotarius Apostolicus, ac primus Ambianensis opidi Cancellarius. Hic diœcesim rexit totos triginta sex annos, magnâ cum laude prudentiâque, inter varias, quas isto temporis tractu Atrebatum perpessum est, molestias militares.

Ioannes LE CLERCQ, laudatissimi Vedastini cœnobij Abbas, de medio per mortem tollitur. Successit Ca-

Vgellæ Comitatus, Caroli Artesij, cui Philippus Bonus Pater, gratiâ, mense Augusto, in Pariatum, vt vocant, per Carolum septimum Regem erigitur.

CHRISTI AN. 1459. ANNO 1459. Nascitur Maximilianus, Imperator atque Artesiæ Comes futurus. PII 2. PAPÆ AN. 2.

Perna Opidulũ Artesiæ flammis corripitur.

Perna, peruetustum in S. Pauli Comitatu opidum, exiguum id quidem, verumtamen loci genio amœnum, scaturientibus aquis irriguum, arbustis caput attollẽtibus frondosum, luxuriantibus pratis fœcundum, & templo suo imprimis, montis vertici imposito conspicuum, luctuosum incendium patitur, igni ex suburbio in vrbem trãnsuolãte.

CHRIST AN. 1460. ANNO 1460. Carolo septimo Gallorum Rege Iulij 24. defuncto, Ludouicus XI. eius Filius Regni sceptrum apiscitur. Coronatus est Remis, Festo die Assumptionis Virgineę, Philippo Bono Belgarum Principe pompam comitante. PII 2. PAPÆ AN. 3.

Ludouicus XI. fit Galliarum Rex.

Castrũ S. Martini iuxta S. Pauli fanũ instauratur.

Gosuinus DE BAILLOEVL, Gosuini Primogenitus, Equestri dignitate, velut Parens & Ataui, ornatus, & Ægidia DE SAVEVSE, Boni Saueusij etiam Equitis, Domini DE BAYS, SAVIE &c. Opidi Bethuniensis Præfecti Filia, prioris Gosuini coniunx, Castrum cui à S. Martino nomen, iuxta S. Pauli Fanum, præstanti operâ instaurant. Lympidissimis id aquis ambitur, Thernâ fluuio (Moláno Thenâ) iuxtim fœcundæ scaturiginis continuo hiatu & vomitu frigidam eructante; atque liquidum iter auspicante. Cæterùm quâ perflat Aquilo, quáquè Phœbus, vocantibus equis inclinat; commodùm montes è regione arrecti, quorum vertices densissimis nemorum horrescunt comis, ne quid ex plagæ noceant, pari conatu certare conspiciuntur: & ipsæ arbores colludentibus ramis, suauique murmure; aues volatu & garritu: feræ excursu atque recursu turmatim alternante, perpetìm & ad satiem afficiunt ac recreant. Quin ipsæ hortenses Insulæ, vbi susurrantium vndarum sese expandit sinus, ad Persicas aut Romanas delicias, mirâ odorum fragrantiâ, & variegatâ colorum copiâ, omnigenis per areolas & puluillos distinctis floribus, parem gratiam pariter euaporant & aëra perfunduut: Oriente atque Austro, quibus id loci facilè patet, mollem tepidùmque spiritum adflantibus. Ibì abs olìm Balliolanorum Heroüm iugis constitit ædes & sedes, ho-

direque incolitur ab Illustrissimis DD. Maximiliano DE BAILLOEVL & Christinâ DE Lalain in pari coniugum, qui nihil priùs duxerunt, ac præstantibus ibi operis, singularem testari, Maiorum suorum exemplo, pietatem: in quibus elucet Sacellum, ad B. Virginis Sichemiensis prototypum & nomen, in montis edito iugo nuper constructum, ad quod per nemoris medium triplici via itur est, auulsis & eradicatis arboribus vepribusque, aperiendo itineri obnoxijs; eâ verò præstantiâ, vt ex longinquo in decliui castrum intueatur facilè, ductis in directum vtrinque lineis, quas insident pari ordine, eoque quadruplici, quercus; vlmi, fraxini, & id genus arborum, non sine ingenti voluptate spectantium, quod & nos mirati sumus; mixtam nempè cum pietate gratiam, & sacram B. Virginis Iconem prætereuntium animos percutientem & ad se velut attrahentem. Ad eius montis pedes amœnus hortus expatiat, cui sint impares illi Hesperidum, Alcinoi, & pensiles Assyriorum. Castrum nouis cottidiè ædificijs accrescit & illustrescit. *Vide suprà, ad an. 1294. & infrà ad ann. 1473. & 1564.*

Sacellum nouũ Diuæ Zichemensis.

Christi An. 1461. Pii 2. Papæ An. [illegible]

ANNO 1461. Audomaropoli, in S. Bertini, Philippus Bonus toto triduo Velleris Aurei Solemnia decimum & vltimum celebrat. In ijs defunctorum nomina qui obierant fuere,

IOANNES, Rex Arragoniæ & Nauarræ;
ADOLPHVS, Geldriæ Dux;
THEOBALDVS, Noui-Castri Toparcha;
PHILIPPVS POT, Rupellæ Dominus;
LVDOVICVS BRVGENSIS, Gruthusij Regulus; &
GVIDO, Roiæ Dynasta.

Decima Velleris Aurei Comitia, Audomaropoli celebrata.

Christi An. 1462. Pii 2. Papæ An. 5.

ANNO 1462. Ioannes Ioffridus Episcopus Atrebatensis, in Purpuratorum Patrum numerum assumitur, atque Albanensi donatur Episcopatu.

Ioffrido in Atrebatensem Ecclesiam successit Petrus Ranchicurtius, Protonotarius Apostolicus, ac primus Ambianensis opidi Cancellarius. Hic dioecesim rexit totos triginta sex annos, magnâ cum laude prudentiâque, inter varias, quas isto temporis tractu Atrebatum perpessum est, molestias militares.

Ioannes LE CLERCQ, laudatissimus Vedastini cœnobij Abbas, de medio per mortem tollitur. Successit Ca-

rolus Burbonius, Archiepiscopus Lugdunensis & Primas Galliarum, ac denique Cardinalis tit. Sancti Martini in montibus. *Præfuit rebus*, (verba sunt Chronici Vedastini) *totis viginti sex annis, tempestate primò variâ, tum summis obnoxiâ procellis, quâ paucas calamitosiores, à condito monasterio, hæc congregatio experta est: paucissimas, quæ bonis disciplinæ, & antiquæ pietati magis officerent: dum ab Heluetijs occiso Carolo Burgundione, Ludouicus XI. Gallorum Rex, tyranno persimilis, cepit Atrebatum, egit in exsilium Atrebates, communiterque nostros solum vertere iussit: cum quibus exsulatum abijt pietas, adductis huc Monachis, qui moribus erant corruptissimis: inter quos primam palmam ferebant Vicarij huius Burbonij, qui omnia domi perdiderunt: vt ab exsilio regressis nostris infiniti fuerit negotij curare, quantum exteri pepererint mali.* Hæc ibi. Vide infrà ad annum 1479.

CHRISTI AN. 1463. *Opida Ludouico Regi ab Philippo Princ. reddita.*

ANNO 1463. Ludouicus XI. Galliæ Rex, numeratis Philippo Principi quadraginta aureorum millibus, Bononiensem & Pontiniacensem Comitatus, ad hæc Ambianum, Corbeiam, Peronam, Quintinopolim, aliaque ad Somonam Fl. opida recipit. PII 2. PAPÆ AN. 6.

CHRISTI AN. 1464. *Ludouicus Rex venit Atrebatum.*

ANNO 1464. Nono Calendas Februarij, Ludouicus XI. Rex, & Carolus eius Frater, Atrebatum veniunt, vbi maior vrbis campana (ALBAM vulgò vocant, aliàs DESIDERATA) septemdecim ampliùs millibus pondo grauis, quùm Regij honoris gratiâ pulsaretur, quorundam incuriâ, rupta est. Verùm enimuerò illi pòst paulò in integrum restitutæ per circuitum eiusmodi impressere versus: PII 2. PAPÆ AN. 7.

Desiderata vocor, Millena facta sub anno,
Quadringenteno, sexageno quoque quarto;
Rex Ludouicus cum primùm venerat istuc.
Sed libertates confirmans Atrebatenses,
Bannitis villæ regressum non dedit ille.
Burgundosque .... Philippo
Artesij Comite, quoque pluribus & dominante.
Præsul erat Petrus, de Ranchicourtque vocatus.

CHRISTI AN. 1465. *Natalis Desiderij Erasmi Roterodami.*

ANNO 1465. 7. Cal. Nou. Roterodami Batauorum, nascitur Gerardo Goudano patre, Desiderius Erasmus, rei litterariæ instaurator in Belgicis futurus. De quo vide Auberti Miræi Elogia Belgica: Petri Opmeri Chronicon recens Antuerp. excusum & hîc ad an. 1536. PAVLI 2. PAPÆ AN. 1.

Isabella Borbonia, Caroli Audacis vxor, Antuerpiæ moritur, & in Diui Michaëlis cœnobio Ordinis Præmonstratensis sepelitur, in choro, ante aram summam, MARIA filiâ vnicâ relictâ, Principe nostrâ, & Maximiliani Imp. coniuge futurâ. — *Isabella Caroli Audacis vxor, moritur.*

CHRISTI AN. 1466. ANNO 1466. Ioannes Lucemburgensis, Nothus Comitis S. Pauli, Habourdini Regulus, morbo correptus diem suum obit, vir bello egregius, atque Ordinis Velleris Aurei Eques. — PAVLI 2. PAPÆ AN. 2.

CHRISTI AN. 1467. ANNO 1467. Decimâ septimâ Calendas Iulias, Philippus Bonus, Burgundiæ & Brabantiæ Dux, Flandriæ & Artesiæ Comes, moritur Brugis, ætatis anno 71. Imperij 49. atque apud Carthusianos Diuionenses (quorum cœnobium Philippus Audax, eius Auus fundauerat) in familiari sepulcro reconditur; postquam Brugis in Beati Donatiani, iusta ei fuissent persoluta, mille & sexcentis in eius funere tædis ardentibus. Sepulcro appendi posset tale à nobis inuentum Chronographicum, Epitaphij loco: — PAVLI 2. PAPÆ AN. 3. *Philippi Boni Principis nostri obitus. Exequiæ.*

QVIs fLet, InqVIrIs, fVb dIVIte MaVfoLæo?
SVb CVIVs pedIbVs dIdICIt fe fVbdere GaLLVs. — *Epitaphium.*

Aliud, sed longè prolixius Epitaphium, vide apud Iac. Meyerum.

Reliquit paratæ pecuniæ quadraginta Aureorum Liliatorum millia; argenti non signati, markas, hoc est semilibras, septuaginta duas supra septingentas: atque supellectilem ad bis decies seu vicies centena Aureorum Liliatorum millia æstimatam. — *Diuitiæ.*

Prolem verò vnicam legitimam reliquit superstitem, Carolum Charoloisij Comitem ex Elizabethâ Lusitanâ, tertiâ coniuge, (Michaëlide Francicâ, & Bonâ Arteliensi sterilibus defunctis) susceptum: Nothos autem quamplurimos. Consulantur Bresinius, Marchantius, Meyerus, Heuterus, Cornelius Martinus, alijque. — *Proles.*

CAROLVS AVDAX XII ARTESIÆ COMES.

Christi An. 1467 *Carolus Audax Artesiæ Comes.* ANNO 1467. CAROLVS cognomento AVDAX, Philippi Boni & Isabellæ Lusitanæ Filius, Artesiæ Comitatum cum alijs dominijs paternis accipit. Is bellator summus fuit, ac summis Regibus formidabilis, Iustitiæ Religionisque cultor. Vxores habuit Catharinam Caroli Septimi Regis Filiam: quâ sine prole defunctâ, Isabellam Burboniam consanguineam, secundam duxit, ex quâ Mariam, vnicam hæredem suscitauit, âque etiam an. 1465. mortuâ, tertiam sibi iunxit Margaretam Anglicanam. *Eius Coniuges.* Pauli 2. Papæ An. 3.

Christi An. 1468. *Vndelima Aurei Velleris Comitia.* ANNO 1468. Decimâ septimâ Calendas Apriles, Carolus Princeps, solemni admodum pompâ Atrebatum ingressus, Artesiæ Comes inauguratur. Pauli 2. Papæ An. 4.

Idem Nonis Maij Brugis, in B. Virginis Basilicâ, Velleris Aurei Comitia, spectabili apparatu primùm habet. In defunctorum loca acciti fuere:

EDVARDVS, Angliæ Rex:

LVDOVICVS CATHALAVNENSIS, Castelli Guyonis Toparcha:

IOANNES DE DAMAS, Clessiaci Dominus:

IACOBVS BVRBONIVS, Ducis Burbonij Frater:

IACOBVS LVTCEMBVRGVS, Richeburgi Toparcha:

PHILIPPVS SABAVDVS, Brixiæ Comes:

PHILIPPVS CREVECVRIVS, Esquardæ Regulus, &

CLAVDIVS A MONTE-ACVTO, Dominus Concharum.

Christi An. 1469. *Mors Margaretæ S. Pauli Comitissæ.* ANNO 1469. Decimâ septimâ Calendas Decembres, Margareta, Petri Lutcemburgij, Fani S. Pauli Comitis, vxor, annos 76. nata, in Viridariensi, non procul Cameraco, Atrebatensis Diœcesis atque territorij asceterio, vitæ terminum figit. Iacet in Ecclesiâ Caricampensi, iuxta maritum. *Vide suprà, ad annum 1433.* Pauli 2. Papæ An. 5.

Christi An. 1470. ANNO 1470. Decimo Kal. Oct. Paschasio 27. Aroasiensis Ordinis Capite, & Cœnobij Antistite, principante, postrema apud Aroasiam fit Abbatum congregatio: atque ita quùm trecentos quadraginta nouem per annos, Pauli 2. Papæ An. 6.

ea tituli dignitas offulsisset, vt sex supra viginti Monasteria, Aroasiense velut caput aut fontem, quotannis inuiserent atque salutarent, ibidemque de rebus per totam Ordinem statuendis decernerent: nescio quo malo fato, Martis fortassè, vt in finitaneis locis talium sæpe parentis, iniuriâ; hîc demum omnis eius decor prorsùs elanguit. *Vide suprà, ad annum 1121.*

Corpora Sanctorum Luglij & Lugliani, quùm hactenùs Lilerij in Feretro ligneo quieuissent, in nouum idque argenteum, affabrè cælatum, ab Elizabethâ Lusitanâ, Philippi Boni viduâ, transferri curantur. Eorum solennè est festum apud Lilerienses, Octobris vicesimâ tertiâ. *Vide suprà, ad annum septingentesimum.* *Duodecima Velleris Aurei Comitia Hesdini.*

Hesdini, mense Augusto, Comitia, Caroli Principis iussu, celebrantur.

CHRISTI AN. 1471. ANNO 1471. Ariæ (est celebre Artesiæ opidum, vt sępè monui) moritur Elizabetha, Philippi Boni, Principis nostri vidua, Caroli Audacis mater: cuius funus in Gosnayense Carthusianarum Virginum, iuxta Bethuniam, cœnobium, delatum primò quùm fuisset, pòst paulò Diuionem translatum est, vt cum marito commune haberet sepulcrum. *XISTI 4. PAPÆ AN. 1. Obitus Elizabethæ, Caroli Audacis matris.*

Emporium Brugense in Flandris, fœlicibus auspicijs stabilitur, facto pacto inter Brugenses & Lubecenses, reliquosque Orientis mercatores. *Emporiũ Brugense constituitur.*

Floret Atrebatum vini mercatu, sexcentis vasis vel vno sabbatho, huc ex Galliâ delatis.

CHRISTI AN. 1472. ANNO 1472. Belgij Ordines adgregati, 500000. Aureorum Liliorum vectigal pollicentur Principi, quibus soluendis Atrebates pro suâ quotâ, 6000. pendere sunt iussi. *XISTI 4 PAPÆ AN. 2. Auxilia, Belgicæ Principi concessa.*

Ioannes Croyus, Quiuraniæ Dynasta, Brugis magnâ pompâ creatur ab Principe Audace, primus Chimaci, celebris apud Hannones opidi, Comes: pompam describit Marchantius in Commentarijs Flandriæ.

CHRISTI AN. 1473. ANNO 1473. Sexto Nonas Maij, Carolus Princeps, Valencenis, in Beati Pauli Apostoli sacrâ æde, Comitijs Velleris Aurei peragundis, Equites vltimùm conuocat: quorum sex morte euocatos vt comperit, aureo torque donati fuere: *XISTI 4 PAPÆ AN. 3. Decima tertia Aurei Velleris Comitia.*

FERNANDVS, Infans Hispaniarũ, Castilliæ Princeps:

FERNANDVS, Rex Neapolitanus & Siciliæ,
IOANNES AB RVBIPRATO, Beuernensis Toparcha:
IOANNES *CROYVS, Chimaci Comes: *al. Philippus.
IOANNES LVTCEMBVRGIVS, Martij Comes:
GVIDO BRIMÆVS, Meghemi Comes, & Humbercurij Toparcha:
ENGLEBERTVS, Nassauuij Comes, Bredæ Regulus, &
PHILIPPVS SABAVDVS.

Carolus Audax Princ. fit Geldriæ Dux.

Moritur Arnoldus Geldriæ Dux, ab Adolpho Filio aliquot annos captiuitatem passus. Nuntio de eius obitu, accepto, Carolus Princeps, Geldriæ ab Arnoldo emptæ possessionem adijt: quùm & Ducis Iuliacensis, qui Filiam duxerat seniorem, ius octoginta florenorum millibus redemisset. Hinc Carolus insigni cinctus Equitatu Treueros ad Fredericum Imp. venit, Regium, vt quidam volunt, titulum ambiens. *Miræus.*

Tragicam Adolphi impietatem in Arnoldum parentem suum, venerandâ canitie inuitante suspiciẽdum, videre est in Iusti Lipsij Monitis & Exemplis politicis l. 2. c. 5.

Duodecimo Calendas Septembreis, Atrebati, Ecclesia Parœcialis S. Gaugerici, pridẽ ab tristissimo illo anni 1233. incendio instaurata, eiusdem Diui honori, per Petrum Ranchicurtum Episcopum nostrum consecratur. *Ex Regest. Eccl. Atreb.*

Idem Pontifex Ecclesiam villæ de Ranchicourt, opus suum, Deo Opt. Max. & S. N. nuncupat. *Indidem.*

Gosuinus DE BAILLOEVL (de quo ad an. 1460.) Carolo Burgundiæ Duci, Principi nostro, Armamentarij Tribunus, fit ex resignatione N. V. Boni DE SAVEVSE, Soceri sui, Bethuniensis opidi Præfectus, comprobante Carolo, ob præclara Gosuini merita, quà pace, quà bello sæpè explorata.

CHRISTI AN. 1474. — XISTI 4 PAPÆ AN. 4.

ANNO 1474. Biezense cœnobium, non procul Hesdino remotum, per Ioannem Biezensem fundatur, atque Ordinis Franciscani Religiosis traditur incolendum. Franciscus Gonzaga, libro de Origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ, sic de illo scribit: *Pientissimus Ioannes Biezensis Hierosolymitanus Miles, tanto affectu Franciscanos fratres prosequebatur, vt eis ad ædificandum Conuentum, fundum liberaliter contulerit, vt constat ex Bullâ Sixti quarti, Pont. Max. datâ Romæ*

anno

anno Domini 1474. Pontificatus sui quarto. In hoc Serenissima Isabella, Burgundiæ Ducissa, & Filia Regis Portugalliæ, ex propriis sumptibus, Conuentum Sancto Antonio de Paduâ sacrum, magnificè satis erexit, qui etsi ab impijssimis hæreticis bis fuerit dirutus, operâ tamen Catholicorum, resarcitus exstitit.* Hæc ille, ex quibus locus iste videri possit nonnihil vetustior, nempè ex gestis Isabellæ Lusitanæ.

* obijt an. 1471.

Ioannes BRETON, tricesimus cœnobij Henniacensis Antistes, expletis in eâ dignitate duodeuiginti annis, vitam cum morte commutat. Ei Iacobus LE VASSEVR suffectus est, qui rem Monasterij quadraginta per annos mirum in modum reparauit, auxit, & administrauit.

CHRISTI AN. 1475

ANNO 1475. Quinto Calendas Iulias, exortâ inter Gallum Regem, & Ducem Burgundum graui simultate atque irâ, primam Artesia patitur cladem, Dainuillâ, Habarco, Agnezâ, Duisanto, Mareolo, alijsque insignibus pagis, igni absumtis. Atrebates, quorum Romontius Comes Præfectus erat, ad tantam luem patriæ finibus expellẽdam, obuiam eundum efferati, solidam pugnatorum manum subitò contrahunt, atque Ducibus Iacobo à S. Paulo, Carencio, Contayo & Cohemo Regulis, ad vsque Siluulam DE VVAGNONLIEV progressi, abs Gallis, ex insidijs quas ibì posuerant, erumpentibus impetiti, in fugam conijciuntur, multis eorum partim cæsis, partim captis, in his Iacobo à S. Paulo, Contayo & Carencio. *Ex Monn. MSS. Ant. de mol.*

Xisti 4. Papæ An. 5. Inimicitia inter Principẽ nostrum & Galliæ renata. Artesia depopulatio.

Tertio Calendas Sept. Adolphus Cliuius, Rauestaini Regulus, Ioannis Cliuiæ Ducis frater, subit Atrebatum, eius Præfecturam capessurus, Romontio Comite, ad Caroli Ducis castra, quæ ad Nanceium in Lotharingiâ habebat, proficiscente.

Adolphus Cliuius Atrebatum præfectus.

Decimo quarto Calendas Nouembres, Induciæ Nouennales inter Carolum Principem, & Ludouicum Regem initæ proclamantur, quas Gallus pauco admodùm tempore integras seruauit.

Induciæ inter Principẽ & Regẽ.

Decimo quarto Calendas Ianuarias, Parisijs, Ludouicus Lutcemburgius, sancti Pauli Comes, atque Galliarum Conestabilis, capite plectitur: atque apud Franciscanos eadem in vrbe sepelitur.

Infelix Ludouici, S. Pauli Comitis obitus.

Suscepit Ludouicus ex Ioannâ Barensi coniuge priore, has proles:

Eius Proles.

IOAN-

IOANNEM, Malanum Comitem, qui in Sampolanam ditionem Patri successit: sed in Nanceianâ clade, simul cum Carolo Principe nostro cæsus, eandem Fratri, quòd cælebs esset, transmisit.

PETRUM, qui in S. Pauli Comitatum, Ioanni Fratri successit, & Margaretam, Ludouici Sabaudiæ Ducis Filiam sibi vxorem sociauit.

ANTONIUM, Comitem Roussianum*, qui in manus venit cum Antoniâ Charniacensi Comite: quâ defunctâ, nuptias cum Franciscâ Croyâ, Chimaii Comitis sorore, iterauit. *Gal. de Roussy.

CAROLUM, Laudunensem Episcopum.

IACOBAM, Philippi Croij, Comitis Portiani, coniugem.

HELENAM, quæ cum Iano Sabaudo, Geneuæ Comite, matrimonio fuit iuncta, &

MARIAM.

Ex Mariâ verò, Philippi Sabaudię Ducis Sorore, quam alterâ defunctâ superduxerat, sustulit:

LUDOVICUM, Ligniacensem Comitem, qui contractis cum N. Principe Salernitanâ, nuptijs, anno 1503. è viuis recessit; &

AGNETEM, quæ Gandaui in Beatæ Agnetis Parthenone, virginitatem est professa. *Bresinius.*

Iubilæũ ad annũ 25. reuocatum. Xistus 4. Pont. Max. Iubilæum, quod quinquagesimo quoque anno celebrabatur, in vicesimum quintum reuocat, quo plures huius beneficij forent participes. *Vide suprà ad annos 1300. & 1350.*

CHRISTI AN. 1476. ANNO 1476. Calendis Augusti, Strumensis cœnobij Ecclesia (vide suprà ad an. 1085.) ab Petro Ranchicurto, Episcopo nostro consecratur. XISTI 4 PAPÆ AN 6.

CHRISTI AN. 1477. Caroli Audacis Principis ad Nancæũ casus. ANNO 1477. Nonis Ianuarij, Carolus Audax Princeps noster, dum in Lotharingiâ iuxta Nancæum, contra Lotharingos & Heluetios dimicat, Nicolao Campobasso, cum Italorum parte ipsum deserente atque arcana hosti prodente, multis impetitus ictibus, miserè sed generosè occidit. Indè vix tertio, à pugnâ, die inter cadauera inuentus, Renati Lotharingiæ Ducis, victoris, humanitate præsentiaque, honorificè Nancæi, in templo primario, ante altare Beati Georgij, sepultus est: donec Brugam ad B. XISTI 4 PAPÆ AN. 7.

Virginis Basilicam, anno 1553. curâ impensisque Caroli Cæsaris Pronepotis, in sumptuosissimum Mausolæum, ante aram maximam, transferretur. Eius loquentis hoc reperio distichon Chronographicum:

O MIhI sI LICeat aLIqVandò, Renate, renasCI!
DItabor spoLIIs CaVtIor Ipse tVIs.

Reliquit Mariam, Filiam vnicam & ex asse hæredem. *Proles.*

Philippus Meyerus Atrebas, pereleganti eum prosecutus est Elogio, ad cuius calcem sic Audax loquitur:

Cùm premerem mediâ Nanceïa mœnia brumâ,
Obsidio: clades contigit ista mihi.
In castris inerant vix millia terna virorum,
Qui poterant forti tela mouere manu.
Attamen Heluetijs interritus obuius iui,
Hostibus indignum vertere terga ratus.
Ah! malè consultus, Belgas in prælia traxi,
Illuuie, rigido semineceſque gelu.
Hostis vti numero superans, ita fortior armis,
Infirmas acies obruit ense truci.
Ast ego consertos penetrans ignotus in hostes,
Cuspide transfixus tempora, sternor equo.
Post tridui spatium, demùm sine vestibus vllis,
Deprendor gelido corpus inane solo.
Vultus inhærebat concretis frigore lymphis:
Agnitus à famulis vix lacer ille fuit.
In tumulum funus Lotharingius intulit hostis,
Cuius ego nuper depopulabar opes.
Discite magnanimi vicinis parcere Reges,
Vi nec eos raptis exspoliare bonis.
Scilicet oppidulum dum molior addere Regno,
Vita simul rapitur cum ditione mihi.



MARIA XIII.

ARTESIÆ COMES.

Christi An. 1477.

Xisti 4. Papæ An. 7.

ANNO 1477. MARIA Caroli Audacis, ad Nancæum interempti, proles vnica, atque ditionum omnium paternarum hæres, Gandaui cum Margaretâ Eboracensi nouercâ, annum agẽs vicesimum, Gallo tumultuante subsidet. Etenim Ludouicus XI. Rex, qui Mariam ad sacrum fontem suscepe-rat, & eiusdem cum Carolo Delphino nuptias valdè adfectabat, quùm cassam se ludere operam animaduerteret, quamuis anno superiore cum Audace eiusque hærede nouennales inducias pactus esset, nihilominus Burgundiæ Ducatum, & magnam Artesiæ partem, velut immanis prędo, inuadebat. Intereà rerum nuntios atque exploratores in horas, hinc indè vt exspectat, Diuersoria equis cursorijs in Galliâ primus instituit. *Heuterus, Berfacius, Marchantius, Miræus, &c.*

Adolphi Cliuij Atrebatũ Præfecti absentia dãnosa.

Duodecimo Calendas Februarias, Adolphus Cliuius, Atrebatensis opidi Præfectus, auditâ patris sui ad Nancæum nece, ad Mariam Principem Atrebato relicto, proficiscitur. Quæ eius absentia, valdè perculit Atrebates, vt statim dicemus. Etenim absente capite, & in turbis, quid nisi talia?

Arx Balleoli-Montis ab hoste incẽditur Caussa.

Arx Balleoli-Montis*, ab Saueusijs Regulis, egregio opere constructa, Atrebato ad Occasum tribus circiter millibus abiuncta, Heluetijs incendiarijs euastatur. Caussa, quòd Carolo Audace contra Lotharingos dictosque Heluetios depugnante, Philippus Saueusius, eius loci Toparcha, militẽ, Carolo suppetias iturus collegisset, quamquam Lotharingus Audacem priùs fuderat, ac Saueusius arrepto itinere Ambianum vsque promouisset. *Vide infrà ad an. 1523.*

[...]uidensis [...]rimæi [...]felix [...]rumq; [...]tum; [A]trebati [s]epulcrũ [a]ccipit.

Guido Brimæus, Imbercurij Toparcha, atque Megæ Comes, idemque Aurei Velleris Eques, Gandaui ab factiosâ plebe captus, nequicquam allaborante ad eius liberationem Mariâ Principe, capite multatur. Eius corpus Atrebatum delatum eiusdem Principis operâ atque pietate, in B. Virginis Basilicâ, sub marmoreo monumẽto reconditũ est: hinc Mariæ Principis querela, Philippo Meyero scriptore:

Non

Non Imbercurium vinclis educere quiui,
Inter Magnates qui mihi fidus erat.
Hunc vbi publicitùs curtandum vertice vidi,
Excelso stantem, plebe fremente, loco:
Huc illuc supplex Princeps ego tanta cucurri,
Per totum, crineis irreligata, forum.
Obtestata ferox, oculis rorantibus imbrem,
Vulgus ne tantum perderet ense virum.
At nihil obtinui, tristem sum passa repulsam,
Indignè cecidit Nobilis ille Reus.
Funus ad Atrebates, fumantibus vndique tædis,
Vt tumularetur, mittere cura fuit.
Cui Mausolæum posui de marmore sectum,
Virginis augustâ Matris in æde, Dei.

Philippus Creueceurius, Esquardæ Dominus, in veterem Atrebatium Ciuitatem (Archæopolim non nemo vocat) cuius Præfectus erat, eductis præsidiarijs, Regios proditoriè admittit. Atqui hoc pacto Rex dimidiæ partis Vrbis Atrebatensis Dominus factus, eam contra opidum maius, nouis erectis munitionibus communit. Id enim tum natura vrbis (vt etiamnum) ferebat, vt maius ac minus opidum, muris portisque inuicem segregarentur. Munitione perfectâ, petit Rex in maius opidum admitti. Recusantibus Ciuibus, agros vastat, ac apertè bellum infert. Destituti Præfecto (is erat Adolphus Cliuius Rauestainæ Regulus, Ioannis Cliuiæ Ducis frater, nuper ad Mariam, auditâ Patris morte profectus) ac præsidio Ciues, amissoque minori opido, cum Rege transigunt, tàm diù eum pro Principe agnituros, quam Maria clientale Sacramentum de Artesiâ ei dixisset, liberi intereà ab omni militari præsidio futuri.

Ciuitas Atrebatensis, ab Creueceurio Præfecto proditoriè Gallis traditur.

Rex iusto, minori in opido, relicto Præsidio, cui Nothus Borboniæ præerat, ad occupandum Boloniensem Comitatum proficiscitur. Iter facienti, deditionem, Atrebatensium conditionibus faciunt Lensij, ac Bethunij, promittenti se eorum agros, à maleficio defensurum. Hos Teruannenses ac Hesdinij sequuntur.

Aliæ ijsdem Artesiæ vrbes deditæ

Intereà Atrebatenses non contenti conditionibus cum Rege initis, ad Ducē Mariam 18. Aprilis, 20. ciues honestissimos mittũt, inter quos eminebat Gauldrainus Caulierius,

Pessima Ludouici XI. Regis perfidia.

eo tempore, vt loquuntur, ſcabinus, petitum, an paulò antè initæ cum Rege conditiones placerent, petentes, veteris vrbis immunitates confirmaret. Annales Atrebatium affirmant, eos acceptâ à Rege fide publicâ, iuiſſe; Franci negant. Vt vt ſit, poſitis Lenſij inſidijs, intercipiuntur, ac ſtatim Heſdini, capitis damnantur.

Atrebatenſes, rei indignitate, non mediocriter conſternati, reiectis conditionibus, opidum pro Mariâ defendere, Francoſque minori opido depellere ſtatuunt, ſibi ad hoc Ducem eligentes, Arſij Dominum, Mariæ addictiſſimum. Erat is tum temporis Duaci, coactiſque circiter mille ſexcentis peditibus, Atrebatum verſus cum Vergio Nobili Burgundo, & Salezaro iter arripit. Audit Gallus, poſitiſque inſidijs venientes excipit, cædit, fugat; Vergius in Franciam abducitur: Arſius cum ſexcentis veteranis, per medios erumpens Francos, Atrebatum peruenit, Salezarus in proximam ſyluam fugâ ſe recipit, ereptuſque periculo Duacum repetijt.

Atrebatũ Regi deditur.

Hinc Rex totis viribus Atrebatum pulſare cœpit; quibus territi tandem ciues deditionem fecere, his conditionibus:

Deditionis leges.

Miles cum omnibus impedimentis, quo vellet, abiret;

Ciues, dicto Regi Sacramento, rebus omnibus incolumibus, ſuis legibus viuerent.

Ab Rege ſtatim violata.

Rex vrbem ingreſſus, duobus ſtatim ciuibus, contra ac iurarat, gladio vitam abſtulit: ciues exſilio multauit, nouam Gallorum coloniam aduocauit: atque Arſium, non ita pridem in ſuas partes transgreſſum, Atrebato præfecit, dato in mandatis vt duas arces conſtrui curaret, vnam in opido maiore, iuxta forum, ad S. Michaëlis portam: alteram in minore, iuxta Clariſtarum Gynæcæum, ad comprimendos, ſi qui orirentur, motus.

Geminæ Arces exſtruũtur.

Audomarenſes ſibi abs Gallis conſulũt.

Audomarenſes, Gallorum excurrentium metu, opidi ſui ſuburbia, quà Arteſiam ſpectant, ignibus tollunt: inque ijs poſita Dominicanorum, Franciſcanorum & Clariſtarum Virginum cœnobia, ſimul demoliuntur, nouis ædibus ad eorum firmius tutiuſque præſidium, in ipsâ vrbe, ſtatim apparatis. Opido tũ preerat Philippus Burgundus, Beueræ Toparcha: qui nequicquam moliente Ludouico, illud fortiter tutatus eſt: ac de deditione imperanti,

aliàs Antonium Burgundum; Philippi Patrem, Nanceano prælio captiuum; vertice, vel in Filij oculis, curtandum; liberâ respondit voce, id graue admodùm & immane, si ita fixum, sibi fore; quùm in Patrem naturæ adfectum exuere haud posset: cæterùm à Patris doctrinâ hausisse & plenè imbibisse, communem & patriam salutem priuatis adfectibus anteferendam, & facto testari se paratum: interim regiam præstolari atque protestari clementiam. Mouit ea dictio Regem, qui vasis subitò cõclamatis, copias Teruannam diduxit. Rarum id & insolens Filij in Patrem, Patriæ in caussâ, exemplum: cui tamen Patris in Filium (quod magis mirum est) simili in causâ, prorsùm ad simile, dabit Iustus Lipsius l. 1. Monn. & Exempp. politicorum c. 7. in Constant. num. 6.

Augusti duodeuicesimâ, Gandaui Mariæ Burgundæ, Artesiæ Comitis nuptiæ, cum Maximiliano Austrio contractæ celebrantur. *Marchantius*. Earum habe Chronicon: *Maria Principis nostræ Nuptiæ.*

CL*a*M*or fa*C*t*V*s est*: *e*CC*e sponf*V*s* V*en*I*t: e*XI*te.*

Atrebati, XI. Calendas Nouemb. Pons versatilis, Curiæ Comitum muris cohærens, cui à Beato Vedasto erat nomen, loco suo amouetur, eiusque vicus continuus, quadrato silice pauiatur.

Cætera perpetuant priscæ vestigia formæ,
Et nomen, quo non sit caritura dies.

Mofflainæ saltus, Vedastino monasterio sacer, Atrebato mille ferè passibus ad Ortum remotus, Ludouici Regis militum, & accolarum insolentiâ atque direptionibus, circiter quinquies mille quercuum iacturâ luit.

CHRISTI AN. 1478. ANNO 1478. Pridiè Kalendas Maias, Maximilianus Belgicæ Princeps inauguratus, adhuc iuuenis & imberbis, Torque Aurei Velleris ab Adolpho Rauestaino donatus, Comitia eius Ordinis in Brugensi opido primùm celebrat, quibus mortuorum in locum creati noui hi Equites: XISTI 4. PAPÆ AN. 8. *Decima quarta Aurei Velleris Comitia.*

PETRVS LVTCEMBVRGIVS, S. Pauli Comes:
IACOBVS SABAVDVS, Romontij Comes:
GVLIELMVS, Edmundæ Toparcha:
VVLFARDVS, Borselij Regulus, & Grandi-prati Comes:
IVDOCVS LALANVS, Montignij Regulus: obijt anno 1483. in obsidio Traiectensi:

IACOBVS LVTCEMBVRGIVS, Fiennæ Toparcha: PHILIPPVS BVRGVNDVS, Beueræ Dominus, & BAR-PTOLOMÆVS, Lichterstanij Regulus.

Ludouici XI. Regis timiditas.

Quibus peractis Maximilianus pugnæ cum Ludouico Rege conserendæ cupidus, in Artesiam flexo itinere, auctoque validis Flandrorum copijs exercitu, ad Pontem VVendinum subsidit, Regem in certamen prouocat, qui licet instructissimum haberet exercitum, attamen intra Atrebatensis opidi muros continere sese, consultiùs esse putauit.

Natalis Philippi Austrij, Principis nostri futuri.

Nono Kalendas Iulij, horâ tertiâ pomeridianâ, Brugæ Filius Maximiliano ex Mariâ nascitur, cui nomen inditum Philippus. Eius Natalem hoc rudi metro, numeralibus litteris quidam expressit:

OMnIbVs aCCeptVs regnat noVVs eCCe PhILIppVs.

Quarto Kalendas Augusti è sacro eum fontis lauacro suscepere Margareta Eboracensis, Pugnacis Vidua, infantique dedit nomen Adolphus Cliuius, Rauestaini Regulus, Sacri Ordinis Velleris Aurei pridem Eques, idque Frederici Cæsaris nomine, ac Petrus Lutcemburgius Fani S. Pauli Comes, nomine Henrici septimi Anglorum Regis, magnificéque ab his, à Brugensi Senatu, & Magnariorum Mercatorumque collegijs, donis est honestatus. *Heuterus.*

Atrebatenses Canonici, dimissis sexus vtriusque sæcularibus, qui in Dei * Xenodochio, vt vocant, è regione templi cathedralis, ægrotantium curam gerebant: Virgines B. Francisci institutum sectantes, quas Leucophæatas Sorores indigetant, Bassæâ Flandriæ opidulo euocatas, illuc ad idipsum muneris deinceps fortiter sustinendum, intromittunt. *Vide suprà ad an. 1270.*

** vulgò Hostel. Dieu.*

Catenæ ferreæ, numero quinquaginta quinque, quibus Atrebatum suis plateis & vicis, sistendo hosti muniebatur, N. Boursij * Domino, ab Ludouico Rege, ob rem strenuè gestam, consignantur dono.

** Gal. de Bours.*

CHRISTI AN. 1479. Duacum ab Rege Ludouico frustrà tentatũ. *XYSTI 4. PAPÆ AN. 9.*

ANNO 1479. Ludouicus Rex, Duacum, nobile hodiè Musarum Emporium, clanculario ingressu intercipere conatur. Sed fraude, per Atrebatenses, cuiusdam mulierculæ (cui litteræ concreditæ erant) operâ, Duacenatibus detectâ, pedem referre turpiter cogitur. Id Regis

animum

animum adeò commouit, vt veteris ciuitatis incolas secundo damnarit exsilio: & paulò pòst, seuero edicto, maioris opidi ciuibus sale & igni interdixerit, ac iusserit non alibì quàm Parisianorum, Rotomagensium aut Turonum opidis, exsilij sedem figerent. Interim collachrymantibus, abeuntibusque, tyranni coactis imperio, miseris ciuibus, ecce nouam denuò Ludouicus huc accit Gallorum coloniam, atque Regiâ auctoritate sancit, æternùm Libitinæ in Sepulcro ATREBATI sileat nomen; FRANCISIA, aut FRANCOVILLA, quasi Francorum villa seu opidum, deinceps audiat. Hinc Cathedralis Ecclesiæ Officialis in tabulis, hoc vti titulo: OFFICIALIS LIBERTINENSIS. Idipsum iam olim Iulius Cæsar stabilire cogitarat, verùm aliâ de caussâ, nimirum quia motus egregiâ Atrebatium virtute, eos ab omni tributo immunes reddiderat. Cæterùm tanta apud omnes semper fuit antiquitatis eius nominis reuerentia, vt vix sepultum, statim reuixerit.

Atrebates exili dānati.

Decimâ quartâ Calendas Iunias, Sagittarij & Arcubalistarij Atrebatenses, qui nonnihil emissis cæteris hîc substiterunt, etiam solum vertere coguntur.

Sagittarij, aliiq. exulatū dimissi.

Quo etiam tempore, in Gallijs, sublato Francorum Sagittariorum Ordine, à Carolo septimo Rege instituto: Ludouicus Rex, ab suis, alter Siculus, sibi timens, Heluetios aduocat, stipendio annuo affluè concesso, fidos sui futuros custodes.

Ludouici [...]apistia. Nempe Heluetios ad se vocat, Gallis sagittarijs, quibus diffidebat, amādatis.

Quinto Nonas Iulias, etiam in sacrum ascetarum ordinem sæuit Rex ferus. Siquidem Carolus Borbonius Archiepiscopus Lugdunensis, Vedastinorum Atrebatium cœnobium (cuius Antistes dictus erat) ab nostri soli monachis, vitâ integris, coli vt inuidet, eosque experitur Gallicani Præsulis moribus, non ità applaudentes, dictis aut iussis minùs auscultantes; ab Rege obtinet, cellis suis totoque monasterio deturbari, alienumque in cœlum amandari, intromissis monachis aliundè quæsitis, moribus & famâ corruptissimis, quos Borbonius haberet similes labris suis lactucas, opesque monasterij liberè decoqueret.

Sexto Calendas Augusti, Maximilianus Princeps, numerosissimo in Morinos tracto exercitu Teruannense opidum, vallo ducto, obsidione premere aggreditur.

Teruāna ab Maximiliano Principe obsidetur.

Prælium Guinegatense.

Septimâ Idus Augusti, memorabile illud ad veterem villam, seu Guynegatam, prælium, inter Gallos qui Teruannensibus suppetias veniebant, cum Maximiliano ambiguâ admodùm fortunæ aleâ, committitur. Mansit tamen penes Principem nostrum victoria, etiamsi non incruenta. In castris nostris militabant Iacobus Sabaudus, Comes Romontius: Engelbertus, Comes Nassauuius, & nobilis ille Antonius à Burgundiâ, Philippi Ducis Filius, alijque generosissimi Heroës.

Lilerium flammis corripitur.

Sub id temporis, Lilerium ab Romontio flammis diditur. Franci præsidiarij, qui Teruannam, Bethuniam ac Fanum Pauli occupabant, in Flandriam excurrunt & euastant. Misera vbique rerum facies, & plurima mortis imago.

Induciæ inter Regem & Principẽ.

Anno præcipiti, Induciæ inter Principem atque Regem coeunt, ad proximas vsque Calendas Aprileis insequentis anni. *Phil. Meyerus.*

Lilerij, Franciscanarum Virginum cœnobium construitur: quæ pietas Croyanis Principibus debetur accepta, quos hodiéque ipsum opidum Regulos suos agnoscit, ac debitâ obseruantiâ prosequitur.

Ioannes Dauffaius, patriâ Bethuniensis, Maximiliano Archiduci à Libellis, ab eodem Principe iussus, insigni libello distinctis titulis, hac ferè ætate, iuit probatum, Burgundiæ Ducatum, atque Artesiæ & Burgundiæ Comitatus, Lilense, Duacense atque Orchiacense dominia, ad Mariam Burgundam, Caroli Burgundiæ Ducis Filiam vnicam, adeóque ex asse hæredem, eiusque successores, legitimo iure pertinere. Idem Artesiæ & Bethuniæ consuetudines descripsit. Item de Bethuniensi Aduocatiâ, quo pacto cæteris Artesiæ opidis connumerata fuerit, ex quo Daniel, qui Ludouici VIII. Galliarum Regis ætate vixit, Atrebatensem & Bethuniensem Aduocatias pariter obtinebat. Item de Ponthiuensi Comitatu; de Peronensibus & Confluentianis Comitijs, ineundæ pacis ergò, inter Principes nostros & Galliarum Reges, his anno 1465. illis 1468. habitis. Item de Austrouanensi Comitatu, alijsque. *Ex eius Apographis MSS.*

CHRISTI AN. 1480. — XISTI 4. PAPÆ AN. 10.

ANNO 1480. Quartâ Idus Ianuarij, circa horam diei vndecimam, Bruxellæ Maria Domina nostra, filiam parit,

dictam ad sacrum fontem Margaretam. Federicus Cluniacus, Præsul Tornacensis, eam in S. Gudulæ, Baptismalibus vndis tinxit: Suscepere Margareta Eboracensis, Pugnacis vidua; Anna Burgunda Rauestaini vxor, & Ioannes Challonius, Orangiæ Princeps. *Heuterus.*

Mense Martio, Induciæ inter Ludouicum & Maximilianum, adusque Iulij mensis initium; iterum in vnum annum Atrebati prorogantur. *Phil. Meyerus.* *Induciæ prorogata.*

CHRISTI AN. 1481. ANNO 1481. Pridiè Nonas Maij, Maximilianus, Aurei Velleris Comitia secundùm celebrat apud Buscoducum, nobile Brabantiæ opidum. In ijs creati fuere hi Equites: *XISTI 4. PAPÆ AN. 11. Decima quinta Velleris Aurei Comitia.*

IOANNES, Baro Ligniacensis:

CLAVDIVS, Thoulonionij Regulus:

PETRVS HENNINIVS, Bossutij Toparcha:

BALDVINVS LANNOYVS, Molembasij Dominus:

PETRVS, aliàs GVLIELMVS BAVLMÆVS, Dyrlani Dynasta:

MARTINVS, Polhaini Dominus:

IOANNES BERGIVS, * VValhaini Toparcha, & ** Gal. d'Olhain.*

PHILIPPVS AVSTRIVS, Maximiliani Filius, Quadrilegij Comes, tertium ætatis agens annum.

Ioannes Secundus, cognomento Magnus, Lusitaniæ Rex post Alfonsi Regis obitum renunciatus, vt erat maximè generosi spiritus, peritissimis eâ tempestate Mathematicis, Roderico & Iosepho medicis suis, itemque Martino Bohemo negotium dedit, vt ad vlteriora Indiæ loca lustranda, aliquid communi consilio excogitent, ad cursum nauium in pelago, quamuis ignoto, regendum: vt vel abductus à conspectu familiarium sibi syderum nauta, quam tamen cœli plagam teneret, aliquâ posset ratione conijcere. Ij quàm acerrimo studio re diu multumque agitatâ; ASTROLABIVM denique instrumentum, quod anteà ad colligendum stellarum motus dumtaxat Astronomi adhibere consueuerant, præclaro sanè inuento, ad vsum rei nauticæ transtulerunt; ac pari solertiâ DECLINATIONVM tabulas confecere, quibus hodiè naucleri, ad explorandam locorum latitudinem vtuntur, vt non parum hoc nomine tota Europa Lusitaniæ debeat. *Maffeius in Historiâ Indicâ, & ex eo Aubertus Miræus in Chronico.* *Astrolabij Nautici inuentio.*

Ferdinandus Hispaniarum Rex, sanctissimum fidei tri-

In Hispaniâ inquirẽdæ fidei tribunal.

bunal hoc anno in Castellæ & Legionis Regnis, in Aragoniâ verò, Valentiâ & Catalauniâ, anno 1483. summo Reipublicæ Christianæ instituit bono.

CHRISTI AN. 1482. *Maria, Princeps nostra moritur.* XISTI 4. PAPÆ AN. 11.

ANNO 1482. Maria, desideratissima Princeps nostra, quùm corporis ingenijque summo vigore & alacritate esset, annumque vicesimum quintum, Principatus quintum, menses tres recenseret, aucupio animum oculosque vt intendit, non procul à Maximiliano marito venante, asturcone cespitante, eiusque ephippio male cincto, delapsa, atque arboris subiacentis trunco impacta, contusis grauiter artubus, Brugas refertur. Euocantur è varijs locis peritissimi medici. Verùm malo omne medicum respuente post tres tandem hebdomadas quinto nempè Calendas Aprileis, in ipso vernãtis ætatis flore, annos quinque supra viginti, non ampliùs, nata, è viuis recessit, iusto, infinitoque dolore post obitum apud omnes relicto. Sepulta est Brugis in B. Virginis Basilicâ, pro altari principe.

Petrus Magnus, presbyter Bruxellensis, inter huius æui, melioris notæ poëtas meritò nominandus, amicus quondam noster, hoc eius funeri appendit Chronographicum:

GessIt eqVo MarIa aLIpedes praVertere CerVos:
VI CadIt, aC BeLgIs fVnera fLenda parIt.

Eius proles.

Ex Maximiliano Austrio superstites reliquit hasce proles:


PHILIPPVM, quatuor solùm annos natum & ditionum hæredem, &

MARGARETAM, quam nulla proles, at infortunium fœcundauit.

Prodierunt etiam eodem ex vtero, Franciscus & Georgius, verùm in ipso quasi ortu, matris fatum anteuerterunt.

Noua Atrebatensis opidi Insignia.

Atrebati, Mense Iulio, Ludouicus vndecimus, Rex Francorum, edictum promulgari iubet, ne alia deinceps admittantur vrbis Atrebatensis Insignia, quàm Lilijs Francicis, cæruleo scuto inspersis, coruscantia: in cuius medio Beati Dionysij Francorum Apostoli, caput manibus gestantis, effigies expressa appareret.



PHILIPPVS AVSTRIACVS XIIII. ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1482.

XISTI 4 PAPÆ AN. 12.



NNO 1482. PHILIPPVS AVSTRIACVS, eius nominis primus, Maximiliani, & Mariæ Principp. Filius, annos quatuor natus, in maternas transit ditiones, in quibus Artesiæ Comitatum apiscitur. Cæterùm Gandauenses, annuentibus Flandris, Maximilianum, Mariâ coniuge orbatum aspernantes, Philippum Comitem ac Margaretam eius Sororem, inuito Maximiliano Patre, Gandaui detinent: pro arbitrio enutriunt, atque nomine Ordinum Belgicæ, tutelam vsurpant, de subditorum bonis vitáque, pro libito disponentes. *Bersacius.*

Philippus Princeps noster ab Gandauensibus detinetur Maximiliano Patre inuito.

Sexto Calendas Augusti, Ioannes Dolehainius, Cohemi Dominus, Ariensis opidi Præfectus, ope aliquot nobilium auaritiâ infamium, à Gallo Rege corruptus, eis opidum tradit. Promiserat Rex Cohemo, decem millia aureorum liliorum in singulos dum viueret annos, ac Præfecturam ordinariam centum Lancearioruim Equitum, in communi verò, ei cæterisq; numerarat nobilibus millia triginta. Sed ne hæc publicaretur turpitudo, Rex iustum exercitum ad obsidendum opidum, Duce Creuecurio mittit, qui partem murorum ac munitionum tormentis conuellit. Simulāt Franci inuasionem, Cohemus metum. Colloquuntur: fit inuitis ciuibus, deditio. Cohemus verò in Franciam demigrans, Rege promissis non stante, summâ cum infamiâ, pauper & exsul vitam terminauit. Quippè Principes proditionem amant, proditores detestantur: Et ratio est, quam vel Selymus, Turcarum truculētissimus Imperator, de quodam Baiazetis patris sui medico pronuntiauit: VETERI DOMINO INFIDVM, NOVO FIDVM NON FVTVRVM. Tragicam historiam vide apud Lipsium lib. 2. Monitorum & Exemplorum Politicorum c. 5. in Sæuitiæ exemplis numero VIII.

Ariense opidum Gallis proditur. Inglorius proditoris obitus.

Mense Septembri, Præsidiarij milites Audomaropoli egressi, Gallos inuadunt, qui æs militare Teruannam conuehebant; multisq; cæsis pecuniâ potiuntur. *Phil. Meyerus.*

Audomarenses Gallos populabundos cædunt.

Octauo Idus Octobris, Philippus Burgundus, Beueræ Dominus, supremus Artesiæ Præfectus, Audomaropoli,

Proditores Audomaropoli morte damnati.

de quibusdam coniuratis, capitale sumit supplicium, qui vrbem hostibus prodere moliebantur. *Idem.*

Pax inter Maximilianũ & Ludouicũ Regẽ.

Nono Calendas Ianuarij, Pax inter Maximilianum & Ludouicum iniquissimis conditionibus intercedit, arrogantiâ contumaciâque Flandrorum vrgente; qui Philippo & Margaretâ Principibus pueris, quorum custodiam arripuerat, freti, eorum ditiones, Patre in Germaniam amandato, pro animorum libidine moderari ardebant. Hinc Diuo Eustathio Maximilianus conferebatur, quòd illi Filiam leo, & Filium lupus rapuissent, & rectè si per leonem Ludouicum Regem, ad quem, ex pacis lege, Margareta sequenti anno perducta est, per lupum verò Gandauenses intelligas. Vide Petrum de Natalibus in Catalogo sanctorum l.5.c.22.

Pretium nummis impositũ.

Ijs peractis Maximilianus pretium nummis imposuit, nimirum vt Florenus Rhenanus quinquaginta octo grossis Flandriæ (ita in voce ibi) æquiualeret, & sic deinceps. *Petrus Opmeerus in Chronico.*

Dauid Burgundus, quinquagesimus secundus Morinorum Episcopus, communem illam fati metam tangit, eius partes excipiente Henrico Lotharingo, ad Metensem Cathedram posteà euocato. *Demochares.*

Obitus Petri S. Pauli Comitis.

Petrus Luccemburgensis, Fani Sancti Pauli, Lignij, &c. Comes, Enghemi, in Hannoniâ moritur. Eius corpus ad Caricampenses monachos delatum nobili donatum est Mausolæo.

Proles.

Is ex Margaretâ Sabaudâ coniuge, duas sequioris sexus proles dedit,

Maria Patri succedit. Geminæ eius nuptiæ.

MARIAM, quæ in Patris iuit Comitatus, atque primas nuptias celebrauit cum Iacobo Sabaudo, Romontij Comite, quo ex viuis anno 1486. sublato, alteras admisit cum Francisco Borbonio, Comite Vendomensi, &

FRANCISCAM, Enghemi Dominam, cui Philippus Cleuensis, Rauestainę Toparcha, thalamum participauit, verum nuptijs infœcundis. *Bresinius.*

CHRISTI AN. 1483.

Margareta Maximiliani Filia, in Galliam ducitur.

ANNO 1483. Margareta, Philippi Comitis Soror, annorum quatuor puella, Gandauo ab Franciæ Regis Legatis educta, in Gallias proficiscitur; quò ex lege pacis, anno superiore proclamatæ in thalamum concederet cum Carolo Delphino. Sponsalia Ambosij *, mense Iulio peracta XISTI 4. PAPÆ AN. 13.

* 30. Iulij

fuere

fuere, in splendidissimo Gallicanorum Procerum, qui eò conuenerant consessu. *Miserat Maximilianus* (verba sunt Heuteri) *honorificam ad Delphinum legationem: cui praerant Abbas Diui Bertini, apud Audomarum: Ioannes Lannoyus, Abbas Diui Petri, Gandaui; Ioannes Bergius, Olhaini Dominus, Balduinus Lannoyus, Molembasij Toparcha. His precipua Flandrorum Ciuitates suos iunxerant. Abbas sancti Bertini, Orationem in consessu Procerum luculentam, in laudem pacis habuit, qua harum nuptiarum caussâ Francis Belgisque perpetua reddi videbatur; comparatque sponsum, ac sponsam Regi Assuero, ac Reginae Esterae. Indè per digressionem ad nomen alludens Margaretae, quinque fuisse demonstrat pretiosissimas Margaretas, quae coronam Regni Belgici, non exiguo ornatu condecorauere: primam fuisse Margaretam Francicam, Philippi Longi Francorum Regis Filiam, vxorem Ludouici primi Comitis Flandriae, &c.* Vide Heuterum lib. 2. pag. 108. *Eius spõsalia cum Carolo Delphino*

Pridiè Calendas Septembris, Sabbathi die, Ludouicus XI. Rex, vitæ nuntium mittit. Vixit quidem tyranno haud valdè absimilis, tesseras tamen alicuius, an solidæ nescio, pietatis publicitùs exhibuit, in quibus memoratur statua B. Virginis argentea, 250. marcas, vt loquuntur, pendens: quam Cathedrali Ecclesiæ Atrebatensi, cum augusto tabernaculo, donô impertiuit. Dedit etiam Dominicanis Atrebatensibus Cereum, ad corporis sui pondus (libras centum quinquaginta duas pendebat) æstimatum, qui in B. Virginis Sacello, ante eius Icunculam arderet: itidem Ecclesiæ parœciali Fani S. Pauli Calicem puri puti auri, ad rem sacram faciendam, aliaque alibi. *Ludouicus XI. Galliae Rex moritur.*

De eius obitu sic Lipsius in Monitis & Exemplis politicis: *Ludouicus XI. Galliae Rex aetate & valetudine iam inclinante, medicis blanditur, & auri montes promittit aut donat: deinde & sanctos viros* * *euocat, & è siluis educit, quibus vitam suam non emendandam sed propagãdam commendat. Tanto intereà metu, vt in arce munitâ, & fenestris ipsis, atque omni aditu clathris ferreis obducto, sese includeret: id est, quid nisi in spontaneum carcerem daret? O miser! hoc assiduè times, quod semel faciendum est? hoc times, quod in manu tuâ est, ne timeas? &c.* Hæc Lipsius; quæ eius verba in memoriam mihi reuocarunt Dionysium illum Siracusanum:

Quem scelera assimili consecrauère timori.

* In ijs S Franciscũ de Paula: vide Romanũ Breuiarium.

CHRISTI AN. 1484.

ANNO 1484. Mense Februario, Carolus Rex, Ludouici XI. Patris successor, omnigenæ Atrebatium Ciuium calamitati commiseratus, missis Turoniâ litteris, eosdem sexennij decursu, ab omni tributo facit immunes. INNO. 8. PAPA AN. 1.

De quo Carolo subit interim mirari quod idem Lipsius scribit: *Ludouicus XI. Rex, Filium Carolum omnium bonarum artium rudem voluit;* NE ESSET, *vt aiebat,* IN CONSILIIS CAPIENDIS REFRACTIOR, ET TENACIOR SVI SENSVS. *Et mehercule hoc est assecutus: nam illum iam regem duo tresue homunculi, & ij ex vilissimis huc illuc pro suo arbitrio circumegerunt.* Hæc ille in notis ad librum primum Politicorum.

Nonis Iulij, Ranchicurius Atrebatensis Diœcesis Episcopus, Ecclesiam suam Cathedralem solenni ritu consecrat.

Bethuniæ Xenodochium Sancti Georgij ab Bono Saueusio, Equestris Ordinis nobilissimo Heroë, excipiendis tenuioris fortunæ vetulis, ijsque fouendis exædificatur, annuóque ornatur prouentu.

Engerrannus 33. Caricampensis cœnobij Antistes, vitæ muneribus defungitur, postquàm vndetriginta annos monasterium gubernasset. Is aream inferiorem monasterij fieri atque ordinari curauit.

Engerranno successit Ioannes LE FRANC, aliàs LAVRENS, rexitque annos vndeuiginti, villâ Bucci-ædis* monasterij rebus, numerato pretio coniunctâ; atque insigni Cruce, è portæ maioris regione collocatâ, quam hic versus numeralis circumplectitur. * Gal. Boucquemaison.

*S*VM *ſ*IC *a*VXILIIs L*e* F*ran*C*q* *e*X*ſ*CVL*pta* I*oann*I*s*.

Prægrandis Elephantus per totam Belgicam circunducitur, quumque Amstelredamo Vltraiectum iter nauigio apparant Muliones siue Agasones (circumforanea mendicabula) bestia, aquis fortuitò immersa extinguitur. *Petitæus.* *Elephantus in Belgicâ.*

CHRISTI AN. 1485. *Flandri cum Maximiliano paciscuntur.*

ANNO 1485. Flandri fractâ tandem ob Maximiliani victorias, Vltraiecto, Teneramondâ, Aldenardâ, alijsque locis in deditionem acceptis, contumaciâ, pacem ab eodem Principe impetrant, his conditionibus: INNO. 8. PAPA AN. 2.

Pacis Leges.

Flandriæ vrbes ac Ordines Archiducem Maximilianum Filij sui Philippi tutorem agnoscunto.

Eius, Flandriaque gubernationem, ei statim permittunto.

De his illi Sacramentum dicunto, tum immunitatum Flandriæ conseruationem iuranto.

Philippum Austriacum extra vrbis portam abductum, in Patris Maximiliani potestatem constituunto, promittente Maximiliano, se Filium extra Belgij limites, antequàm adoleuerit, non abducturum, &c. Marchantius.

Maximilianus hominibus ære alieno grauibus quibuscunque, Atrebatium nundinis interesse permittit & liberè versari; demptis modò, quos Princeps & ipsum opidum sibi debitores requirerent, & qui nundinarum tractu alienum contraherent. *Ex Arch. op. Atreb.*

Hadrianus V Vissocus, vir Nobilis, Audomaropoli Sororũ Pœnitentium cœnobium, sub tutelâ, & patrocinio B. Magdalenes erigit. Maria Bastiana per quadraginta sex annos laudabiliter collecto cœtui prima præfuit. *Ludouicus Bresinius in Chron.*

CHRISTI AN. 1486

ANNO 1486. Maximilianus Princeps, Romanorum Rex XVI. Febr. designatus, Aquisgrani, decimâ Aprilis, anno ætatis 28. coronatur: nempè admotâ capiti coronâ, quâ olim B. Carolus Magnus fuit redimitus. *Hadrianus Barlandus Chronico Ducum Brabantiæ, c. 160.*

INNO. 7. PAPÆ AN. 3. *Maximilianus Romanorum Rex coronatur.*

Antonius DE COVPIGNY, Ioanne defuncto, Montis Eligiani Antistes eligitur & sacratur, vir natalium splendore clarus, & à se omnium ferè virtutum ornamentum. Mitræ vsum sibi suisque successoribus ab Leone Pont. Max. impetrauit. Diplomatis initium est: *Leo Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Dilectis Filijs Antonio de Coupigny Abbati, & Conuentui Monasterij Montis S. Eligij, &c.*

Missæ Sacrificium, ad Deiparæ, cui deditissimus erat, gloriam, cottidiè in cryptâ celebrari præcepit, eiusdemque Beatissimæ Virginis ditissimam Iconem ex argento conflari curauit: sepulcrum Domini, insigni opere, templo conclusit: Conclaue maius, seu refectorium, Fratribus adparauit: & id genus non pauca. Sedit annos quatuor supra triginta & menses sex. *Ex litteris Pauli Descolerij ibi Relig. & S. T. Lectoris.*

Creuecœurius, (conniuente Francorum Rege, piraticam in Belgas exercet, atq; Hãnoniæ agros depopulatur. Hinc pax inter Archiducem & Regem contracta disrumpitur.

Gallorũ excursiones in Belgas, adeòque noui Belli initia.

Terüanna ab Belgis capitur.

Quinto Idus Iunias, Terüanna ab Belgis, Salezaro minore Duacensium Præfecto, Duce, intempestâ nocte, admotis ad mœnia scalis, furtìm intercipitur. *Ventus erat adeò hac nocte validus* (Heuteri sunt verba) *ac pluuia tam densa, vt ciues relictis murorum custodijs, in propinquas turres secederent. Horum aliquis, audito ascendentium strepitu, Francicâ rogat linguâ, quis viueret: responderunt illi, Burgundia. Ciuis alium ciuem se irridentem esse arbitratus, ridens iocansque, ait: Equidem hoc præsertim tempore, quo venti & imbres de aëris imperio certant, campos opidi nostri, Burgundis repletos esse opinor. Intereà Angli, Belgæque murum tenebant. Sentiunt id tandem seriò vigiles in turribus excubantes, è quibus vnus altâ voce socios inclamans, confoditur: cæteri diffugiunt; Angli, Belgæque è muris ad forum descendunt, ac in acie constituti, summis clamoribus aliquoties ingeminant,* VIVAT BVRGVNDIA. Sic ille.

Lensium aliaque loca, à Belgis intercepta. Allodiū frustrà tentatū.

Mense Augusto, Belgæ Lensiense opidum aliquandiu oppugnatum, tandem ad deditionem cum aliquot in circuitu castellis cogunt, Basseiâ interim Allodiensium * vrbeculâ, frustrâ, quod mireris, tentatâ. *Phil. Meyerus.*

Henricus Lotharingus, 53. Morinorum Episcopus, ad Metensem cathedram euocatur, ei in Terüannensem succenturiante Antonio Croyo. *Demochares.*

Belgium per Legatos regi cœptum.

Hac ferè tempestate, quùm hactenùs Principes ipsi Belgium administrassent, per Legatos id demùm fieri cœptum est, quorum nomina ex ordine subijcio.

SERIES SVMMORVM BELGICÆ PRÆFECTORVM.

1. GEORGIVS (alijs ALBERTVS) Saxoniæ Dux, præfuit Maximiliani Cæsaris & Philippi Filij impuberis nomine.
2. Margareta Austriaca, Maximiliani Filia, Caroli nepotis sui nomine, anno 1507. Præfuit ad vsque obitum, qui Mechliniæ contigit an. 1530. Cal. Decemb.
3. MARIA AVSTRIACA, Hungariæ Regina, Caroli V. Imp. Soror: quo munere defuncta est an. 1555.
4. EMMANVEL PHILIBERTVS, Sabaudiæ Dux. Præfuit Philippi 2. Hispan. Regis nomine, desijtque an. 1559.

5. MARGARETA AVSTRIACA, Caroli Cæsaris Filia, Octauij Parmensium & Placentinorum Ducis Vxor. Præfuit in annum vsque 1567.

6. FERDINANDVS ALVAREZ, Lusitanus, Dux Albanus. Sex annos Præfecturam durè tenuit, atque in Hispaniam ab Rege Philippo reuocatus est.

7. LVDOVICVS REQVESENIVS, Magnus Castiliæ Commendator. Obijt Bruxellæ V. Martij an. 1576.

8. IOANNES AVSTRIACVS, Caroli V. Imp. Filius. Decessit initio Oct. 1578.

9. ALEXANDER Farnesius, Octauij Parmensium Ducis & Margaretæ Austriacæ Filius. Præfecturam per annos quatuordecim, plurimis clarissimis tropæis, nec Alexandro illo magno inferior, sustinuit. Obijt Atrebati in S. Vedasti Monasterio 3. Dec. 1592.

10. PETRVS ERNESTVS, Comes Mansfeltius, Vicarij solùm partes agens, rexit, donec aduentaret

11. ERNESTVS, Austriæ Archidux, Rudolphi 2. Imp. Frater. Præesse cœpit an. 1594. mense Ianuario; desijt anno 1595. 20. Februarij, quibus die & anno Bruxellæ decessit.

12. PETRVS ENRIQVEZ, Comes Fontanus, etiam vt Vicarius præfuit, donec optatissimus Albertus Austriacus aduentaret.

13. ALBERTVS AVSTRIACVS, Cæsarum Nepos, Filius, Frater, S. R. E. tit. S. Crucis in Hierusalem Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus; qui Belgas suâ præsentiâ & martiâ virtute mirificè recreauit, hostium opidis expugnatis, & viribus accisis; quo deindè in Hispaniam proficiscente, ad tempus Belgicam moderatus est

14. Andreas Cardinalis, Caroli V. ex Ferdinando Nepote, Ferdinandi Imp. Filio Pronepos: donec ALBERTO, cum ISABELLA CLARA EVGENIA coniuge, Belgium reposcente, eiusmodi Præfectura periodum excepit, posteaquàm per annos circiter 18. substitisset.

Alberto Principi ad nos redeunti, hunc dedimus Anagrammatismum:

ALBERTVS AVSTRIACVS,
SVB TE CVRA SALVTARIS.

CHRISTI AN. 1487. *Audomaropolis à Gallis capitur.*

INNO. 8. PAPÆ AN. 4.

ANNO 1487. Quarto Calendas Iunij (quibusdam Maij) Franci, ductore Creuecœurio, sub nocte obscurâ, Fanum Audomari occupant. Ingressus eis patuit partim nauigio, quà Aa fluuius, Bertinensi cœnobio permeato, vrbe abscedit; partim scalis mœnibus admotis, & cito pede dimensis, dum molæ aquaticæ, quæ tum graui cum strepitu prouoluebantur, etiam excubias fallunt, ne, quid fiat aut dicatur ab Creuecœurio & socijs, fortè intelligant. Hinc in vrbem inuolare, & certatim conclamare victoriam.

Terüanna à Gallis recipitur.

Mense Iulio Creuecœurius Terüannam quam Salezarus anno superiore inuaserat, etiam dolo Belgis eripit. Siquidem armatos in siluâ Teruannæ finitimâ noctu occultarat, quos sub auroram in fossas furtim adrepere, scalasque muro applicare iusserat, eo temporis momento, quo vigiles sub exortum Solis, relictis stationibus de mœnibus descendere consueuerunt: eaque ratione nemine pene repugnante, Teruannâ potitus est.

Belgarũ iuxta Bethuniã cædes.

Octauo Calendas Augusti, Creuecœurius, non paruam Belgarum manum, iuxta Bethuniam ad Meruillæ pontem summâ perfidiâ cædit. Captiuorum præcipui fuere Carolus Egmundanus Geldriæ Dux, annos tantùm quindecim natus, Nassauuius, Bossutus, Forestius, Mastaingius, Fonteinesius, Dionysius ac Philippus Morbekani Fratres, & alij complures. Is conflictus CASEORVM PRÆLIVM vulgò à caseis Bethuniensibus vocabatur.

Iacobus Lutcemburgius Richeburgij Regulus, Petri Comitis S. Pauli Filius è viuis tollitur, atque Caricampensem Ecclesiam accipit in sedem sepulcri. Eius verò coniux, nomine Isabella, in Roubayensi villâ, cuius Domina erat, humata iacet: vbi Xenodochium mulieribus duodecim adfectis morbo fundauerat, admiseratque moniales, quæ ægrotantium curam gererent. *Vide suprà ad annum 1433.*

CHRISTI AN. 1488. *Maximilianus Brugæ captiuus.*

INNO. 8. PAPÆ AN. 5.

ANNO 1488. Mense Februario Maximilianus Princeps, cum plurimis proceribus, in quibus Ioannes Lannoyus Bertinici cœnobij Antistes computabatur, ab Brugensibus captiuus detinetur. *Philippus Meyerus.*

Mense Maio Maximilianus post trimestrem captiuita-

tem,

tem, Federici Imp. Patris, qui numeroso stipatus exercitu in Flandros ad Filij liberationem mouebat, metu, è custodiâ, datis obsidibus, educitur. Ea captiuitas postmodùm Brugensibus admodùm luctuosa fuit & funesta. *Libertati redditur.*

Mense Iulio Angli Audomaropolim, quorundam ciuium operâ, Gallis eripere vt sperant, dolo detecto, sumptoque de coniuratis supplicio, conceptâ spe excidunt, & recedunt. *Audomaropolis frustra ab Anglis tentatur.*

Haud meliore fortunâ Forestius, Duaco cum militibus trecentis profectus, Bapalmam etiam tentauit, à Præsidiarijs Gallis & ipse reiectus. *Philippus Meyerus.*

Creuecœurius infirmiora apud Atrebates castella iubet dirui. *Ponthus Heuterus.*

Carolus Borbonius Vedastini Monasterij Abbas commendatarius, morte occumbit: cuius dignitatem adeptus est Robertus Briconetus, Parlamenti, vt vocant, Gallici Consiliarius, ac posteà Remensis Archiepiscopus. Sedem Vedastinam ingressus est anno 1490. *Mirisque* (ait chronicon eius loci) *acceptus est honoribus. Vir in quo ingenita quædam solertia, mansuetudo, humanitas, alienique à fastu mores, cum plurimis animi dotibus eminebant: pergratus ideò nostris.* Hæc ibi.

CHRISTI AN. 1489. INNO. 8 PAPÆ AN. 6. ANNO 1489. Tertio Idus Februarij, Burgundi, ac Belgæ, forti ciuium operâ adiuti, Fanum Audomari, eiectis Francis recuperant: verùm lepidissimo stratagemate. Nocte intempestâ, accedente ad vrbem Maximiliani milite, ducibus Carolo Saueusio, & Georgio Direistano Germano: Ciues, vt conuentum erat, in vnâ murorum turri, vbi excubabant, lumen accensæ in laternâ candelæ demonstrant. Belgæ è contra, Felem, quam poterat altissimè vociferantem, pro signo ac tesserâ reddunt, sed Circitore, seu Vigiliarum recognitore, nonnihil abscedente vel absente. *Audomaropolis lepido stratagemate Principi nostro redditur.*

Hinc admotis raptim Scalis, nemine repugnante scandunt nostri mœnia, occurrentes Francos præsidiarios cædunt, inque oppidum irrumpentes, atque proximam portam effringentes, cæteros intromittunt. Cecidere hoc conatu tantùm quinque Franci, ciues nulli, Belgæ complures. *Ponthus Heuterus.*

Ad Lucernę honorem lubet hîc cum Martiale iocari:

Dux laterna via, clausis feror aurea flammis:
Et tuta est gremio parua lucerna meo.

Et de Fele etiam aliquid:

Disce nouum, Lector, palmæ genus; improba Felis
Dum clamat, Gallum fallit, & vrbe fugat.

Eâdem die N. Habarcquij Regulus in Equestrem est relatus Ordinem.

Sexto Idus Maij, militaris Hannoniorum manus, in Artesiam contendit, spe Atrebatum Gallis eripiendi, qui de hostium aduentu facti certiores, eos non sine damno retrocedere compulerunt.

Idibus Iulijs Dominicani Atrebatenses, Priore F. Antonio Caruino, sacræ Theologiæ Doctore, Defunctorum in gratiam atque refrigerium, Confraternitatem, vt vocant, siue Sodalitium, ab Petro Ranchicurio Episcopo impetrant, quam quidem confirmatum & Indultis ornatum iuerunt Romani Pontifices, Hadrianus XI. Stephanus IIX. Sergius III. Sergius IIX. Innocentius IV. Sixtus IV. vt ex diplomatis eorum constat. Ne verò id Sodalitij genus aut nuperum vel insolitum esse videatur, scito Lector anno 984. Romæ, Ioanne XIV. Pontifice sedente, similem fuisse Sodalitatem excogitatam atque erectam: de quâ proindè Cæsar Baronius Cardinalis, in Annalibus Ecclesiasticis ità differit: *Hoc eodem anno* Romæ contractum est Sodalitium plurimorum Sacerdotum: inter quos & Episcopi nonnulli sunt adscripti, ad hoc, vt post obitum singuli consodalium sacrificijs iuuarentur. Cuius instituti adhuc exstat in Diaconiâ SS. Martyrum Cosmæ & Damiani eiusmodi monumentum, in tabulâ marmoreâ incisum;* *984.

CONSTAT NIMIRVM, DILECTISSIMI FRATRES, DE PROMISSIONE, QVAM EX CORDE FECIMVS, CORAM DEO ET SANCTIS EIVS, VT VNVSQVISQVE NOSTRVM FRATRES, SACERDOTES, EPISCOPI, ET POSTERI NOSTRI SACERDOTES, IN PERPETVVM QVALISCVNQVE EX HAC LVCE MIGRAVERIT, XL. MISSAS PRO EIVS ANIMA, PER VNVMQVEMQVE SACERDOTVM, QVI SVPERSTITES SVNT, CANERE PROMISIMVS. SI TAMEN INFIRMITATE FVERIT OCCVPATVS, NON REPVTETVR EI IN PECCATVM: ET SI RE-

CEPTVS FVERIT IN PRISTINAM SANITATEM, HOC OMNE QVOD SVPRA DICTVM EST, ADIMPLEAT. QVI VERO CVSTOS ET OBSERVATOR FVERIT, HABEAT BENEDICTIONEM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS, ET FILII ET SPIRITVS SANCTI, ET CÆLESTE REGNVM POSSIDEAT, CVM OMNIBVS SANCTIS. ET QVI HOC NON OBSERVAVERIT, SIT ANATHEMATIS VINCVLO INNODATVS, ET A REGNO DEI SEPARATVS. ISTA VERO PROMISSIO FACTA FVIT ANTE SACR. SANCTVM DOMINICVM ALTARE HVIVS AVLÆ TEMP. DOM. IOANNIS XIIII. PAPÆ, MENSE FEBRVARII, DIE VICESIMA SECVNDA INDICT. XII. ANNO DOMINI INCARNAT. DCCCC. LXXXIIII. BENED. SACR. EXARAN. ORAT. PRO ME PECCAT.

Hactenùs ibì & Baronius.

CHRISTI AN. 1490. ANNO 1490. Mathiâ Hungariæ Rege defuncto, Maximilianus Princeps, Viennam cum reliquâ Austriâ recipit. INNO. 8. PAPÆ AN. 7.

Castrum Mareolanum Cathedralis Ecclesiæ Attrebatensis Pontifici à S. Bertiliâ dono concessum, per Ranchicurium Episcopum instauratur. *Vide suprà ad ann. 977. 1144. & 1191. & Mariale nostrum l. 2. c. 19.*

CHRISTI AN. 1491 ANNO 1491. Decimo Sexto Cal. Februarij, Iacobus Meyerus celebris Annalium Flandriæ Scriptor futurus, Vleternis apud Balliolum Flandriæ oppidum, nascitur, parentibus Brandario, & Martinâ. Dictos Annales à primâ Flandricæ Gentis origine; ad annum vsque 1476. perduxit terminauitque. Eos Philippus Meyerus Iacobi Pronepos continuauit centum & triginta duorum annorum serie, in libros decẽ tributâ, videlicet ab anno Domini 1477. vsque ad 1610. hoc Supplementum necdum editum, nobis Belgicum hoc Chronicon scribentibus communicauit Amicus Auctor; quod, velut & Propatrui Annales, auxilio nobis sæpenumerò fuit. INNO. 8. PAPÆ AN. 8.

Beatus Ignatius Loyola, SOCIETATIS IESV institutor & Princeps, nobili loco in Cantabriâ nascitur. *Natalis B. Ignatij Loyolæ.*

Nono Calendas Iunias Philippus Austrius Belgarum Princeps, Aurei Velleris Comitia, Mechliniæ, in Æde D. *Decima sexta Velleris Aurei Comitia.*

Romboldi, seu Rumoldi (vide Molani Natales, primâ Iulij) magnificè celebrat: quibus in Equitum Ordinem adlecti fuere,

FEDERICVS AVSTRIVS Imperator.

HENRICVS septimus, Angliæ Rex.

ALBERTVS, Dux Saxoniæ.

HENRICVS VVITTHEMIVS, Berselij Regulus.

PETRVS LANNOYVS, Fresnoij Dominus.

CONRADVS, aliàs EVRARDVS seu ARNOLDVS, Dux VVirtembergiæ.

CLAVDIVS à Nouo Castello, Cransenij Toparcha.

IOANNES, Comes Egmondanus.

CHRISTOPHORVS, Marchio Badensis.

IOANNES, Dominus Cruninghemus.

CAROLVS CROYVS, Chimaij Princeps.

GVLIELMVS CROYVS, Cheuraæ Dynasta.

HVGO MELODVNÆVS, Procomes Gandauensis, &

IACOBVS LVTCEMBVRGIVS, Fiennarum Regulus.

CHRISTI AN. 1492. ANNO 1492. Arsio Atrebatium Præfecto recens defuncto, Carolus Rex surrogat Ioannem Creueceurium, Esquerdæ Dominum, Philippi Creueceurij Filium, natu maximum. Sed eo adhuc impubere, annorum quippè vndecim tantùm erat, Ioannes Cardonij Dominus, Philippi Creueceurij Legatus, eius partes gerundas suscepit, donec idoneam muneri ætatem Ioannes attigisset. *Ponthus Heuterus.* ALEX. 6. PAPA AN. 1.

Quinto Nouembris, Cardonio per Philippum Creueceurium, Picardiæ & Artesiæ, Atrebato, simul cum militibus suis, cōmodùm euocato, atque eâ in vrbe relicto Carquelenantio Britone, homine parum prouido: Ioannes Marius, Ciuis Atrebatensis, Grisardus vulgò à multâ canitie dictus, vir quidem fortunæ tenuis, sed acris ingenij, suique Principis perquàm studiosus, coöperantibus Iacobo Lobbæo, Ioanne à Sancto Paulo & Petro Regio; miro prorsùs stratagemate, (qui nosse prolixè volet, adeat Heuterum) Maximiliani atque Philippi F. militem in Atrebatense oppidum, quod totos quindecim annos, sub insolentissimo Gallorum iugo ingemuerat, portâ Hageriensi admittit, Roberto Melodunæo Rosnij Toparchâ exercitum magno silentio ad vsque forum promouente. Hinc Ciues Atreba-

tenses in Galliam à Ludouico XI. relegati, post diuturna exsilij tædia, cum ingenti lætitiâ, penates suos postliminiò repetunt; & vt intra menses tres id facerent, iusserat Maximilianus datis litteris, quas Mechliniæ mense Decembri signauerat. Verùm enimuerò eam Atrebatium lætitiam non mediocriter interturbauit Germanorum militum insolentia, qui multis se stipendijs fraudatos quùm conquererentur, fana simul ac profana compilarunt. Hoc in tumultu milites grauiter & contumeliosè admodùm affecerunt Abbatem atque Monachos Vedastinos: atque adeò ipsum Episcopum captiuum Petrum Ranchicurium, cæterosque Canonicos, è quorum numero Ioannes Benedictus, & Ioannes Tongrensis Theologi, in vinculis, animi mœrore confecti interierunt. Nec priùs conquieuere Germani, quàm Ciues singuli, certam pecuniæ summam in stipendiorum solutionem, vltrò collegissent. *Philippus Meyerus.*

Etiam ex Maximiliani litteris Mechliniâ 19. Nou. hoc anno datis colligo, aliundè, ex rebus nempè mobilibus & immobilibus (vt loquuntur) quas Galli iam sibi varijs locis compararant, & abdicare compulsi fuerant, ingentem pecuniæ summam fuisse coactam; adeò vt non nemo testatum reliquerit soluendorum stipendiorum horum nomine, illam in 400000. obolos Rhenanos excreuisse, quùm aliàs eorum circiter 30000. abundè fecissent.

Cæterùm Grisardus ob tàm præstans facinus, Opidi Atrebatensis Maior est renuntiatus; socij autem renouato Magistratu in scabinos assumpti.

Non ineptè fortasseàn ludenti & illudenti sic fortunæ, hoc tetrasticho adlusero:

O Martis varium genus! subegit
Taxus Rigiacum; Lepus Bapalmam*;* Nota.
Clamans improba Felis Audomarum;*
Nux lusit Pueros, sed Ambianos.*

* Gal. Grisart * An. 1578. * An. 1489 * An. 1597

Maximilianus Rex Romanorum, Ioannem Egmundæ in Hollandiâ, & Fredericum Fratrem eius, Buræ in Geldriâ, Comites creat. *Aubertus Miræus.* *Primi Egmūdæ & Buræ Comites.*

Christophori Columbi prima in Insulas Fortunatas, quas Canarias vocant, nauigatio. *Insulæ fortunatæ.*

Brugensis Emporij inclinatio.

Celeberrimo Brugensi Emporio, quod ab illâ Louaniensis opidi vastitate (de quâ ad ann. 1357. & 1489. diximus) tota Europa frequentabat, ad Occasum inclinante: Antuerpia demùm cœpit sensim attollere caput, & conspicuum Orbi monstrare; adeò vt id Physicorum non fallat: Vnius corruptio, alterius est generatio: quod ipsum suo casu etiam Antuerpia postmodùm experta est; & vereor vt aliquando Insula, quæ nunc suum habet Regnum.

Herlierensis villæ Sacellum, per Ioannem Obrizium eius loci Dominum construitur: vtq; inibì sacra peragantur, eiusdem loci incolæ, amplum diploma ab Iuliano, Ostiensi Episcopo & Cardinale consequuntur.

CHRISTI AN. 1493. — ALEX. 6. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1493. Mense Ianuario Philippus Creueceurius, iniquissimè ferens Atrebatensis opidi iacturam, vi aut dolo recipere conatur. Verùm id demùm assequitur, vt spe suâ, Atrebatium atque Præsidiariorum virtute atque industriâ, depulsus, copias in hyberna partiri sit coactus.

Lensium opidum ab Robineto Ruffino Atrebate capitur. At Creueceurius pòst paulò ad deditionem compulit, captiuumque pro libertate recuperandâ, septingenta aurea lilia pendere compulit.

Atrebati, ipsâ Paschatis sacrâ die, Germanus quidam Præsidiarius, folijs vt ludit, in Deum diuosque blasphemans, repentè fit mutus.

Pax inter Principē nostrum & Gall. Regem.

Decimo Calendas Iunij, Siluanecti, Pax inter Maximilianum, Philippum F. & Carolum Gallorum Regem, ingenti omnium lætitiâ sancitur: quâ integer Artesiæ Comitatus, exceptâ Bononiâ alijsque ab antiquo occupatis locis, Philippo restitueretur.

Margaretæ Austriæ sponsalia cum Delphino irrita.

Sponsalia Margaretæ Maximiliani Austrij & Mariæ Burgundæ, Filiæ, cum Carolo Delphino, anno 1483. Ambosij celebrata, dissoluuntur, atque ad Patrem Virgo remittitur.

Maximilianus, Imperator salutatur.

Mense Augusto Federicus eius nominis tertius Imperator, Philippi nostri Auus moritur. Succeßit in Imperium Filius Maximilianus.

Duodecimo Calend. Octob. Arx Atrebatiæ Ciuitatis, iuxta Claristarū Gynæcæum, simul & mœnia ab Ludouico XI. Rege, in maioris opidi perniciem constructa, lectis Maximiliani, quas 14. Martij miserat, litteris, solo tenus

eraduntur; atque sequente anno, quintâ Maij, Ioannes Grisardus opidi Prætor, mœniorum in veterem ciuitatem instaurandorum primum lapidem in fundamentis iecit.

CHRISTI AN. 1494. ANNO 1494. Maximilianus thalamum redintegrat cum Blancâ Mariâ, Galeacij Mariæ Sfortiæ, Ducis Mediolanensis, Filiâ, quam Pater septingentis aureorum ducatorum millibus donatam dimisit. *Heuterus.* ALEX. 6. PAPÆ AN. 3. *Maximiliani Imp. altera nuptiæ.*

Philippus Creueceurius, Cordæi siue Esquerdij Dynasta, in Gallijs moritur; eiusque funus Bononiam Morinorum ad sepulturam est delatum. *Phil. Meyerus.*

Bapalmæ Beati Petri Xenodochium, ab Petro, Diui Nicolai in Nemore, iuxta Feram Picardiæ op. Abbate, sumptibus Antonij Burgundi, Philippo Bono Patre Nothi, constructum, & vectigalibus annuis ornatum, laicis viris, penes quos rerum gerũdarum cura stabat, ablegatis, Virgines B. Francisci Regulam professæ, eæque partim ex Atrebatensis Ciuitatis Xenodochio (vulgò L'HOSTEL DIEV) partim Bassæâ euocatæ, administrandum suscipiunt, quarum prima, quæ præfuit, Ioanna DE LE HAYE nominabatur; rexitque annos circiter triginta, eique annus 1524. fatalis contigit. *Vide suprà ad an. 1421. & infrà ad an. 1504.*

Ioannes Picus Mirandulanus, Concordiæ Comes, ætatis annum tricesimum secundum ingressus, extremum vitæ diem claudit. Is Hebræorum Cabalam (latinè Receptionem seu Traditionem dixeris) Latinis primus communicauit. Hinc libri Apologiarum Quæstione quintâ sic loquitur: *Præter legem scriptam Moyses veram quoque legis expositionem à Deo accepit, quæ deinceps per successionem à Moyse septuaginta senioribus, & ab illis, alijs successoribus fuit reuelata. Vnde & nomen accepit, vt diceretur Cabalistica. Et tempore Esdræ in plures libros fuit redacta, qui dicuntur* LIBRI CABALÆ; *quos ego libros summâ impensâ mihi conquisitos (neque enim eos Hebræi Latinis nostris communicare volunt) quũm diligenter perlegerim, inueniens ibi multa, immò penè omnia consona Fidei nostræ, visum est mihi habere posse Christianos, vnde Iudæos telis suis confodiant, cùm ab iis auctoritas Cabalistarum, quos habent in magno honore & reuerentiâ, negari non possit.* Et multis interiectis: *Hæc est prima & vera Cabala, de quâ credo me primùm apud Latinos explicitam fecisse mentionem.* Hæc ille. *Cabala Hebræorum.*

Cabalæ Censura.

Veruntamen eius calamo iniurius haud arguar, si Cabalæ censuram ex Prolegomenis Indicis Librorum prohibitorum, ita ad verbum subiunxero: *Quamuis in tertiâ classe Indicis Pÿ Papæ IV. sub litterâ T. Thalmud Hebræorum, eiusque Glossæ, annotationes, interpretationes & expositiones omnes prohibeantur; sed quòd si absque nomine Thalmud, & sine iniurÿs & calumnÿs in Religionem Christianam aliquandò prodÿssent, tolerarentur; quia tamen Sanctissimus Dominus noster, Dominus Clemens Papa VIII. per suam constitutionem contra impia scripta, & libros Hebræorum, sub datum Romæ, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis 1592. pridie Calend. Martÿ, Pontificat. sui anno 2. illos prohibuit atque damnauit; mens ipsius non est, eos propterea vllatenùs, etiam sub illis conditionibus permittendi aut tolerandi, sed specialiter & expressè statuit & vult, vt huiusmodi libri Thalmudici,* CABALISTICI, *alÿque nefarÿ Hebræorum libri, omninò damnati & prohibiti maneant & censeantur, atque super eis & alÿs libris eiusmodi, prædicta constitutio perpetuò & inuiolabiliter obseruetur.* Hæc ibi.

CHRISTI AN. 1495. — ALEX. 6. PAPÆ AN. 4.

ANNO 1495. Februarij vicesimâ secundâ, Cathedræ Diui Petri sacrâ, in antiquâ Atrebatium Ciuitate, Ecclesia paræcialis S. Nicolai, cui ab atrio cognomen, ab Petro Episcopo nostro, ad S. Crucis, & B. Nicolai honorem consecratur. *Ex regest. Eccl. Atreb.*

Bethuniæ Franciscanæ Virgines numero tredecim in Xenodochium S. Ioannis per Canonicos & Senatum introducuntur, egenis, ægrisque, etiam contage laborantibus pietatis officia impertituræ. Quarum cùm fructus ingens & peculium non ita largum esset, an. 1575. auctoritate Principum, Gosnayense per Mathildem Comitissam fundatum hospitale huic vnitum est, & exindè in communionem regiminis cum senatu & Canonicis veniunt de legati Principum.

Antonius Croyus, 54. Morinorum Episcopus, sede & vitâ excedit, successore Ludouico Lutcemburgio, Cardinale Tusculano, atque etiam Cenomanorum Episcopo. *Demochares.*

CHRISTI AN. 1496 — ALEX. 6. PAPÆ AN. 5.

Obitus Blancæ vxoris Maximil. Imp.

Natalis Francisci Regis Galliæ, eius nominis primi.

ANNO 1496. Blanca Maria Sfortia, Maximiliani Cæsaris altera vxor, inter venandum (velut & Maria Burgunda an. 1482.) equo delapsa, paulò pòst è casu, simul

cum

cum fœtu quem vtero gerebat, nullis liberis relictis, absente marito, perit. *Heuterus.*

Ioanna Arragonia, Ferdinandi & Elizabethæ, Hispaniarum Regum Filia, in Belgicam appellit, Philippo nostro Principi copulanda. Contractum matrimonium fuit apud Lyram, Brabantiæ opidum, atque ibidem consummatum. Solemnitas verò Bruxellanis reseruata est. *Nuptiæ Philippi Principis nostri, cũ Ioannâ Arragoniâ.*

Margareta Austriaca, Maximiliani Imp. & Mariæ Burgundæ Filia, Philippi Principis soror, ad Iberos proficiscitur, Ioanni Arragonio, Hispaniarum Principi elocanda. De illâ in Historias relatum, quòd exortâ in mari tempestate, Margareta naufragio proxima, vel in furentis Oceani contemptum, generosè id Epitaphij sibi præscripserit, & si vndis absorberi contingeret, Mausolæo iusserit inscribi: *Margaretæ Austriæ, Philippi Principis sororis, nuptiæ.*

Cy gist Margot, noble Damoiselle,
Deux fois mariée, & morte Pucelle.

Id est

Margaris hoc tegitur tumulo, Clarissima; quæ bis
Nupta quidem, mansit sed sine labe pudor.

Verùm enimuerò impauida Virago, omni remigandi difficultate exanclatâ, laceram classem in Hispaniæ portus tandem intulit. Excepta est singulari affectu, tum ab Hispaniæ Regibus, tum imprimis abs Ioanne sponso, florentissimo iuuene, magnoque Hispanicæ nobilitatis concursu atque fauore. *Heuterus, Philippus Meyerus, &c.*

Morbus Neapolitanus, Gallis Baiulis, ex Italiâ migrat in Franciam; quùm ex Indiâ, Hispanis portitoribus, Neapolim primum appulisset. *Morbus Neapolitanus.*

Philippo Principe, in Germaniam ad Maximilianum Patrem proficiscente, Ciues aliquot Audomarenses, Galli auro magnisque pollicitationibus corrumpunt, vt eam vrbem sibi prodant. Verum detectâ conspiratione, capitis sunt damnati. *Philippus Meyerus.* *Audomarense opidum proditionis liberatur.*

CHRISTI AN. 1497. ANNO 1497. Robertus Briconetus, 70. Vedastini Monasterij in Atrebatibus Antistes, pedum cum vitâ deponit. Eius dignitatem excepit Iacobus DE KELLES, patriâ Gandauensis, non ignobili ortus prosapiâ, cuius electio ingens Ascetis gaudium produxit, ALEX. 6. PAPÆ AN. 6.

quòd ex grege proprio assumpto Præsule, externorum iugum effugissent.

Ioannis Arragonij obitus. Hinc Austrijs primùm ad Hispaniæ Regna pansum ostium.

Ioannes Arragonius, vnicus Ferdinandi & Isabellæ Hispaniarum Regum Filius & hæres, quartâ Octobris in ipso ætatis flore, acutissimâ febre correptus, mortem oppetit, priusquàm integrum annum in matrimonio peregisset. Margaretam vxorem, sextum iam mensem grauidam reliquit; quæ, auditâ mariti morte, tanto animi dolore perculsa fuit, vt ante diem infantem pepererit, qui in ipso vitæ limine statim occidit. Ioannes priuato & publico Hispaniarum luctu funeratus est, indicto quadraginta dierum Iustitio. Hinc

IoannI LVCtVs VbI pVLLa HIspanIa fVdIt:
AVstrIaCI, RegnI fIt dIadeMa, DVCIs.

Atrebatenses Carmelitæ, qui hactenus in Sancti Saluatoris suburbio constiterant, eorum cœnobio bellorum flammâ imitùs hausto, præclarum Philippi Principis obtinent diploma, datum Brugis hoc anno, Maij duodecimo, quo Atrebatenses rogat vt in ipsum opidum admittantur, & asceterio donentur, cuius ipse Princeps sit fundator, partes eius gerente Carencij Regulo, primumque ædificij lapidem iaciente. Obtemperatum Principi, & in eum vsum Ioannis Iacquetij ædes, quæ Ronuillanæ plateæ adsidebant, pretio coëmptæ, atque monachico vsui adparatæ. *Vide suprà ad an. 1263.*

America detecta.

America, quarta pars Orbis ob magnitudinem nuncupata, ab Europæis detegitur, sortita nomen ab Americo Vespucio Florentino, eius primo exploratore, auspicijs Ferdinandi, Castiliæ Regis. *Genebrardus.*

CHRISTI AN. 1498 *Philippi Principis dexteritas.* — ALEX. 6. PAPÆ AN. 7.

ANNO 1498. Ineunte Maio, Philippus humanissimus Princeps, Brugis à Sagittariorum Sodalitio rogatus, vt ludicro ipsorũ certamini interesse dignaretur, haud renuit; excussáque arcu-balistario sagittâ ligneam volucrem, prælongæ perticæ impositam, destinato ictu disiecit, summâ totius ciuitatis lætitiâ & gratulatione. *Philippus Meyerus.*

Ioannes PENEL V. N. ex Agro Sampolano, pago AVERDOINGO oriundus, Cathedralis Ecclesiæ Atrebatensis Canonicus, in Beati Nicasij Cœmiterio, quod in antiquâ Atrebatium Ciuitate abs anno 1292. funeribus

vſui eſt, Sacellum exædificat, cenſu annuo ſacris operandis, veſtibuſque Sacerdotalibus exornat: in quo, anno 1512. vitâ defunctus, quietem accepit, iuxta marmoreum tumulum N. D. Ioannæ DE LONGVEVAL matris, cui è viuis abire contigerat an. 1492.

Sextâ Maij, Ecclesia parœcialis villæ DE SYN, iuxta Duacum, per Ranchicurium Epiſcopum conſecratur.

Decimâ ſextâ Iulij, Bethuniæ Eccleſia & cœmiterium Virginum, tertium B. Franciſci Ordinem profeſſarum, etiam ritu ſacro ab eodem Pontifice initiantur. *Ex Monn. MSS. Andreæ Herbÿ Can. Atreb.*

CHRISTI AN. 1499. ANNO 1499. Philippus Princeps Bethuniam, Ariam ac Heſdinum ab Ludouico XII. Rege in poteſtatem recipit, educto omni præſidiario milite Gallico. Exindè 25. Iunij Atrebatum, Arteſiæ Comes inaugurandus, cum ſelecto comitatu proficiſcitur. Illi aduentanti Petrus Ranchicurius Pontifex, officij cauſſâ occurrit, vnà cum Griſardo Atrebatium Prætore. Is claues opidi, de more Philippo quûm obtuliſſet, eas ore renidenti reddidit, ſubijciens claues meritò ipſi committi, quibus patefactâ Burgundis portâ, Atrebatum legitimo Principi reſtituiſſet. Erat porrò is Princeps formoſiſſimus, annorum vnius & viginti, regiam majeſtatem ore, vultu, totoque corporis habitu referens. *Philippus Meyerus.* ALEX. 6. PAPÆ AN. 8. *Philippi Principis in Atrebatenſe opidum ingreſſus triumphalis.*

Octauâ Idus Iulij, Comes Naſſouius, Bethuniam profectus, Philippi Principis nomine, eius opidi poſſeſſionem excipit. A quo tempore, Viri primæ nobilitatis in opidi ad limitem Gallicarium excubantis Gubernatores conſtituti, quorum in conclaui curiæ nomina & inſignia hoc ordine conſpiciuntur.

SERIES GVBERNATORVM OPIDI BETHVNIENSIS.

1. L. Bloſius, Terlonij Dynaſta.
2. Claudius DE BOVART, Eques.
3. Franciſcus DE MELEVN, Eſpinoij Comes.
4. Fredericus DE MELEVN, Illij Toparcha.
5. Hugo DE MELEVN, Vice-Comes Gandauenſis.
6. Franciſcus DE NOYELLES.

7. Ægidius DE LENS, Baro Albiniacensis.
8. Franciscus DE BERNEMICOVRT, Thieulloisij Dynasta.
9. Ioannes DE BERNEMICOVRT, superioris Filius.
10. Gasto Spinola, Comes DE BAVAY.
11. Philippus DE ROBLES, Comes DE HANAPES.
12. Maximilianus DE HENNIN, Comes Bossutanus.

Sexto Calendas Septembres Petrus Ranchicurius Episcopus Atrebatensis, post toleratas varias ærumnas, ac pacis Sydere tandem coruscante, vitam cum morte commutat. In templo suo marmoreum sepulcrum habet & eiusmodi Epitaphium:

Hîc iacet Corpus Reuerendi in Christo Patris ac Domini Petri de Ranchicourt, Episcopi Atrebatensis, qui expletis in Episcopatu 37. annis, obijt 26. Aug. an. Domini 1499.

Orate pro eo.

CHRISTI AN. 1500. *Natalis Caroli V. Cæsaris.* — ALEX. 6. PAPA AN. 9.

ANNO SÆCVLARI BISSEXTILI 1500. Sexto Calendas Martias, Gandaui Philippo Archiduci nascitur CAROLVS, posteà CÆSAR, nominis QVINTVS. Nonis Martij sacro fonti præsentatur, Margaretâ Eboracensi, Caroli Audacis viduâ Infantem vlnis gestante; cui dextrum latus claudebat Margareta Austriaca, Hispaniarum Principis vidua, quæ non ità dudum cum Ioannâ puerperâ ex Hispanijs redierat; sinistrum latus tenebat Carolus Croyus, Chimai Princeps, qui Infantem è sacro fonte suscepere, accedente quarto Ioanne Bergarum ad Scaldin Toparchâ, Antonij primi Marchionis Patre. Antistes Tornacensis Baptismatis vndis tinxit, Chimaius Caroli nomen dedit in memoriam Proaui Caroli Audacis. Puero apud Baptisterium septem munera donata fuere:

Baptismus.

Dona oblata.

1. Ducatus Lutcemburgensis, à Patre Philippo.
2. Galea argentea, à Carolo Croyo.
3. Aureus gladius, à Toparchâ Bergensi.
4. Poculum aureum lapillis pretiosis plenum, à Margaretâ Eboracensi.
5. Patera aurea, Margaritis & Vnionibus referta, à Margaretâ Austriacâ, Philippi sorore, Caroli 5. Amitâ,
6. Nauis argentea, quinquaginta pondo, omen futurarum opum, quas ei successoribusque naues incognitis Insu-

lis ac terris repertis essent aducturæ.

7. Nouum Testamentum ab Abbatibus cum hâc Epigraphe:

SCRVTAMINI SCRIPTVRAS.

Iis peractis ter in populum aurea atque argentea, sparsa fuere missilia. *Lætitiæ signa.*

Primùm ab Archiduce Patre;

Deindè à Senatu Gandauensi;

Tertiùm à Mercatore panni serici, vrbis Gandauensis ciue, qui ante ædes suas, quâ Infanti iter erat, scenam erexerat, in quâ quinquaginta stabant viri, singuli singulis manibus ardentes tædas tenentes. In medio conspiciebatur filius eius ac filia vnica, quæ prætereunti Infanti vas aureum, magni ponderis, dono dabat. *Heuterus, Petrus Opmeerus in Chronico: &c.*

Addit noster Ph. Meyerus l. 2. Annalium Flandriæ & Artesiæ, Martinum quendam summum artificem ex funibus tenuioribusque asseribus, viam in aëre pensilem stupendæ altitudinis, à pyramide Diui Nicolai, ad turrim vsque ciuicam perduxisse, omnesque spectatores in sui admirationem, perfecto opere rapuisse. Eam ardentibus plenam facibus fuisse Laurentius Surius in commentario scribit. *Iter pensile.*

Petrus Aluarus Capralis, ab Emanuele Lusitaniæ Rege nauibus tredecim præfectus, Brasiliam, noui Orbis partem, detegit, sic dictam à Brasilo rubro ligno, quod tingendis vestibus indè aduehitur. *Brasilia in occiduo orbe detecta.*

Eodem anno, quidam Hasnoniensis Monasterij Asceta vitam gestaque gloriosa Beati Ioannis Bergerij seu Opilionis, ex Monciaco-Petroso, insigni Artesiæ pago oriundi, non inconcinnè conscripsit. Damnum, quâ temporis tempestate floruerit, effugisse aut nescijsse. Id tantùm reliquit coniecturæ, quòd morienti Petrus Atrebatium Episcopus affuerit, sacra administrarit, ab fato elogium dixerit. Quis verò ille Petrus? Etenim eius sedis octauum censeo hoc nomine. Si tamen, vt est, hîc coniectandum, putem Petrum Masoërium, tali nomine sextum, designari, cuius obitus incidit in annum 1391. & huc ducor quòd dicto sæculari anno senes nonnulli supererant, quibus Ioannis memoria, atque ædiculam, agellum, nucem, arbo- *S. Ioânes Monciacensis.*

rem

rem prodigiosam, in montis ad Austrum decliui, iuxta publicam viam, digito monstrabant, & varia interpretabantur quæ viderant. Nucem Ioannes ipse plantarat; & de illâ, ita est in famâ, & supersunt hodiéque oculati testes. Recurrente annuo Baptistæ Dominici natali die, quùm in profesto tota nuda esset, folijs, omnique ornatu careret; subsequente illo, & folijs & fructu instructa atque armata in oculis omnium comparebat. Concurrebant & decerpebant ad Diui memoriam: quúmque agellus præ affluentium multitudine sæpè ijs accessibus suffocaretur, hinc, nescio quo fato malo, caussa eam radicitùs excidendi nata. Quæ si vera, certè fatendum est Masoërium Ioanni coëtaneum fuisse, nullus namque alius Petrus (si Ranchicurium, qui anno 1499. recessit è viuis, eximas) in Episcoporum serie occurrit, nisi in altiora longè tempora conscenderis. Cæterùm audiamus Biographum, qui in prologo: *Sciat* (inquit) *tam præsentia modernorum Christi fidelium, quàm posteritas futurorum, quondam in Monciaco-Petroso in Diœcesi Atrebatensi sito, quemdam natum fuisse hominem, Ioannem nomine, laicum siquidem, nihilominùs in Christo fidelem. In villâ prædictâ, per decursum temporalis vitæ, à iuuentute sanctissimum permansisse: cui testimonium habitum est per Petrum, quondam Atrebatensem Episcopum, qui assistens Monciaco, dum vir sanctus migraret à sæculo; testificatus est, coram vniuerso ibì assistenti populo, sanctum virum prædictum honestissimæ conuersationis fuisse, & vitam contemplatiuam, sub laicali doctrinâ, diuino monitu feliciter conseruasse, dicens prædictum Ioannem de Monciacò concupiscentiæ carnalis contagia nesciuisse.* Et post pauca: *Confessiones enim præfati Ioannis pluries audierat &c.* Allatis exindè varijs prodigijs atque signis, libellum Auctor sic claudit: *Simpliciter, sicut adhuc testificantur moderni, fide digni, Dominus interuentu Sancti Viri Ioannis de Monciaco-Petroso, dedit ægros omnimodos sospitati. Benedicatur gratia Saluatoris Domini, qui tantam gratiam dedit B. Ioanni.* Hactenùs ibi.

Defuncti Ioannis Corpus ad Odei seu Chori Ecclesiæ Monciacensis dexteram primitùs telluri mandatum est, cellâ excipiendo egregiè adparatâ. Desuper Regium cernas Mausolæum, ex geminis marmorei operis cenotaphijs, quorum alterum quatuor Leones sursùm humeris attollentes, à depressiore amouent & distinguunt, duobus velut

Cheru-

Cherubim in medio ad vtramque faciem comparentibus. Aiunt id operis fieri curasse quendam Oudartium, titulo Comitem, sanitatis gratiâ hinc acceptæ. Cæterùm prodigijs alijs, vel in hæc tempora magis atque magis, quorum non pauca muris cernuntur appicta, crebrescentibus, pignus sacrum educere & leuare visum est, thecâ & altari donandum. Datum, & hodiè Caput Sanctum nouâ illâ, adeóque, quis ambigat? elegantiore. Festum, Augusti vicesimâ nonâ habet, Ioanne Baptistâ gladio Herodiano cadente: & alterum, quod illi maximè præcipuéque celebre est in eiusdem Præcursoris Domini Natali. Incredibile, quantum ad Monciacensis Ioannis vndique tum populorum. In eius porrò Sacello, è regione altaris, grande marmor calcatur, Iacobi de Bacquehem, viri nobilis (obijt an. 1371.) simul & Annæ coniugis monumentum insignibus & epitaphio notatum, sed quæ temporis tractu & iniuriâ perfectè hodie videri haut possint.

Eius pagi Monciacensis Dynastiam Hasnonienses Ascetæ sibi vendicant: Hinc Ioannis illustrandi postliminiò ijs ista fortè cura. Pago nomen dedit genius loci & situs. Eminet; hinc mons, saxa seu petras gignit, & hinc Petrosus, Gallicâ voce MONCY-PREVX, quasi MONT-ICY PIERREVX. Alijs allusio hæc placet, quod abs vico, cui REVX nomen, iuxtim adsito, (vndè MONCHY PRES REVX, contractè MONCHY-PREVX) nomenclaturam acceperit.

In Germaniâ & Leodicensi tractu cruces varij coloris cælitùs decidunt, certum mortalitatis, quæ subsecuta est, præsagium.

Nascitur Solimanus Turcarum Imperator futurus.

CHRISTI AN. 1501.

ANNO 1501. Ianuarij 17. Aurei Velleris Comitia Bruxellæ in Carmelitarum cœnobio Philippus secundùm celebrat; quibus in demortuorum locum suffecti sunt:

ALEX. 6. PAPÆ AN. 10. Decima septima Velleris Aurei Comitia.

CAROLVS Austriacus Philippi Principis Filius.

VVOLPHANGVS, Polhaini Regulus.

ITELFRITVS, Sorlij Comes.

CORNELIVS BERGHENSIS, Seuenberghæ Toparcha.

PHILIPPVS BVRGVNDVS, Nothus, Somerdicquij Dynasta.

MICHAEL CROYVS, Sampensis Regulus, &

IOANNES LVTCEMBVRGIVS, Villæ Dominus.

Natalis Isabellæ Austriæ Principis nostræ.

Vicesimâ tertiâ Iulij, Natalis Isabellæ, Philippi Principis Filiæ, quæ posteà Christierno Danorum Regi, matrimonij fœdere concessit.

Nicolaus LE RVISTRE, patriâ Lutcemburgius, Carolo, Mariæ, & Philippo, tribus Artesiæ ex ordine Comitibus, à Consilijs, atque Louanij in Diui Petri Præpositus, vir moribus incorruptus, in Atrebatensis Ecclesiæ Pontificem assumitur; in quâ variorum exstitit collator donorum, & constitutionum annuarum auctor. In ipsâ Academiâ Louaniensi Gymnasium erexit, prouentibusque ditauit, quibus quatuordecim studiosi, sub vno Præside, litterarum peritiâ imbuendi alerentur, quod proindè Atrebatensis Collegij nomenclaturam sortitum est.

Gymnasium Atrebatium Louanij.

Atrebati & circumiacentibus in locis, innumeri morte præcipiti extinguuntur.

Orientalium primitia classis, 31. Iulij Vlyssiponâ appellit.

Octobris 27. Margareta Austria, Philippi Principis soror, ex Belgio iam tertiùm discedens, Sabaudiam petit, atque singulari affectu Philiberto Duci iungitur, verùm breui admodùm sterilique thalamo.

CHRISTI AN. 1502. Principũ profectio in Hispaniam.

ANNO 1502. Maij 23. Philippus & Ioanna Principes, terrestri itinere per Gallias in Hispaniam præteruecti, omni nobilitate cum cæteris Ordinibus, Ferdinandi & Isabellæ mandato euocatâ, dato acceptoque Sacramento, Castellæ primùm, deindè Arragoniæ Principes, adeóque Regum Hispaniæ hæredes renuntiantur. *ALEX. 6. PAPA AN. 11.*

Moritur Henricus Berghensis, Cameracensis Episcopus, vir ob morum sanctimoniam, rarasque animi dotes, omni laude prosequendus.

Roberti Gaguini obitus.

Robertus Gaguinus similiter è viuis tollitur. Is in Artesiæ finibus, vico Callone ad Lisam Fl. (contrà ac sentit Guicciardinus, qui Duacensem facit) natus, ætate adhuc tener, Præuinense claustrum, non procul Minore-villâ* ingressus, SSS. Trinitatis monachum induit. Indè Parisios, studiorum caussâ, amandatus, apud Sodales suos, Maturinos vulgò vocant, perpetuò hæsit. Iuris Pontificij doctor renuntiatus, famâ viri indies inualescente, vniuersis sodalibus suis supremus Præfectus datus est. Cúmque prudẽtiâ & rerum vsu valeret, sæpè Regum Galliarum nomine,

in Italiâ, Germaniâ ac Britanniâ, publicas legationes obiuit. Ludouico XII. in primis charus; qui cum librorum studio colligendorum teneretur, ingentem ei pecuniæ vim eo nomine appendit, Regiæque suæ Bibliothecæ præfecit. Vir certè non in historiâ modò (reclamante licet Iacobo Meyero, qui friuolum vocat) sed in Oratoriâ quoque ac poëticâ facultate, omnique politiore litteraturâ egregiè versatus. Quo nomine à desiderio Erasmo Roterodamo, Trithemio, Fausto Andrelino, alijsque æuo illo celebribus doctrinâ viris, apprimè laudatur. Scripsit DE CONCEPTIONE B. MARIÆ librum vnum tam metro quàm prosâ, contra Vincentium de Castro-nouo: Item librum DE MISERA HOMINIS CONDITIONE: DE ARTE METRIFICANDI: VARIAS ORATIONES: Librum EPISTOLARVM, & innumera EPIGRAMMATA: GESTA FRANCORVM, stylo Liuiano, &c. Ecclesiæ suæ Nauim absoluit, eique hoc appendit distichon: *Eius opera.*

Hæc tibi Guaguinus, rediens Orator ab vrbe,
Maturine, dedit: sis vigil æditus.

Defuncto Gaguino Faustus Andrelinus hoc scripsit Epitaphium:

Illustris Gallo nituit qui splendor in Orbe,
Hîc sua Robertus membra Gaguinus habet.
Si tanto non sæua viro Libitina pepercit;
Quid speret docti cætera turba chori?

Petrus Lurcemburgius, Morinorum Episcopus, Franciscanorum Audomarensium templum consecrat. *Bresinius.* PII 3. PAPÆ AN. I.

CHRISTI AN. 1503. ANNO 1503. Philippus Princeps, Ioannâ coniuge in Hispanijs, apud Ferdinandum & Isabellam parentes relictâ, in Belgicam terrestri rursùs itinere reuertitur: Quo arrepto nuntiatum illi est Ioannam coniugem filium peperisse, cui susceptores nomen Ferdinandi, Aui materni imposuissent. *Philippus Meyerus.* *Philippi Principis in Belgiū reditus.*

Margareta Eboracensis, Caroli Audacis Vidua, prouectę ætatis fœmina, nullis relictis liberis, Mechliniæ morti concedit. Illi Franciscanorum ædes præbuit sepulcrum. *Margareta Caroli Audacis viduæ obitus.*

Obit & Ioannes, Caricampensis Abbas, Ludouico successore.

In pago Vuailliensi, non procul Hesdino, conuentus Fratrum Franciscanorum, Vallis-Entinæ * seu Vallentinensis nuncupatus, per eiusdem loci Dominum construitur: qui licet exiguus, solitudini tamen atque meditationi est aptissimus. Alluitur Cange, Fl. & pellucido fonte. Ferunt Religiosi Carthusianis primitùs apparatum fuisse: quibus quod angustior esset, subire recusantibus, B. Francisci Familiæ patuit, Fratribus ex Abbatis-villâ accersitis. *Fr. Gonsaga de Orig. Rel. Seraph. & ex litteris. R. P. Hugonis Caretij, ibi hodiè Guardiani.* — * Gal. *Vallētin.*

Antuerpiensis mercatus initia. Brugis, ob rebellionem, captumque superioribus annis Maximilianum Austrium, paullatim exarescentibus, Lusitani Scaldis Antuerpiani fluminis amplitudine ac commoditate allecti, aromata, mercesque alias ex Indiâ Orientali hoc anno Antuerpiam aduexerunt; & cum Senatu Vrbis transegerunt. Secuti mox Fuggeri, & Velseri Germani: demùm Galtereti Florentini, Spinolæ Genuenses, Bonuisi Lucenses, aliæque mercatorum nationes, exceptâ Hispanorum parte, anno ferè 1516. relictis Brugis, sedes suas Antuerpiæ collocarunt: dotium ibì vxoriarum prærogatiuis inuitati, qnibus fœminæ vbi maritis res mercatoria malè cesserit, aut etiam decoxerint, mensasue verterint, creditoribus anteferuntur, dotemque recuperant. *Iacobus Marchantius & Aubert. Miræus eod. stylo.*

De Antuerpiensis opidi præstantiâ exstat eiusmodi carmen prosopographicum:

Oppida quot spectant oculo me torua sinistro,
Tot nos inuidiæ pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenum est, operosa Lutetia, Roma
Ingens, res Venetûm vasta, Tolosa potens.
Omnimodæ merces, artes priscæque nouæque,
Quorum adsunt alijs singula, cuncta mihi.

Vide suprà an. 1357.

Asperrimâ hyeme toleratâ, æstas feruidissima, atque arida dominatur, quæ exustis terræ frugibus, summam annonæ caritatem in Belgium Galliamque induxit.

CHRISTI AN. 504. — ANNO 1504. Maij quintâ, moritur Antonius, Philippi Boni Burgundiæ Ducis Nothus, ætatis anno 83. Sepultus Tornhemi apud Audomaropolim; vir singulari prudentiâ atque animi fortitudine, plurimisque ornamentis — PII 3. PAPÆ AN. 1.

bello partis longè clarissimus. *Vide suprà an. 1421. & 1494.*

Quinto Calend. Decemb. in Hispaniâ fato etiam concedit Isabella Castellæ Regina, Philippi Principis socrus, à cuius morte cœpit demùm Castellæ, Legionis, & Granatæ Rex salutari. *Isabella Reginæ Castellæ obitus.*

CHRISTI AN. 1505. ANNO 1505. Philippus Princeps, in Hispaniam denuò profecturus, secreti Consilij, anno 1455. ab Philippo Bono instituti, Senatores diuidit, atque fixam cuique parti sedem assignat, vnâ Mechliniæ (indito CONSILII SVPREMI nomine) Principis iussu sedem figente, ad quam ex prouincialibus Curijs Flandri, Artesij, Hollandi, Zelandi, Frisij ac Lutcemburgij appellarent: alterâ in vrbe Bruxellensi permanente, seruato CONSILII ARCANI nomine, & vnicuique Præside ac Principis Procuratore attributis. *Heuterus, Miræus, &c.* IVLII II. PAPÆ AN. 1. *Consiliũ Mechliniense.* *Consiliũ Arcanũ Bruxellæ*

Bruxellæ, Septembris decimâ quartâ luce, Ioanna Castellæ Regina, filiam parit, nomine Mariam, quæ posteà nupsit Ludouico, Hungariæ Regi.

Philippus Princeps in Zelandiam cum ingenti comitatu profectus, Middelburgi Decembris XVII. Aurei Velleris Comitia tertiùm & vltimùm celebrat: quibus noui Equites creati: *Decima octaua Velleris Aurei Comitia.*

HENRICVS IIX. Anglorum Rex futurus.
PAVLVS, Toparcha Licthestainus.
Carolus, Baro Lalanus.
VVOLPHANGVS, al. VVolstrandus, Fustembergæ Comes.
D. IOANNES Emmanuel.
FLORENTIVS, Egmondanus, Buræ Comes.
IACOBVS, Hornanus Comes.
HENRICVS, Comes Nassauuius.
FEDERICVS Croyus, Reuxij Toparcha, &
PHILIBERTVS, Verensis Regulus.

CHRISTI AN. 1506. ANNO 1506. Philippo Principe, ex Zelandiâ in Hispaniam soluente, Gulielmus Croyus, Cheuræ Toparcha, Rebus Belgicis præficitur. IVLII II. PAPÆ AN. 2.

Philippus & Ioanna Principes nostri, in Hispaniam quùm appulissent, Castellæ, Legionis, & Granatæ Regnis inaugurantur.

Mense Septembri Philippus Princeps, florente primùm

iuuentâ, quùm lusu pilæ à prandio excalfactus, frigidam auidè bibisset, febri septem dierum calidissimâ, quam medici Causum vocant, correptus, Burgis, vrbe veteris Castellæ primariâ, è viuis emigrat, annos 28. non ampliùs natus. Ad Miraflores Carthusianos, ibì propinquos, extremo omnium cum mœrore sepultus, in sumptuoso ex alabastrite Mausolæo iacet; corde Brugam Flandrorum in conditorium maternum transmisso. *Bersacius*, *Marchantius*, *&c.* Ottho Egmondius numerale hoc distichon eius funeri inscripsit:

Moritur Philippus Princeps.

DVM ReX CasteLLæ LVCtatVr fLore IVVentæ,
EfVbItâ BVrgIs febre PhILIppVs obIt.

Genuit Philippus ex Ioannâ Arragoniâ, Leonoram, Carolum, Isabellam, Ferdinandum, Mariam, & Catharinam posthumam.

Eius Proles.

Eleonora Emmanuelis Portugalliæ primùm; inde Francisci primi Galliæ Regum vxor fuit;

Carolus & Ferdinandus Cæsares Augusti Regesque amplissimi.

Maria steriles cum Ludouico Hungariæ Bohemiæque Rege nuptias experta est: quo à Turcis in acie trucidato, in Belgicæ procurationem Margaretæ Amitæ successit.

Isabella cum Christierno 2. Daniæ, Catharina cum Ioanne tertio Portugalliæ, Regibus, fœcundè contraxerunt. *Cornelius Martinus, in Geneal. Com. Fland.*

Moritur Ioannes Maubaillius Azincurius, Russellivillæ vndetricesimus Antistes. Is Ecclesiâ suam multâ auxit supellectile; nec pauca ædificia ruinam minitantia honestè restituit. Successit Hector Slinghius.

Item Christophorus Columbus primus nouarum terræ partium & Insularum inuentor in Hispanijs vitâ decedit. Illi hoc Chronographicum dedi Epitaphium:

Christophori Columbi obitus.

ChrIstopherVs CoLVMbVs,
GenVanVs,
OCCIdVI orbIs InVentor
è VIVIs
abIIt, non abIIt.


CARO-

CAROLVS V. CÆSAR, XV.

ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1506.

IVLII II. PAPÆ AN. 2. *Hadrianus Florentius Caroli V. Preceptor.*



NNO 1506. CAROLVS AVSTRIACVS, Ferdinando Fratre, natu maior, in patriam iuit poteſtatem; vixque ſeptennis ab Margaretâ Amitâ datus eſt in diſciplinam Hadriani Florentij Vltraiectini, præſtantis doctrinæ atque pietatis viri: qui baſibus hiſce Regijs innixus, ad honorum titulos magis atque magis conſcendens, tandem ſummum Eccleſiæ promeruit Pontificatum.

Franciſcus DE CRECQVY, Ludouici XII. Gallorum Regis Palatinus, Bononienſis Comitatus cum Imperio Præfectus, Dourierij, aliorumque locorum Toparcha: ad Anglorum Regẽ Regius Legatus, in Legationis Honorarium, Regalem Abacum, aureâ argenteâque ſuppellectile variè inſtructum dono quùm accepiſſet, dicto Dourierenſi in pago, Margaretâ DE BLONDEL coniuge cooperante Collegium Canonicorum ſex, quibus præeſſet Decanus, inſtituit, templumque nouum erexit, quod omnigenâ paramentorum ſerie ſacris peragundis inſtruxit, & annuis reditibus locupletauit: ædibus etiam ſeptem in Decani & Canonicorum vſum ſeparatim conſtructis. Diſtat is locus Heſdino, tertio ferè ad Occaſum lapide, quem Althia Fl. fœcundo Troctarum piſcatu traijcit.

Is ille etiam Franciſcus cœnobio & Eccleſijs Biezenſi, Freſſinenſi, atque S. Lupi eodem in tractu conſtruendis aut inſtaurandis, non modico ære inſudauit. *Ex litteris D. N. Ricquierij, dicti Collegij hodiè Decani.*

CHRISTI AN. 1507.

IVLII II PAPÆ AN. 3. *Margareta Auſtria Belgicæ præficitur.*

ANNO 1507. Februarij X. Catharina, Philippi Principis Filia poſthuma, in Hiſpanijs naſcitur.

Margareta Auſtria, Philippi Pulchri Principis, ſuperiore anno defuncti ſoror, atque Philiberti Sabaudiæ Ducis Vidua, Maij 28. alijs 18. Arteſiæ & cæterarum Belgicæ ditionum, Caroli nepotis ſui nomine, regimen ſuſcipit, prçfuitque ad vſque obitum, tribus nẽpè annis ſupra viginti.

CHRISTI AN. 1508.

IVLII II PAPÆ AN. 4.

ANNO 1508. Martinus Aſſetus, Iacobo Kellano è viuis erepto, ad res Vedaſtini cœnobij, in Atrebatibus gerundas, Abbas ſurrogatur: Optimus proculdubiò paterfamilias

qui

qui maximam vim omnigenæ supellectilis comparauit, domus & villas coëmit, ædes vel amplissimas exædificauit.

Atrebati, minore in foro, loco Coquorum culinis hactenùs deputato, Senatoria Aula amplissima, & spectandi operis, exædificatur: spretis ædibus, quas angustiore in vico, parùm commodas, Senatores in hæc tempora frequentarant.

Fœdus inter Iulium Papam, Maximilianum Imp. Ferdinandum Hispaniæ, Ludouicum Galliæ Reges, aliosque Principes Christianos, Cameraci contra Venetos icitur, mense Decembri. Adfuere Margareta Austria, & Maximilianus Imp. sed incognitus.

Canariarum siue Fortunatarum Insularum opes, nauibus duabus aduectæ, primùm in Hollandiam appellunt; saccaro potissimùm abundabant, vndè tanta eius moderatio subsecuta, vt Antuerpiæ non ampliùs sesquiasse, singulare pondo veniret.

CHRISTI AN. 1509. — IVLII II. PAPA AN. 5.

ANNO 1509. Nicolaus Ruistrius, Episcopus Atrebatensis, Mechliniæ moritur; atque Louanij in Beati Petri Basilicâ, Chori medio sepulturæ traditur, hoc Epitaphio æri inciso cohonestatus:

Hoc saxo tegitur pientissimus Pater Nicolaus Ruistre, de Luxemburgo, Episcopus Atrebatensis, Domus Burgundiæ Consiliarius, & seruitor fidelissimus, insignis huius Ecclesiæ Præpositus, & Vniuersitatis Cancellarius, Collegij Atrebatensis in hoc opido Fundator Magnificus, qui obijt Mechliniæ, anno Domini CIↃ. IX. *Mensis Nouembris die decimâ quintâ.*

Requiescat in pace.

Humaniorum litterarũ studia reuiuiscunt.

Humanitatis studia, cum elegantioris litteraturæ artibus, hisce in partibus diu sepultæ, vel ab ipsis Gotthorum temporibus atque tragœdijs, quibus patria acerbissimè vapulauit, fœlicibus auspicijs in lucem reuocantur, linguis Latinâ, Græcâ, Hebraicâ, visis, ceu ex profundissimo sepulcro in altum subsilire, atque adficere rerum harum optimarum auidos.

Obitus Grisardi.

Eodem, vt opinor, anno, moritur Ioannes Marius, vulgò Grisardus, insignis opidi Atrebatensis restitutor, atque ideò Prætor seu Maior. Eius corpus, vnà cum Mariæ LE BEL, coniugis, in Beati Ioannis templo parœciali sepultum iacet, sub marmoreo monumēto cui adsidet tale elogium.

Asseruit

Asseruit Patriam qui nobis, mole sub ipsâ,
Confectum senio, sic tumulauit honor.
Expulit Atrebato Gallos, sine cæde, superbos:
Nestora nec Graij sic habuêre suum.
Carmine plus fecit, pugnâ quàm mille cohortes:
Oppida Principibus restituitque suis.
Vltima stat propiùs coniux, non morte dirempta,
Perpetuus functos associauit amor.
Corpora & ossa iacent, viuit sed fama perennis.
Grisardum & Bellam tu Deus adde Polis.

Eius Epitaphij auctor fuit Gulielmus, an Gislenus: PISSON Atrebas, Poëta Laureatus.

In Ioannis Præturam successit Ludouicus Filius, dixitque Sacramentum hoc anno, mense Maio.

Primâ April. moritur & Henricus 7. Angl. Rex.

CHRISTI AN. 1510. ANNO 1510. Franciscus Melodunæus, Atrebatensi donatur Episcopatu. Indè annis duobus euolutis ad Morinensem migrauit Cathedram. IVLII II. PAPÆ AN. 6.

Ambrosius Calepinus, Eremita Augustinianus, Bergomi moritur.

Constantinopoli, ingens terræ motus.

CHRISTI AN. 1511 ANNO 1511. Iacobus Croyus, Cameracensis Episcopus, & Cameracesij Comes, ab Maximiliano Cæsare obtinet, vt Cameracum Ducatus titulo honoretur. Hinc nouis Insignibus assumptis, primus omnium Episcoporum Dux Cameracensis atque Cameracesij Comes salutatus, magnâ pompâ Cameracum, Februarij decimâ insequentis anni inuehitur. *Massæus Miræus, &c.* Vide suprà ad annum 1007. de Herluino, primo Cameracesij Comite. IVLII II. PAPÆ AN. 7. *Cameracũ Ducatus titulum recepit.*

Augusti decimâ, Ludouicus VVIDEBIEN, ex Dominicano Atrebatensi Episcopus Gebeldensis, & Morinensis Diœcesis suffraganeus effectus, Sacellum atque cœnobium, Audomaropoli in Alto-monte, ab Norquelmij Dynastis, quibus ab Sanctâ Aldegunde cognomen, constructa, tutelæ patrocinioque Beatę Catharinæ nuncupat. *Bresinius tom. 3. Chron.*

CHRISTI AN. 1512. ANNO 1512. Verno tempore Carolus Philippum Parentem imitatus (vide ad annum 1498.) Bruxellæ in ludicro Ballistariorum certamine, emissâ sagittâ, buxeam volucrem, longiore perticâ eminentem, destinato ictu IVLII. PAPÆ AN. 8. *Caroli Principi dexteritas.*

disijcit, magnâ opidi lætitiâ & applausu. *Philippus Meyerus.*

Philippus Lutcemburgius, Francisco Melodunæo ad Morinos migranti, in Atrebatensem Sedem succedit; qui etiam postmodùm in Morinorum, dein Cenomanorum, indè Tusculanorum Cathedras adlectus, tandem Rubeum Galerum consecutus est.

Petrus cognoménto Bonus, creatur Caricampensis Ecclesiæ Antistes, rexitque annos 38. magnâ prudentiâ & Principum amore.

CHRISTI AN. 1513. *Gallis cæsis Terüanna à nostris capitur & euertitur. Tornacũ ab Anglis capitur. 12. Machinæ Apostolicæ.*

LEON 10. PAPÆ AN. 1.

ANNO 1513. Cameracensi fœdere, anno superiori soluto, Maximilianus Cæsar & Henricus Anglorum Rex, Gallis ad Guinegatam iterum cæsis, Terüannam nono Calend. Septemb. expugnant, eiusque mœnibus disiectis atque ædificijs (summum Deiparæ templum & Canonicorum ædes excipio) dirutis, omne vrbis decus adæquant solo. *Laurentius Surius in Commentario; alijque.*

Septembris vicesimâ, Henricus Anglorum Rex, Tornacum, Neruicæ gentis caput, quod tum Galli præsidio tenebant, ad deditionem compellit. Is nempè duodecim Machinis suis Apostolicis, quas ad 12. Apostolorum honorem conflauerat, atque Imaginibus insigniuerat, pilas ferreas continenter explodens, ruptis aggeribus, viam apeuerat in opidum. Quo statim capto, arx firmissima ingenti sumptu ad Ciuium cohibendos motus, fuit constructa. *Philippus Meyerus.*

CHRISTI AN. 1514. *Collegiũ Buslidianum seu Ariense Louanij.*

LEON 10 PAPÆ AN 2.

ANNO 1514. Hieronymus Buslidius Ariensis in Atrebatibus Ecclesiæ Præpositus, Carolo V. Principi admodùm charus, in Academiâ Louaniensi COLLEGIVM tribus linguis, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ (vndè dictum TRILINGVE) publicè & in æuum exponendis, atque explicandis construit, BVSLIDIANVM eius vulgatius est nomen, nimirùm ab Auctore; quamquam & Ariense possit appellari, vt alia pleraque. Primus Professorum Conradus Goclenius est renuntiatus, qui eo in munere annis viginti consumptis, linguæ & vitæ vsum reliquit; anno 1535. Successit Petrus Nannius, vir in eo professionis genere clarissimus, Antonio Perenotto, tùm Atrebatensi Episcopo percharus; Vndè & Sacerdotium Cathedralis Ecclesiæ consecutus est. Id indicat eius Epitaphium, quod Louanij in Diui Petri legitur:

Petro Nannio, Alcmariano, Presbytero & Canonico Atrebatensi, viro doctissimo, humaniores litteras in Collegio Buslidiano annos XIII. professo, &c.

Obijt an. 1557. XII. Kal. Aug.

Pax inter Galliæ & Angliæ Reges coalescit, redditurque Terüanna deuastata Gallo. *Pax inter Gallos & Anglos. Terüanna redditur.*

Maria Austriaca, Ludouico Hungariæ, & Isabella Mariæ soror, Christierno Daniæ, Regibus despondentur.

CHRISTI AN. 1515. ANNO 1515. Ludouicus 12. Galliæ Rex, nullâ masculâ prole relictâ, Calendis Ianuarij moritur. Iacet in S. Dionysij, iuxta Annam coniugem, quæ anno superiore obierat. Successit in Regnum sanguine proximus Franciscus, Caroli Valesij Filius; Remis 25. Ianuarij sacro oleo inunctus. LEON 10 PAPÆ AN. 3.

Februarij decimâ septimâ, Ludouicus VVIDEBIEN, Episcopus Morinorum suffraganeus, anteà Dominicanus Atrebatensis, etiam vitâ defungitur, atque Audomaropoli in Fratrum Prædicatorum Odeio, sub candido marmore sepelitur, apposito eiusmodi Epitaphio:

Hîc iacet Dominus Ludouicus VVidebien, sacræ Theologiæ Professor, Conuentus Atrebatensis, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Gebeldensis, & suffraganeus Morinensis, qui obijt Anno Domini 1515. Mensis Februarij die 17. Cuius

Anima in pace quiescat.

Fato etiam corripitur Iacobus Vasseurius, 31. Henniacensis Monasterij optimus Antistes, atque reformator. Balduinus DE GLEN, eius loci Asceta, indè præclarus Abbas, virtutis & memoriæ ergò, tale inscripsit tumulo Epitaphium, loquente primùm Iacobo, concludente autem Balduino:

Scita Patrum, conuulsa diu, me Præsule, rursùm
Recepta sunt, & culta sunt.
Organa cum tabulis posui, atque sedilia templo,
Æs Cypriumque plurimum.
Vndique conspexi minitantia tecta ruinam,
Satagente me sed sarta sunt.
Billia quod tellus, & quod Bourchæulia reddit,
Debetur id curæ meæ.
Abba salutabar, fureret cum Creditor acer,*
Huic ære terso fit satis.

* Id distichô est Chronographicũ.

Sic Iacobe domum Vassor componis & ornas,
Reparas, adauges, subleuas.
*Et * licet occideris senio, tibi præmia Christus*
Cœlo reposta reddidit.

* Est etiã hoc distichon chronograph.

Petrus Anconitanus Romæ, à summo Pontifice, Atrebatensis Ecclesiæ Episcopus nominatur. Verùm quòd Purpuratorum Patrum in album esset relatus; Martinus Assetus, Vedastinus Antistes, huius Sedis negotia, Vicarius generalis institutus pertractauit.

CHRISTI AN. 1516 — LEONI0 X. PAPÆ AN. 4.

Catholici cognomentum Hispan. Regibus restitutum.

ANNO 1516. Ianuarij 16. (al. 22.) Ferdinandus Hispaniarum atque Siciliæ Rex, Neapoli mortem oppetit. Is CATHOLICI cognomentum, multis antè sæculis, Maioribus suis concessum, quùm temporis lapsu siluisset, ob Ferdinandi præstantiam, & ignotas Regiones atque Insulas, quæ sensim in Ecclesiæ Christianæ castra postmodùm concesserunt, suâ operâ detectas, ab Iulio secundo Pontifice restitutum postliminiò obtinuit, & ad posteros transmisit. *Vide suprà ad an. 738.*

In Ferdinandi Regna atque ditiones Carolus Austrius noster, eius, ex Ioannâ Castellanâ Filiâ, Nepos, iuit successor.

Frisiæ Dominiũ Carolo V. concessũ.

Georgius Saxoniæ Dux viribus atque ære fractus, Frisiæ Dominium, cedit Carolo Austrio; qui decimâ tertiâ Iunij, eo inauguratus est, dicto, Principis nomine, Sacramento, per Florum Iselsteini Toparcham, Caroli Legatum. Verùm Saxo viribus nonnihil instauratis, Geldri Ducis suasu, omne transactum, velut fungos, statim euertit, & arma resumpsit.

Vndeuigesima Velleris Aurei Comitia.

Octobris 26. Bruxellæ in templo Beatæ Gudulæ sacro, Carolus Princeps, Aurei Velleris Comitia habet; quibus Torque Aureâ fuêre donati:

FERDINANDVS Austrius, Caroli Frater.
FRANCISCVS, huius nominis primus, Rex Galliæ.
FEDERICVS, Comes Palatinus.
IOANNES, Marchio Brandenburgius.
GVIDO BAVMIVS, Montreuelij Comes.
HVBERTVS, Comes Mansfeltius.
LAVRENTIVS GORRENODIVS, Marnaij Toparcha.
PHILIPPVS CROYVS, Portiani Comes.
IOANNES GAVRÆVS, Frezinij Regulus.

AN-

ANTONIVS CROYVS, Dominus Sampensis.
ANTONIVS LALANVS, Montigniaci Dynasta.
CAROLVS LANNOYVS, Sanzelij Toparcha,
ADOLPHVS BVRGVNDVS, Beueræ Regulus.
FELIX, VVerdemburgij Comes.
EMANVEL, Rex Portugalliæ.
LVDOVICVS, Rex Hungariæ.
PHILIBERTVS, Aurangiæ Princeps.
MICHAEL, Folqueſtaignij Dominus.
MAXIMILIANVS HORNANVS, Gaeſbeexæ Regulus.
GVLIELMVS, Ribampetræ Toparcha.
IOANNES, Trazenij Baro.
IOANNES, Dominus VVaſſenarius.
MAXIMILIANVS BERGIVS, Zeneberghæ Dominus.
FRANCISCVS MELODVNÆVS, Eſpignoij Comes, &
IOANNES, Comes Egmundanus.

Ijs in Comitijs Carolus Princeps numerum vnius & quinquaginta Equitum eſſe voluit.

CHRISTI AN. 1517. LEON 10. PAPÆ AN. 5. *Caroli V. in Hiſpaniã profectio*

ANNO 1517. Carolus Auſtriacus, vnà cum ſorore Elionorâ, ex Zelandiâ ſoluens petit Hiſpaniam. Deſcendentem ex Naue Prætoriâ Carolum, tres Epiſcopi, multique Proceres Hiſpani, exceperunt, à quibus ad Ioannam matrem Reginam deductus eſt.

Teruãnna inſtauratur.

Franciſcus Gallorum Rex, Teruannenſis õpidi opportunitate motus, eius foſſas purgari, murum ac vallum reſtitui iubet, multoque ac anteà fuerat, munitius reddit, ei præficiens N. Freſnoij Dominum, Moreullij Reguli Nothum.

Bethuniæ Virginum Annuntiatarum cœnobium, ab Illuſtriſſimâ Heroinâ Iſabellâ Lutcemburgenſi, Principis Eſpinoij relictâ, inchoatum, & quaſi ad coronidem perductum, Franciſcus Melodunæus, eius filius & hæres, vt ſupremo genitricis mandato acquieſceret, Ludouicâ Foixiâ Illuſtriſſimâ coniuge, in eadem vota eunte, duodecim * Virginibus ad iugiter incolendum, admiſſis, ſuo fine coronat. Locum ſacrauit Franciſcus Melodunæus Morinorum Epiſcopus. Prima ſacro cœtui præfuit Domina Maria Santerrana. *Nicolaus Gazæus in Chronico Ordin. Annunt. Virg.*

* al. tredecim.

Iſabellæ Lutcemburgenſis in templi fundationis ſuæ odęo, ſub marmore iacentis, Gallicum viſitur Epitaphium, Latino ſic donandum:

Hîc iacet Excelsa & potens Domina Isabella de Lutcemburgo, dum viueret, Comitissa vsufructuaria d'Espinoy, vidua Illustris & potentis Domini dicti loci; Conestabilis Flandriæ, Baronis Anthoniæ & Boubersy, D. de Beaumez, Mezencousture Hauchy, Harny, &c. Mater Illustrissimi Francisci de Meleun, Comitis d'Espinoy, Equitis Ordinis Cæsarij, Conestabilis Flandriæ, & Domini supradictorum locorum; fundatoris huius loci, Anno 1519. defuncti.

Alterius ex aduerso Aræ maioris inscriptio refert Hugonem Melodunæum, Principem d'Espinoy, Conestab. Fland. Castellanum Bapalmæ, Baronem Anthoniæ & Boubersij, Domini Richeburgi, &c. mortuum Augusti 13. an. 1553. *Ex Gramaij Betunæâ.*

Id Monasterij prouentibus annuis auctum nuper iuit R. P. Philippus Cauerelius, Abbas Vedastinus, quò numerus Virginum sensim illic accresceret. Caussa? Pietas, quæ hîc regnat. Hinc factum vt instituendis Louanij, & Brugæ similis Ordinis sacris gregibus, nostrarum nonnullæ velut coloniæ illuc aduocatæ postmodùm concesserint.

Vicesimâ quartâ Septembris, Ecclesia Collegialis B. Mariæ Virginis, in Lensiensi opido, ab anno 1028. primùm constructa, hîc instaurata, per Danielem Episcopum Gebeldensem consecratur. *Ex Regest. Eccl. Atreb.*

Lutherus fanatico ductus spiritu, hæreses suas auspicatur.

Scaldis Fl. acutissimo gelu constringitur; atque carris & iumentis fit calcabilis via.

CHRISTI AN. 1518. *Carolus V. Hispaniarũ Rex coronatur.* — LEON 10. PAPÆ AN. 6.

ANNO 1518. Septimâ Februarij, Carolus Princeps Valledoleti, apud Castellanos, in templo Diui Pauli, magnâ cum solennitate & triumpho, in Hispaniarum Regem inauguratur, ac cum matre Ioannâ, coronâ Regiâ redimitur, deducente eum ad templum fratre Ferdinando, sorore Leonorâ, ac omnium ferè Christianorum Principũ legatis.

Vicesima Velleris Aurei Comitia.

Eo ipso tempore, quùm hactenùs Aurei Velleris Comitia, à superioribus Principibus aut in Belgio, aut Burgundiâ fuissent celebrata, iam Barcinone, Carolo Hispaniarum Rege eadem Comitia habente, creati fuere Equites,

FEDERICVS, Toletanus, Dux Albanus.

DIEGVS LOPEZ, Scaloniæ Dux.

DIE-

DIEGVS VRTADVS, à Mendozâ, Dux DE L'INFANTASQVE.
INIGVS FERNANDES, de Velasco, Dux DE FRIAS.
ALVARVS, Dux de Vegerâ.
ANTONIVS MANRICQVEZ, Dux de Nayarâ.
FERDINANDVS REMONTFOLTIVS, Cardoniæ Dux.
PETRVS ANTONIVS, à Sancto Seuerino, sancti Marci Dux, Besignij Princeps.
FEDERICVS HENRIQVEZ, Comes Modicus seu de Modicâ.
ALVARVS, Comes à Tristi-amore.
HADRIANVS CROYVS, Belga Bellorami Toparcha.
IACOBVS LVTCEMBVRGIVS, Gaueræ Comes.
CHRISTIERNVS, Daniæ Rex, &
SIGISMVNDVS, Rex Poloniæ.

Turris Antuerpiensis. Turris Antuerpiensis Mariana, hoc demùm anno suam coronidem accepit. Opus sanè pulcherrimum, nec scio an alibì par. Eius altitudo quadringentis ac decem pedibus, & penè dimidiato constat. *Miræus.* Cæterùm Abrahamus Ortelius, quem in Mariâ Augustâ nostrâ * secuti sumus, ad quadringentos sexaginta sex pedes eleuat. Prior tamen adsertio certior.

* lib. 4. c. 11.

CHRISTI AN. 1519. — LEONIS X. PAPÆ AN. 7.

ANNO 1519. Ianuarij duodecimâ Maximilianus Imperator, Caroli Principis Auus, rebus Belgicæ dispositis, iter in Austriam vt instituit, lentâ febri corripitur; quam, Velsum superioris Austriæ oppidum petens, perpetua venatione atque aucupio fugare dum conatur, eiusque æstum immoderato Melopeponum esu mitigare ac sedare, inualescente acriùs morbo, atque alui profluuio accedente, morte tandem * dissoluitur. Eius obitum eò gloriosiorem atque prædicandum magis reperio, quòd triennio antè ac mori contigisset, menti fixâ altùm mortis memoria, querceum feretrum arcâ ferreâ, quâ Cannabaceum Sudarium conscio nemine continebatur, inclusum, quoquo pergeret, fidum itineris comitem retineret, ac testamenti tabulis iusserit sibi exanimi, os aures, oculos viuâ calce oppleri. *Petitæus.*

Maximilian. Imp. obitus.

* Ætatis an. 59. mense vno, dieb. 20.

Mortis frequens meditatio.

HOC SPECVLVM, SI AD ALTIORA NON LICET PENETRARE SÆCVLA, OB OCVLOS SÆPE HABETE, ET VOBISCVM, QVIB. PRÆESTIS, O CHRISTIANI PRINCIPES.

Carolus V. Imperator renũtiatur.

Defuncto Maximiliano, Carolus Austriacus, Hispaniarum Rex, atque Belgarum, Burgundionumque Princeps, frendente nequicquàm Gallo, Romanorum Imperator à Septemuiris Electoribus, Iunij vicesimâ octauâ, renuntiatur. Hinc Chronographicum:

SCeptra regenda tVo pIa fata dedere NepotI:
Corpora Conde saCro MaXILIane soLo.

Philippus Lucemburgius, Morinorum Episcopus, honoribus & vitâ defungitur. *Vide suprà ad an. 1512.*

Insulæ ab Magellano in Indiâ detectæ.

Ferdinandus Magellanus, homo Lusitanus, mense Septembri è Bæticâ soluens, Canarias primùm Insulas, tum Brasiliam recto itinere petit. Indè viâ compendiosâ, ab Oriente ad Occidentem, in Insulas Molucas, caryophilli prouentu maximè celebres, nauigaturus, Fretum, quod ab ipso MAGELLANICVM vocant, ausu prorsus Herculeo aperit. *Mariana, Miræus, &c.*

CHRISTI AN. 1520. *Hadrianus Caroli Præceptor Hispaniæ præficitur. Carolus V. Imp. Belgicã repetit.*

LEON 10 PAPA AN. 8.

ANNO 1520. Carolus Princeps, Romanorum Imperator Electus, in Belgium transmissurus, Hadrianum Florentium Cardinalem, pueritiæ suæ formatorem, toti Hispaniæ cum imperio præficit Hinc mense Aprili soluens ex Hispaniâ, secundo vsus Oceano, in Angliam sponte traijcit. Vbi honorificentissimè ab Henrico Rege exceptus, triduoque eâ in Insulâ transacto, classem repetijt, præpetique remigio in Zelandiam aduolans, Gandauum appulit, Ferdinandum Fratrem & Margaretam Amitam, qui illum inibì, adeóque vniuersum Belgium expectabant, non mediocriter lætaturus. *Miræus, Meyerus, Petitæus, alij.*

In Hispanijs, ob Caroli absentiam magnus motus.

Calendis Ianuarij, Atrebati nascitur Franciscus Balduinus, insignis Iurisconsultus, atque historicus futurus.

Mense Maio Antonius Coupignius Montis Eligiani Antistes, è viuis eximitur. Illi hòc datum Epitaphium:

Gloria, fama, decus, vani labuntur honores,
Tutius est sacrâ Relligione nihil,
Quam seruans rectam virtute probatus in omni,
Abbas COVPIGNY *hâc intumulatur humo.*
Annis millenis, quingentis, bis quoque denis,
Aureus vt Phœbus voluitur in Gemini.

Succeßit Ioannes Feucius, Henniacensis anteà Mo-

nasterij.* Praesul, vir in humiles humanitate, in improbos seueritate vsus; quem ingenij iudicijque gratiâ, Carolus Caesar, sibi à Consilijs inscripsit, proptereàque Petrum Boucherium instituit Henniacensis Monasterij Coadiutorem, vt vocant, qui cum laude rem egit, templumque aureis & argenteis ornamentis decorauit.

*Vide supra ad an. 1515.

Octobris nonâ, Antonius à Bergis, Bertinici Coenobij Antistes, Leonis X. Pont. Max. habito consensu, proprium templum superioribus annis instauratum consecrauit.

Vicesimâ primâ (alijs 23.) Octobris, Aquisgrani, in B. Virginis Basilicâ, Carolus Princeps, ab Hermanno Archiepiscopo Coloniensi, Imperator coronatur. Iisdemque anno & die Solimanus Turcarum Tyrannus.

Carolus V. Imperatoriâ ornatur coronâ.

Cominij moritur Ioannes Despauterius, Grammaticorum sui temporis Coryphaeus. Eius tumulum hoc disticho cohonestauit Hadrianus Hecquetius, Carmelita Atrebatensis S.T.D. & Poeta:

Mors Ioannis Despauterij.

Hic iacet vnoculus, visu praestantior Argo,
Flandrica quem Niniue protulit, et caruit.

Grando ad palmae magnitudinem in Frisiâ copiosissimè decidit mense Nouembri.

CHRISTI AN. 1521. ANNO 1521. Pridiè Calendas Iunias, Ecclesia Prioratus Praelectini, iuxta Bethuniam, per Nicolaum Tirelli Sarreptanum Episcopum, Ecclesiae Tornacensis suffraganeum, consecratur. *Ex Regest. Eccl. Atreb.* LEONIS PAPAE AN. 9.

Decimâ Sextâ Octob. Bapalma, infirmum tum opidulum, ab Gallis, Claudio Guisio, & Francisco Borbonio, Fani Pauli Comite, Ducibus, nullo negotio capitur, subuersisque portis incenditur. Illam simul cum Castro Rentiacus Toparcha fortissimè strenuissiméque postmodùm reparauit, & nunquam domandi propugnaculi adinstar, Gallis obiecit.

Bapalma ab Gallis capitur, & incenditur.

Hinc Buchinium (nostro idiomate BOVCHAIN) inter Duacum & Valencenas, ad Scarpam El. opidulum, iisdem Ducibus capitur & diripitur. Quo concremato, totoque tractu Ostreuantio miseris depopulationibus euastato; apud Slusam Arcem, duobus passuum millibus Duaco abiunctam, loco palustri & aquoso, tentoria collocat. *Philippus Meyerus.*

Item Buchinium.

Septimâ Nouembris Galli motis castris in Artesiam *Hesdinum*

tendentes, Hesdinense opidum vnà cum arce expugnant, incendioque magnam partem absumunt, honestis matronis atque virginibus fœdè ad stuprum passim raptis.

Et Rentiacum. Hinc Rentiacam Arcem, cum alijs aliquot Castellis, simili iure sibi vendicant, & euertunt. *Heuterus.*

Sacellum B. Virginis Ariensis, quod extra vrbem quasi ad muros sedebat, hostium metu tollitur, aliudque ad eiusdem Deiparæ gloriam, in ipso opido exædificatur. Est nunc templum parœciale, vt suo loco dicemus.

Tornacũ à Carolo V. recipitur. Tornacum à Carolo Cæsare vndique circumuallatum, maioribusque tormentis per vnum dumtaxat diem acerrimè quassatum, ab Gallis deditur, ferijs diuo Andreæ Apostolo sacris.

Cæteris Belgicæ ditionibus adijcitur. Hinc Carolus Tornacum eiusque arcem & agrum eiectis Gallis bello perdomitum prouincijs suis Belgicis adiunxit.

Nummi, Cæsaris iussu, reformati. Idem Cæsar ad veterem normam Romani Imperij, nummos cudi iubet, vt Regalis Aureus æquiualeret Solido Romano, quem fieri iusserat Iustinianus Imperator; & ex consequenti ceteros nummos. Id fieri primùm cœpit Antuerpiæ, quod Imperij esset Marchionatus, à Iustiniano institutus. *Petrus Opmeerus in Chronico recens Antuerpiæ excuso.*

Chorus seu Odeum Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiẽsis instauratur, Cæsare primũ fundationis lapidem iaciente.

Rebus humanis eximitur Leo decimus Pontifex Max. ætatis anno quadragesimo quinto, quùm nouem per annos Petri Nauem præstans Nauclerus gubernasset.

Hadrianus Cæsaris Institutor summus Ecclesiæ Pontifex creatur. In Leonis locum Hadrianus Florentius, Cardinalis, patriâ Vltraiectinus, Caroli V. Cæsaris, in teneris Institutor, omnium ferè Purpuratorum Patrum calculo, V. Idus Ian. an insequentis, renuntiatus successor, conscendit.

B. Ignatius Loyola vulneratur. Beatus Ignatius Loyola, Ordinis Patrum Societatis Iesu futurus Institutor, in Arce Põpeiopolitanâ vulneratur.

Ferdinandus Archidux Austriæ, vxorem ducit Annam, Regis Hungariæ Filiam: itemque Ludouicus Hungariæ Rex, Mariam Ferdinandi sororem. *Surius in Commentario.*

Monasterium Heuerlẽse iuxta Louaniũ. Gulielmus Croyus, Arschoti Marchio, Monasterij Cælestinorum, & Arcis Heuerlensis, apud Louanium conditor, moritur. Dictam Arcem scitè depinxit Iustus Lipsius ad calcem sui Louanij, quod exstat.

CHRISTI AN. 1522.

ANNO 1522. Cæsar iter in Hispaniam parans, Belgas Margaritæ Amitæ regendos committit, in Imperio Ferdinandum Fratrem Legatum constituit. HADR. 6. PAPÆ AN. 1. *Cæsaris in Hispaniam profectio.*

Cæsariani Arcem Rentiacam, quam Franci superiore anno occupatam firmo tenebant præsidio, aliquãdiu obsessam, tormentisque oppugnatam, Præfecto deditionem faciente, recipiunt. *Cæsariani Rētiacũ castrũ de Gallis recipiũt.*

Parœcialis Ecclesia S. Michaëlis, Audomaropoleos mœnibus propiùs, quàm temporum conditio pateretur, adsita, disijcitur; aliaque, in vrbe, cognominis, eod. anno extruitur, primo lapide in fundamentis tricesimâ Maij iacto.

Contagio effrænè in Artesiâ grassatur, adeò vt solum Atrebatum, hominum duodecim millia (in quibus trecenti Sacerdotes extincti) erepta quæsiuerit. *Contagio effrænis in Artesia. Trecenti Sacerdotes Atrebati extincti.*

Christiernus Daniæ, Noruegiæ & Sueciæ Rex, Isabellæ Austriacæ, Caroli V. Imp. Sororis, coniux, cum impotenter Rempublicam administraret, Frederico Holsatiæ Duce eius Patruo, ac Lubecensibus in ipsum arma sumentibus, Regnis vnà cum coniuge Isabellâ deturbatur. *Petitaus.*

Nouembris decimâ octauâ, Nicolaus Sarreptanus, Tornacensis Ecclesiæ Suffraganeus, in Atrebatense opidum aduocatus, Ecclesiam Sancti Auberti parœcialem, sacris inunctam dedicat. *Ex Reg. Eccl. Atreb.*

CHRISTI AN. 1523.

ANNO 1523. Epidimiç lue etiam hoc anno per Artesiam serpente, atque Audomarenses vehementer cõprimis perturbante, Senatores, in publicum quid acturi sint bonum, perplexi, tandem Beginarũ ædes, inducendis eò, peste tactis hominibus, & defunctis sepeliendis, pretio sibi cõpararunt. HADR. 6 PAPÆ AN. 2.

Vniuersa Frisia Occidẽtalis Carolo V. Cçsari acquiritur. *Frisia Occidua Cæsari acquisita*

Arx Balleoli-Montis parum munita, ab Vendomio, cum præualidis Gallicanorum Equitum Peditumque copijs, Peronâ in Artesiam mouente, capitur & euertitur. *Ducis Burbonij ad Cæsarẽ defectio.*

Carolus Dux Burbonius, Regiâ stirpe Princeps editus, totiusque Galliæ Equitum magister, capitali odio erga Franciscum Regem concepto, ad Caroli Cæsaris Duces, in Italiam transfugit.

Decimâ quartâ (al. vigesimâ octauâ) Septembris, Romæ moritur Hadrianus sextus Pontifex Maximus posteaquàm eâ in dignitate sedisset annum vnum, menses octo, & dies nouem. Exstat eius vita, à Paulo Iouio, pecu- *Mors Hadriani VI. Pont. Max.* CLEM. 7. PAPÆ AN. 1.

 liari

liari volumine descripta; quanquàm alibi in Historiâ Iouius Hadriano iniquior videatur.

Iacuit Hadrianus primùm duos inter Pontifices, Pios 2. & 3. in Vaticano, pòst ad S. Mariam Animæ Germanorum, augusto Mausoleo conditus est; hoc Elogio adiuncto:

Hadrianus VI. Pont. Max. Traiecto insigni Inferioris Germaniæ vrbe oriundus, dum humanarum rerum maximè auersatur splendorem, vltrò à proceribus, ob incomparabilem sacrarum litterarum scientiam, ac propè diuinam castissimi animi moderationem, Carolo V. Cæsari Augusto Præceptor, Ecclesiæ Dertusensi Antistes, sacri Senatus Patribus Collega, Hispaniarum Regnis Præses, Reip. denique Christianæ diuinitùs Pontifex absens adscitus, vixit ann. 64. menses 6. dies 13. decessit XVIII. Cal. Octob. anno à partu Virginis 1523. Pontificatus sui an. 2.

Nos olim dederamus illi talem Anagrammatismum:

ORTVS SINV FLANDRIÆ,

Nempè Flandriæ nomine latè, pro Italorum more, vsurpato; simul & elogium, loquente Flandriâ:

Nullus ambigat: est hic Adrianus,
(Inquit Flandria, mater Adriani)
Qui meo gremio editus, volando
Pennis aliger eruditionis
Et virtutis: habet suos Athlantes
Cæsares, habet ille Purpuratos
Patres: atque Patrum fit ipse tandem, &
Cæsarum Pater atque Athlas, meumque
Nomen consecrat æuiternitati.

Vide insuper Elogia Belgica Auberti Miræi.

Decembris 24. profesto Natalis Christi, Clara Rhodus (vt Horatius vocat) ab Solimano Turcarum Imp. ingenti Christianorum damno, capitur.

CHRISTI AN. 1524. ANNO 1524. Franciscanorum Atrebatum Cœnobium, olim extra vrbem, iuxta opidi muros, non procul Beati Nicolai portâ constructum, diruitur, ob bellorum pericula, quæ à vicinis Gallis imminebant; & in opidi quasi meditullio, vetustæ cuiusdam Arcis fundo, aliud honestiore formâ restituitur. Aliquanto post tempore, noua eius Ecclesia consecrata est, Dominicâ Sanctorum omnium Festum præeunte, sub titulo Beatæ Catharinæ Virginis & Martyris. In prioris verò cœnobij loco, ad futuram CLEM. 7. PAPÆ AN. 2.

memoriam Crux ferrea defixa est; ad quam quotannis, die Fidelium Animabus votiuâ, fratres Processionaliter conueniunt, pro ijsdem preces fusuri. *Gonzaga.*

Nouembris decimâ septimâ, Atrebati moritur Hugo Melodunæus, Procomes Gandensis, atque opidi Atrebatensis Præfectus. Sepultus est ad Diui Ioannis Ronuillani.

Ioanna Ranchicurtia, Strumensis cœnobij Regimen assumit, nec nisi viginti quinque annis euolutis, illud dimittit.

CHRISTI AN. 1525.

CLEM. 7. PAPÆ AN. 3.

Franciscus Galliæ Rex, integro exercitu fuso, à Cæsarianis capitur.

Cæsaris pietas atque modestia.

ANNO 1525. Februarij 25. Franciscus Galliarum Rex, promoto trans Alpes exercitu, Papiam Ticinensi in Agro, vt obsidione premit, abs Cæsaris circumuentus milite, vtrinque saucius, cæsis fugatisque Francis, in nostrorum manus, Caroli DE LANNOY Artesij, Mingouallij Toparchæ fidei se credens, captiuus venit. (Par huic exemplum hîc habes, ad an. 1356. de Ioanne Rege, & Dionysio Morbekano Artesiensi.) Illam porrò victoriam vt intellexit Cæsar, statim ad templum iuit, Deo exercituum gratias acturus. Postridie sacro-sanctum Eucharistiæ Sacramentum, frequentissimo in cœtu sumpsit; campanarum sonitu, ignibus, alijsque modis lætitiæ signa edi prohibuit, & palam dixit, triumphum ex solis nostræ Religionis hostibus esse ducendum. Eius victoriæ exstat versus hic chronographicus:

*al. DVCIs.

*anno 1524. ante Pascha.

ArMa AqVILæ VInCVnt LILIa CeLsa * *trVCIs.*

Item illud vetus.

AqVILa ConCVLCaVIt LILIVM *.

Eustachius Croyus, Illustrissimorum Henrici (aliàs Frederici) & Lambertæ, Rœuxij Comitum Filius, ingenij iudicijque præstantiâ, vel adolescens, ad summa natus, Atrebatiæ Sedis Pontifex acclamatur.

Ariensi in opido Congregatio Beginarum, quæ abs anno 1261. nulli Religionis voto adstrictæ, sub communi domicilio conuixerant, arctiori vitæ genere coërcentur, curante Morinorum Pontifice, atque Clemente 7. id facti, missis an. 1528. litteris adprobante. Earum cœnobium à Præsentatione B. Virginis nomen habet, sub B. Iosephi, eiusdem Virginis Sponsi patrocinio.

Porrò de Beginarum instituto legere qui volet, adeat

Iacobum Vitriacum, tract. de Virginibus quæ in Mosam seruandæ Virginitatis caussâ, anno 1212. sese præcipitarũt: Thomam Cantipratanum, de bis mille Beginis Niuigellensibus: Petri Herentalij Chron. MS. Massæum de Ioannâ & Agnete sororibus Beginis, Hellini Alueti Nob. Viri Filiabus; Ioannis Molani Natales Belgicos, de Beatâ Gertrude AB OOSTEM: Ioannis Frederici Lumnij plenum hisce de rebus Commentarium; denique Auberti Miræi Chronicon ad an. 1364.

Rusticorum Germanorum ad 100000. clades.

CHRISTI AN. 1526. *Cæsaris cum Elizabethâ Lusitanâ Nuptiæ. Varia Cæsaris sponsalia antè irrita.*

CLEM. 7. PAPA AN. 4.

ANNO 1526. Ianuarij decimâ, Carolus V. Imp. Elizabetham, Emmanuelis Portu-Galliæ Regis Filiam natu maximam, ingenti totius Hispaniæ Ordinum lætitiâ, ducit vxorem. Hispali nuptiæ fuerunt celebratæ. Hîc nota, Carolo Imp. Sponsalia vel quintùm anteà dicta fuisse:

1. Cum Claudiâ Ludouici XII. Galliarum Regis, & Annæ Britannæ Filiâ, an. 1501.
2. Cum Mariâ, Henrici septimi Angliæ Regis Filiâ, an. 1507.
3. Cum Renatâ, alterâ dicti Regis Ludouici Filiâ an. 1515.
4. Cum Ludouicâ Francisci Gall. Regis Filiâ, adhuc in cunis vagiente, an. 1516.
5. Cum Mariâ, Henrici Angliæ Regis & Catharinæ Amitæ Filiâ, an. 1522.

Et singula eorum irrita abijsse, Cæsare scilicet fœliciora cum dictâ Elizabethâ auspicaturo atque sancturo.

Pax Madrilana inter Cæsarē & Franciscū Regē. Obsides.

Decimâ tertiâ Ianuarij, Pax inter Carolum Cæsarem, & Franciscum Gallorum Regem, qui in Hispanijs Mantuæ Carpentanorum * captiuus detinebatur, eâdem in vrbe sancitur.

* vulgò *Madrid.*

Mense Martio Franciscus Rex, liber è custodiâ dimittitur, filijs duobus obsidibus datis.

Augusti 28. Buda Hungariæ Metropolis & Regum sedes, fœdè Solimano Turcarum tyranno traditur.

Decimâ Septembris, Audomaropoli parœciale Diui Michaëlis templum, anno 1522. instaurari cœptum, consecratur.

Capucinorum Ordo exoritur. Vide infrà ad annum 1586.

ANNO

CHRISTI AN. 1527.

ANNO 1527. Maij sextâ, Roma à Caroli V. Imp. exercitu, Duce Carolo Borbonio capitur, & miserè diripitur; Borbonius, dum in mœnibus fortiter dimicat, glande plumbeâ traiectus, paulò pòst moritur. Vrbis funus hoc expressimus chronico:

Clem. 7. Papa Ann. 5. Roma à Caesare capitur.

OrbIs, RoMa, CapVt, haC Vt tIbI fVnera Borbo,
QVId geLIda effICIent effera Corda pLagæ?

Iunij sextâ, Clemens Pontifex, in Hadriani Mausolæo, seu Angeli Castro, quò confugerat, obsessus, grandi se pecuniâ redimit.

Pontifex Romanus libertati asseritur.

Vicesimâ primâ Maij, Vallidoleti, Philippus 2. Hispaniarum Rex futurus, Caroli V. Imperatoris Filius, ex Isabellâ, Emanuelis Lusitaniæ Regis Filiâ nascitur: ob cuius Natalem, dum ludicris certatur militaribus pugnis, ingentiaque per vniuersam Hispaniam lætitiæ eduntur signa; Cæsar de rebus Romæ per suos feliciter gestis, certior redditur: quibus auditis, ab omni spectaculo & lætitiæ signis abstineri imperauit. De Philippi 2. Natali, hoc exstat Chronographicum:

Philippi 2. Hispaniæ Regis & Principis nostri futuri natalis. Cæsaris, de Roma capta vt audit, summa modestia.

Grata Deo SoboLes, GenerIs spes CLara PhILIppVs;
NasCItVr, AVstrIaCo LaVrea prIMa patrI.

Augusti secundâ,* Viennæ, Natalis Maximiliani secundi Imp. Ferdinando 1. Imp. & Annâ Ludouici Hungariæ & Bohemiæ Regis Filiâ, parentibus.

* Quibusdam, Calend. Augusti.

Natalis Maximiliani 2. Imp.

Henricus Bauarus, Traiectensium ad Rhenum Fl. Episcopus, plurimis ab ipsis Traiectensibus exagitatus molestijs, vt ijs tandem aliquando sese explicaret, Pontificis Romani, Ordinumque Traiectensium consensu, profana omnia Traiectinæ ditionis iura, in Carolum Cæsarem, eiusque successores, solenni diplomate transfert. Nonnulli id factum scribunt anno sequente 1528.

Traiectensis ditio Cæsaris Belgicis Prouincijs adiungitur.

Beatæ Virginis Mariæ Sacellum, in Dominicanorum Atrebatium cœnobio, signis ad Deiparæ Icunculam clarum, à fundamentis instauratur.

Carolus DE LANNOY, Mingouallæ Toparcha, pestilenti febre extinguitur. Is est ille Carolus, qui Papiensi in prælio, Franciscum Galliarum Regem, fuso fugatoque

Caroli Lannoij multis nominibus celebrandi obitus.

toque exercitu, cruce saucium, captiuum suum fecit, quemque appetente æstate, in Hispaniam ad Carolum Cæsarem deduxit. Hinc Lannoyus propter operam isto in bello egregiè nauatam, amplis in Italiâ possessionibus ab Imperatore est donatus. Sulmonensis Princeps creatus, atque Prorex Neapolitanus constitutus, quâ in dignitate è viuis excessit.

Est porrò Mingóualla *, de quâ iam diximus, celebris Artesiæ pagus, Atrebato, quà Paulopolim iter est, tribus circiter milliaribus abiunctus.

* Gal. Mingoual.

Nouembris 11. Fœdus inter Francum atque Anglum icitur, atque in Cæsarem pariter coniuratur.

CHRISTI AN. 1528. *Mutuæ Gallorũ & Belgarũ populationes.* CLEM. 7. PAPÆ AN. 6.

ANNO 1528. Galli in Artesiam, & nostri vicissim in Picardiam populabundi excurrunt, & obuia quæque rapinis & incendijs complent.

Arx Grauelingana.

Grauelingæ Arx noua, firmissimis munita propugnaculis, totius Flandriæ impendio construitur.

Cyprianus à Monte-Morencio, Nobilissimus Heros, N. Dominæ Mariæ DE MARKAIS maritus, è viuis recedit atque Atrebati, in Beati Nicolai parœciali templo, cui varia beneficia, concurrente in vota vxore, contulerat, iniuit sepulcrum.

Panagia Siluia, Claristarum Hesdiniensium secunda Antistita, sanctimoniæ laude commendabilis, etiam vitam hanc mortalem cum immortali commutat.

CHRISTI AN. 1529. *Pax inter Pontificẽ Max. & Cæsarem.* CLEM. 7. PAPÆ AN. 7.

ANNO 1529. Iunij 26. Barcinone, pax inter Clementem septimum, & Carolum V. Imp. sacra.

Quartâ Iulij, Duaci Ecclesia Collegialis Beati Amati, per Nicolaum Sarreptanum Episcopum, Ecclesiæ Tornacensis suffraganeum, denuò (quas ob caussas, nescio) consecratur, inque eius principe altari Reliquiæ S. Hermetis fuerunt reconditæ. *Ex Regestis Eccl. Atreb.* De S. Hermete, vide Ioannis Molani Natales, 28. Augusti. At de S. Amati templo, hîc, ad an. 649.

Cameraci Pax inter Cæsarem & Franciscum Regẽ publicatur. Pacis Leges.

Quintâ Augusti, Cameraci, in summo Beatæ Virginis templo, pax inter Carolum Cæsarem, & Franciscum Gallorum Regem inita publicatur, his legibus:

Carolus, eiusque hæredes, supremi Artesiæ Domini perpetuò sunto:

Atrebatum, quoquo modo à Francorum iugo liberum esto.

Hesdinum à Gallis occupatum, vnà cum Arce & tormentis, redditor.

Lites omnes ex prouocatione, ac aliâ ratione, varijs Franciæ locis pendentes, redditis chartis ac tabulis, eò seruientibus, Prouinciali Flandriæ aut Artesiæ Consilio, aut Generali, quod est Mechliniæ, definiendæ remittuntor, &c.

Cæteras omitto, quòd eminus nos videant.

Mense Septẽbri, nouum morbi genus, quod SVDOREM ANGLICVM, vel ANGLICAM PESTEM SVDATORIAM dixere, Germaniam & Belgicam miserè affligit. Antuerpiæ tridui spatio, quadringentos aut quingentos homines exstinctos testatur Erasmus *Epist. lib. 26. Epist. 56.* Itaque quùm solennem supplicationẽ Clerus, Senatus, & populus Antuerp. ipso die S. Michaëlis, placando Deo instituisset, subitò malum serpere desijt. In cuius beneficij memoriam, etiamnum quotannis, isto die solennem Antuerpienses celebrant supplicationem. *Aub. Miræus.* Plura de isto morbo, vel peculiari tractatu scripsit *Rolandus Mechliniẽsis*, & ab illo, *Ludouicus Guicciardinus, Laurentius Surius in Cõmentario, alij.*

Pestis sudatoria Anglica Antuerpia admodùm grassatur. Sedatur. supplicatio annua.

CHRISTI AN. 1530

ANNO 1530. Festum Gloriosissimi Nominis Iesu, à Clemente septimo, Ianuario mense, instituitur. *Molan. l. 3. de Picturis, cap. 1.*

CLEM. 7. PAPÆ AN. 8. *Festum Nominis Iesu.*

Februarij 24. Bononiæ in Italiâ, Carolus Cæsar iam substiterat, quando die suo Natali, Diuo Mathiæ Apostolo dicato, qui etiam ante quinquennium, Ticinẽsi ad Papiam victoriâ, Francisco Rege capto, faustus celebrisq; euaserat, Clementis Pont. Max. sacratis manibus, in Imperatorem Augustũ susceptis solenni ritu ornamẽtis, cõsecrari voluit.

Carolus V in Imperatorẽ à summo Pontifice consecratur.

Atrebati, Cæsaris ex Italiâ reducis auctoritate, nouum tribunal, ad Ius dicundum, quùm ciuilibus, tum capitalibus in caussis & actionibus quibuslibet, instituitur; ad quod ex minoribus totius Artesiæ iudicijs prouocare liceret. Id autem constaret Præside vno, duobus Equitibus, sex Consiliarijs, Aduocato, Actore, Graphiaro, Quæstore, varijsque Accẽsis, seu Ianitoribus. Eâque ratione Cæsar Artesiæ suæ consultum voluit, quam ob militares homines vnicè diligebat. Atrebates enim & Flandri, ante pactionem Madritianam, aut Lutetiæ, aut alijs Galliæ locis, magno temporis & pecuniæ dispendio, lites suas prosequi cogebantur! *Sic ferè Philippus Meyerus.*

Atrebati Artesiẽsis Prouincia Consiliũ à Cæsare instituitur.

CAMERÆ ARTESIENSIS PRÆSIDES.

1. IOannes Caulierius.
2. Gulielmus Hangouartius.
3. Ludouicus DE MARTIGNY.
4. Iacobus DE REBREVVIETTES.
5. Petrus Asſetus: obijt anno 1580.
6. Ioannes Richardotus. Eam dignitatem ſuſtinere cœpit anno 1582. dimiſit an. 1586. ad ſanctius Principum Belgarum Conſilium Bruxellam vocatus; cuius dum Præſidem gerit, Atrebati moritur, tertio Septemb. an. 1609. ex Gallicâ ad Regem Legatione redux.
7. Hieronymus DE FRANCE: obijt an. 1606. menſe Iulio. *Vide infrà ad an. 1562.*
8. Raynutius DE FRANCE, Hieronymi F. hodiéque ſuperſtes.

Omnes Equeſtris Ordinis titt. illuſtres.

EQVESTRIS ORDINIS DYNASTÆ IN EANDEM CAMERAM *hactenùs cooptati.*

1. Ioannes à Noua-villâ, eiuſdem loci & Bouberij Toparcha.
2. Balderinus Poixius, Lignerœulæ Dominus & Fani S. Pauli Seneſchalcus.
3. Franciſcus, VVarluzelij & Bretencuriæ Dynaſta.
4. Carolus Bernimicurius, Tieulloij Toparcha, ac Mariæ Hungarorum Reginæ Palatinus.
5. Franciſcus Bernimicurius, Thielloij poſt Carolum etiam Toparcha, Bethunienſis opidi Præfectus, atque Margaretæ Parmenſis Duciſſæ Palatinus.
6. Carolus Bonnierius, Baro Auchiacus.
7. Ioannes Bernimicurius, Tieulloij & Freuinij Dynaſta, Bethunienſis opidi Præfectus.
8. Hadrianus Morelius, Tangrij & Freuillerij Dominus.
9. Ioannes à Monte S. Eligij, VVendiniorum & Metz-Callani Toparcha, Dynaſtiæ ſeu Gubernantiæ Atrebatenſis Proconſul*, hodiéque ſuperſtes.
10. Ioannes Bonnierius, Baro Auchiacus.

* Vulgò locumtenent, ſeu vicegerens.

EIVS-

EIVSDEM CAMERÆ CONSILIARII.

1. GVlielmus Hangouartius, patriâ Insulanus, Pietræ Dominus, postmodùm eiusdem Consilij Præses.
2. Iacobus Chambrierius, Burgundus.
3. VValeranus Landasius, Insulanus, Heullææ Dynasta.
4. Ludouicus Martignius, Atrebas.
5. Carolus Crespinius, Atrebas.
6. Ioannes Grenetius, Bethuniensis.
7. Robertus Coronelius, Atrebas: Successit Hangouartio.
8. Petrus Courcolius, Atrebas: Successit Chambrierio.
9. Hadrianus Belualetius Paulinas, Bernicuriæ Toparcha: Successit Grenetio, an. 1537.
10. Petrus Assetus, Atrebas: Successit Crespinio; posteà Præses, obijt an. 1580.
11. Petrus à Monte S. Eligij, Atrebas, VVendiniorum Toparcha: Successit Landasio.
12. Petrus Hespelius, Insulanus: Succesſit Courcolio.
13. Ludouicus Villanus, Ioilani Dominus: Successit Belualetio.
14. Philippus Raulinus, Atrebas, Mottææ Dominus: Successit Martignio, mense Septembri, an. 1570.
15. Petrus Coronelius, Atrebas: Succesſit Roberto Coronelio.
16. Iacobus Rebreuuietius: Successit Ludouico Villano.
17. Ioannes Sarracenus, Atrebas, Abbas Vedastinus, inter Patres-Conscriptos numeratus 23. Ianuarij an. 1585. De illo plura alibì.
18. Petrus Grenetius, Fermontij Dominus, obijt an. 1585.
19. Georgius Ratelerius: Succesſit Iacobo Rebreuuietio.
20. Ioannes Baptista à Monte S. Eligij, Atrebas; ex resignatione Petri, eius fratris.
21. Gulielmus de Cruce, Audomarẽsis, Herninghemi Dominus: SuccesſitRatelerio. Obijt an. 1594. MẽseMartio.
22. Nicolaus Cornaillius, Hesdinensis, Hoppij Dynasta: Succesſit Ioanni Baptistæ à Monte S. Eligij.
23. Petrus Belualetius, Paulinas, Pomerææ Toparcha; Consul est dictus an. 1565.

24. Ioannes Brioisius, Atrebas, Sauij Dominus: Successit Raulino an. 1571. mense Augusto. Obijt anno 160. . .
25. Iacobus de Bosco, Allodiensis, in illum Ordinem iuit an. 1581.
26. Hadrianus Morelius Atrebas, Rutorij Dominus: Successit Iacobo de Bosco, cui an. 1583. obire contigit.
27. Ludouicus de Rosâ, Atrebas: Successit Grenetio, an. 1585. Obijt anno 1610. Mense Septembri.
28. Iacobus Pippræus, Bethuniensis, Hayonæ Dominus: in hunc Ordinem relatus est, ex resignatione Nicolai Cornaillij, soceri sui, an. 1585.
29. Raynutius Baillius, Atrebas, Enghij Dominus: Successit Petro Belualetio, an. 1588.
30. Ioannes Mercerius, Ariensis: Successit Gulielmo de Cruce, an. 1594. Mense Iulio, obijt anno 1595. Mense Septembri.
31. VValerandus Obertius, Hesdinensis, Gœudiempræ Toparcha: Successit Mercerio, an. 1595. Mense Decembri.
32. Antonius Belualetius, Pomeræ Dynasta: Successit Raynutio Baillio; in supremum Consilium ab Principibus Machliniam euocato, an. 1604.
33. Antonius Denysius, Sapignij Dominus: Successit Hadriano Morelio.
34. Ioannes Grospræus, Atrebas Gorguehelæ Dynasta: Successit Ioanni Brioisio.
35. Carolus VVignacurius: Successit socero suo Ludouico de Rosâ, an. 1610.

ADVOCATI.

1. Robertus Coronelius, qui suprà.
2. Petrus Courcolius, qui suprà.
3. Hadrianus Belualetius, qui suprà.
4. Petrus à Monte S. Eligij, qui suprà.
5. Petrus Hespelius, qui suprà.
6. Petrus Grenetius, qui suprà.
7. Gulielmus de Cruce, qui suprà.
8. Petrus Payenius, Atrebas, Bellæcuriæ Dominus id officij recepit an. 1561. anno autem 1594. transmisit in manus Antonij Belualetij, generi sui, de quo suprà.

9. An-

9. Antonius Belualetius iam nominatus.
10. Ioannes Grospræus, qui suprà.
11. Franciscus Balletius, Bassæanus.

PROCVRATORES.

1. Reginaldus Grignartius, Atrebas. Obijt an. 1551.
2. Alexander Flersæus, Atrebas, ex resignatione Grignartij.
3. Ioannes Morelius, Pernensis, Preti Dominus.
4. Nicolaus Cornaillius, qui suprà an. 1558. assumptus.
5. Gabriel DE CITEI, Nobilis Burgundus. an. 1566.
6. Hadrianus Morelius, qui suprà an. 1574.
7. Ludouicus de Rosâ, qui suprà an. 1584.
8. Raymutius Baillius qui suprà an. 1586.
9. VValerandus Obertius, qui suprà an. 1588.
10. Antonius Denysius, qui suprà an. 1596.
11. Ioannes Verlonius.

Martij 23. primus Parlamenti Machliniensis (ad quod, faciente Cæsare, Belgarum appellatio suprema foret) lapis, Parisiensium neglecto isto, iacitur.

Moritur Margareta Austria Belgica Gubernatrix.

Calendis Decembris, Margareta Austria, Maximiliani & Mariæ, olim Artesiæ Principum, Filia, Caroli Cæsaris Amita, Belgicæ Gubernatrix, Mechliniæ, ætatis anno 51. moritur, atque Brugæ, vrbe natali, in Annuntiatarum Virginum monasterio, quod condiderat, cor eius sepelitur. Corpus verò Burgi, in Bressiâ.

Successit in Belgicæ Præfecturam Maria Caroli V. soror, Ludouici Hungariæ Regis vidua.

Franciscus Rex Galliæ, Collegium Trilingue Parisijs instituit, Hieronymi Buslidij, Præpositi Ariensis fortè æmulatione aut exemplo, qui id ipsum in Louaniensi Academiâ anno 1514. iam antè inchoarat atque perfecerat. *Vide suprà ad dictum annum.*

Zelandia ruptis aggeribus, & immisso Oceano, maximâ sui parte inundatur. Vndè hoc distichon:

Anno ter deno, post sesquimille, Nouembris
Quintâ, stat salsis Zelandia tota sub vndis.

Feruntur 404. pagi isto æstu absorpti, idque quintâ Nouembris.

CHRISTI AN. 1531. — CLEM. 7. PAPÆ AN. 9.

ANNO 1531. tertio Idus Ianuarij, Aquisgrani, in Ca-

thedrali Beatæ Virginis templo, Ferdinandus, Caroli Cæsaris Frater, Romanorum Rex renuntiatus, argenteâ Caroli Magni Coronâ redimitur.

Ferdinādus Austrius in Regem Rom. coronatur.

Sed & Eleonora, eiusdem Caroli Soror, Franciæ Regina coronatur.

Germani, Atrebatiæ Archæopolis Præsidiarij, Neopolim ipsam, bis mille quingentis confœderatis freti, occupare satagentes, ab insigni heroë Melodunæo, opidi Præfecto, cooperante ciuium Atrebatium virtute, cedere & quiescere coguntur.

Maij vicesimâ, Atrebatensis Ecclesia, excusso Gallorum Imperio, ad Belgicæ Principes relata, priuilegijs suis, bellorum tumultu admodùm deformatis, ab Carolo Cæsare, plenè restituitur, vt ex eius diplomate, dato Gandaui planè constat.

Tertio Octobris, Hadrianus Croyus, Eustathij Episcopi nostri frater, primus Reuxij Comes, & supremus Artesiæ Præfectus, nuptias, cum Claudiâ Melodunæâ, Francisci, Espinoij Comitis, & Ludouicę Foixiæ Filiâ contrahit. Ex quo coniugio Filiæ quatuor, cum Filijs tribus prodiere. E quibus Eustathius, à Parentis obitu, Reuxij Comes, Audomarensis opidi Præfectus, ætate grandęuus obijt, an. 1609. Vide Heuteri Geneal. vbi singulę proles recensentur.

Vicesima prima Velleris Aurei Comitia.

Tertiâ Decembris, Tornaci, indictis à Cæsare Aurei Velleris Comitijs, creantur Equites:

IOANNES, Rex Lusitaniæ.
IACOBVS, Rex Scotiæ.
FERDINANDVS ARAGONIVS, Prorex Valentiæ.
PETRVS, DVX DE FRIAS.
PHILIPPVS, Dux Bauariæ.
GEORGIVS, Dux Saxoniæ.
Dux Albuquercanus.
ANDREAS AVRIA, Princeps Melphitanus.
PHILIPPVS, Infans Hispaniæ.
REGINALDVS, Toparcha Brederodius.
FERDINANDVS GONZAGA.
NICOLAVS Salassiorum* Marchio. ** Gal. de Saluz.*
CLAVDIVS SAVLMENSIS, Burgundię Marescalcus.
ANTONIVS Marchio Berghensis.
IOANNES DE HENNIN, Bossuti Toparcha.

CARO-

CAROLVS, Comes Lalanus.

LVDOVICVS A FLANDRIA, Pratensis Dynasta.

GEORGIVS SCENCKIVS.

PHILIPPVS LANNOYVS, Molembasij Regulus.

ALFONSVS DAVALVS, Marchio Guastensis.

FRANCISCVS, Mirandæ Comes.

MAXIMILIANVS EGMVNDVS, Buræ Comes, &

RENATVS CABILLONENSIS*, Aurangiæ Princeps. *Gal. de Chalon.

His in Comitijs, Philippus Croyus Comes Portianus, à Cæsare creatus est primus Arschotæ Dux. *Primus Arschotæ Dux.*

Obitus Franciscæ Sabaudæ, Matris Francisci Galliarum Regis.

CHRISTI AN. 1532. ANNO 1532. Ianuarij 17. Cæsar è Belgio Ratisponam ad Comitia contendit, de Pace cum Protestantibus acturus. Aperta ea fuere principio Aprilis, ac Iunij 23. conclusa. CLEM. 7. PAPÆ AN. 10. *Comitia Ratisponensia.*

Sed enim, vbi de Solimanno Turcarum Imperatore, auditur eum vtrâque Pannoniâ euastatâ, Austriam, numerosissimo exercitu stipatum, Scythicâ feritate inuadere, mox passim canitur classicum, Germanique certatim ad militiam sacram dant nomina. *Militia sacra contra Turcas.*

Intereà Franciscus Rex, clàm Solimanno, turpi fœdere iungitur. Vndè postulanti Cæsari contra Turcas præsidium, respondit: Cæsarem non ità pridem Franciam auro exhausisse; militem verò se non posse mittere, ne Regnum veteranis nudatum, hostibus inuadendum diripiendúmque exponere videretur. *Fœdum Francisci Regis cũ Solimanno Turcarum Imp. fœdus.*

Ioannes Georgius Saxoniæ Dux, VII-VIR R. Protestantium Princeps, Lutheri verò Mecænas, & patronus singularis, duodecimâ Augusti mortem oppetit. Cui par Filius succedens, Ioannes Fredericus nomine, Lutherum nihilo seciùs coluit amplexusque est. *Saxoniæ Duces, Lutheri Mecænates.*

Christiernus Daniæ Rex, ex Belgio primùm in Noruegiam, indè in Daniam, spe recuperandi Regni traijciens, à suis capitur & Sunderburgi perpetuæ custodię mãcipatur.

Midelburgi nouo alueo, recto tractu in Oceanum effosso, nauigium compendiosius adparatur. *Fluuius Midelburgius nauigabilis.*

Mense Iulio Bruxellæ prima V. sacramenti Altaris mirando ibì miraculo illustrati solemnis supplicatio.

CHRISTI AN. 1533. ANNO 1533. April. 12. Henricus 8. Angliæ Rex, Catharinam Cæsaris matertérâ, post annos viginti in matrimonio CLEM. 7. PAPÆ AN. 11.

con-

Catharina Austria ab Anglo Rege, Marito, repudiatur. consumtos, & liberos ex eâ susceptos, Annæ Boulenæ, quæ pedissequa Reginæ erat, infatuatus amoribus, iniquissimo diuortio dimittit. Coronata autem est Boulena Londini, quarto Kalendas Iunias. Quo ex adulterio prodijt Elizabetha, eiusdem posteà Insulæ Regina.

Henrici Gall. Regis cum Catharinâ Medicæâ Nuptiæ. Massiliæ, Henricus Aurelianus, Francisci Galliæ Regis Filius, & eiusdem in Regnum posteà successor, cum Catharinâ Medicæâ, Clementis Pontificis Nepte, matrimonium contrahit, quod ob generis obscuritatem impar plerisque videbatur.

CHRISTI AN. 1534. *Iniqui contra Cæsarem conatus.* ANNO 1534. Gallus Philippum Hassiæ Lantgrauium clam sollicitat, ac iuuat pecuniâ, quo Cæsarem bello lacessat. PAVLI 3. PAPA AN. 1.

Idem per Legatos Solymanno, Cæsaris consilia detegit, opemque subministrat.

Henrici Angl. Regis ob turpe repudium excommunicatio. Anglicanæ Ecclesiæ sedicit caput. Martij 23. Henricus VIII. Angliæ Rex, Christianâ communione ab Clemente septimo interdicitur, ob iniquum Catharinæ Aragoniæ repudium. Hinc Rex bacchanti similis, diuina & humana omnia iura suo in regno euertit, & supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput, reiectâ Romanâ sede, sese constituit.

Eustathius Atrebatensis Episcopus, Societatem Beatæ Mariæ Virginis, in eius, apud Dominicanos Atrebatenses Sacello, Iunij VIII. erigit.

Mense Iulio dirus Cometes exortus, in multam subsequentis mensis partem cœlo hæret adfixus.

Septimâ Septemb. Natalis Elizabethæ Anglicanæ ex Henrico Rege & Annâ Boulenâ.

CHRISTI AN. 1535. ANNO 1535. Maij tricesimâ Carolus Cæsar, Classe septingentarum nauium, in quibus duæ & octoginta rostratæ triremes conspiciebantur, stipatis, velis explicatis in Africam ad Tunetanam expeditionem contendit. PAVLI 3. PAPA AN. 2.

I. Fisceri, Thomæ Mori, & Ioh. Houhtoni, Anglorum, Henrici iussu Martyrium. Henricus Angliæ Rex, Ioannem Fiscerium Episcopum Rocestrensem, Thomam Morum, ipsum morum leporem & litterarum decus nec non Senatus Britannici Principem, vnà cum Ioanne Houhtono, Carthusianorum Londinensium Priore, quòd Aragonium diuortium & Ecclesiarchæ ambitionem, aliaque Regis ausa improbarent, securi percutit.

Cæsar, rebus in Africâ feliciter gestis, Barbarisque perdomitis,

domitis, Tunetano Regno tributum annuum vbi imperasset, firmumque Tunetanæ Arci (in cuius obsidione olìm, anno scilicet 1270. B. Ludouicus Rex morbo interierat) præsidium imposuisset, victorijs, gloriâ & spolijs plenus, in Siciliam appellit. Vbi à Siculis passim amplissimis donatus muneribus, brumâ appetente, Neapolim est deuectus. *Philippus Meyerus.*

Ioannes Lotharingus, Morinorum Episcopus, atque Cardinalis, in Albanensem Pontificatum promouetur. Illi in Morinensem cathedram, Franciscus, nobili Crecquianorum Heroum prosapiâ oriundus iuit successor.

Margareta Austria, Caroli V. Imp. Filia, Matrimonio iungitur cum Alexandro Medicæo, primo Florētiæ Duce. *Margareta, Cæsaris Filia, cum Alex. Medicæo Nuptiæ.*

Vndecimâ Augusti, Franciscani Angliâ exiguntur. Septemb. 14. Angli Bononiâ potiuntur.

CHRISTI AN. 1536. ANNO 1536. Octauo Idus Ianuarij, Alexander Medicæus Florentinorum Dux, iam dictæ Margaretæ Austriæ coniux, in ipso ætatis flore (quippè annum vicesimum sextum vix attigerat) ab Laurentio affine suo, & coætaneo interficitur. PAVLI 3. PAPÆ AN. 3. *Medicæus interficitur*

Eodem mense moritur Catharina Arragonia, Henrici Angl. coniux.

Franciscus Gall. Rex, odio atque inuidiâ crescentis in dies potentiæ Cæsareæ, & Mediolanensis ditionis potiundæ cupiditate, velut crabronum aculeis excitatus, pacem anno 1529. initam atque Cameraci publicatam, perfidus abrumpit. *Gallus ictum cū Cæsare fœdus abrūpit.*

Carolus V. Imp. salutato summo Pontifice, Româ discedens, in Gallos arma mouentes, bellum suscipit.

Vndeuigesimâ Maij, Anna Boulena Henrici Anglorum Regis supposititia, capite ob adulterium multatur.

Quinto Idus Iulij, Basileæ Heluetiorum, moritur Desiderius Erasmus Roterodamus, anno ætatis septuagesimo, in litteratorum classe meritò Princeps, vt qui primus quasi signum quoddam ex Arce Palladiâ ad litteras quùm Græcas, tum Latinas instaurandas extulerit, & earum velut Cyclopediam (id est doctrinam circularem) vnus absoluerit: & hoc quidem nomine summè celebrandus. At verò postquàm Theologum agere cœpit, ingenio fisus, nimiumque sibi tribuens, nominis sui auctoritatem, & ad posteros *Erasmi Roterodami obitus.*

gratiam vehementer labefactauit. Vndè in eum Ianus vitalis sic lusit:

Lubrica si tibi mens fuit, & spinosior aquo,
Ingenium certè nobile, Erasme, fuit.
Felix si mistas labruscas dulcibus vuis
Prodiga desisset vinea ferre tua.

CHRISTI AN. 1537. *Artesia ab Gallis euastatur.*

ANNO 1537. Mense Martio Franciscus Galliæ Rex, collecto circiter 30000. militum exercitu, magno impetu Artesiam impetit desolatque: Alciacum castrum, ab Philippo Elsatio Flandriæ Comite, ad Althiæ Fl. ripam in Artesiæ finibus anno 1178. exstructum intercipit: PAVLI 3 PAPA AN. 4.

Arcem Hesdinensem ab Philippo Burgundo, an. 1395. exædificatam, firmo munitam præsidio, quinquagesimâ, ab inito obsidio, luce, iuris sui facit.

Hinc ad Pauli Fanum mouet, quod aliquâ vix morâ oppugnatum, etiam sibi subiecit. Moxque vno velut cursu Pernense, Lileriense, & S. Venantij opida, aliaque minora loca, in sui obsequiũ recipit. *Bresinius, Massæus Heuterus, &c.*

Opidũ S. Pauli à Francisco Rege fortiter munitur.

Indè distributis vbique præsidijs, Fanum sancti Pauli, propugnaculis, vallo, munitionibus augeri iubet: quæ vt fiunt, opido * Ioannem Touteuillium, Villaboni Dominum, attributis illi bis mille peditibus, atque sexcẽtis equitibus; Arci verò Reinerum Pallierium, datis mille peditibus, præficit: qui omnes æquato cum fossoribus labore, cœpta opera perficere conati sunt. *al. Iacobum.

Cæsariani explorant S. Pauli munitiones. *S. Martini Arcem Gallorum deditione accipiunt.* *Fanum S. Pauli obsidione cingunt, expugnant.*

Octauâ verò Iunij, Cæsariani, Florentio Egmondano, Comite Burensi, Duce, iunctis Philippo Croyo, Brederodio, alijsque præclari nominis Heroibus, quos mille ducenti equites sequebantur, Fani Pauli noua opera atque munitiones explorant; ac decimâ eiusdem mensis, Dominicâ die, sancti Martini castrũ, iam olim ab Ocochianis & Saueusijs Regulis constructum, & Clarissimæ Stirpis Bailleolanæ antiquum domicilium, quingentis circiter passibus ab vrbe remotum, in quo Gallus præsidia collocarat, nullo negotio, expugnant. Hinc ante vrbem castra metantur, varijsque hinc indè congressibus velitatur, donec Iunij decimâ quintâ, feriâ sextâ, ab mane in quintam vespertinam mille octingentis pilis ferreis, Occiduam versus & Vrsæ pagas continenter in mœnia contortis, ac ruptis ad trecentos pedes aggeribus, viâ in vrbem patente, Cæsariani

riani ingrediuntur & nullius habito discrimine, promiscuè cædunt; in Arcem, vi iter sibi aperiunt, cuncta diripiunt, & incendunt. Feruntur cæsa quatuor Gallorũ millia, exceptis ciuibus, fœminis atq; pueris. Captiui fuere pauci; quorum præcipui, Villabonius, Ballayus, Laubinus, Blerencurius, & Iuillius. Inclinante die Buranus educto milite, captiuos omnes ad se iubet perduci. Villabonius Grauelingam missus, decem aureorum liliorum millibus numeratis, recepit libertatem. *Guicciardinus, [illegible]. Comment. Carolus Mameranus in Epitome Gestorum Caroli V. Masseus, Bresinius, &c.*

Gallorũ, Ciuium, opidi & Arcis funus. Captiui.

Annus funestissimi illius triumphi, sequente Psalmographi versiculo continetur:

Psal. 86.

*E*CC*e a*L*I*en*I*gen*æ, & T*I*r*V*s, & pop*VLV*s*
*Æ*th*I*op*VM, *h*I *f*V*er*V*nt* ILLIC.

Motis indè castris, Cæsariani Monstrolium, Picardiæ, ad Cangem Artesiæ Fl. opidum, deditione excipiunt & exscindunt.

Monstrolium Cæsarianis deditum.

Terüanna postmodùm ab ijsdem appetitur & obsidio circumuallatur.

Terüanam Cæsariani obsident.

Tricesimâ Iulij, Induciæ trimestres inter Carolum V. Imp. & Franciscum Gall. Regem, in Bomniensi* Arce componuntur & paulò pòst proclamantur, Cæsare Teruannensis opidi obsidionem soluente.

* Gal. Bommys nobilis Artesiæ est pagus.

Induciæ trimestres inter Cæsarem & Regem.

Natalis Ioannis Austrij, breuis æui pueri, parentibus Carolo Cæsare & Isabellâ Lusitanâ coniuge.

Hieronymus Ruffaldus, Lilâ oriundus, Vedastinis Abbas præficitur, demandatamque sibi prouinciam, annorum sex supra viginti decursu, summâ cum gloriâ sustinuit.

ANNO 1538. Iunij decimâ octauâ. Paulo 3. Pont. Max. auctore trimestres inter Carolum & Franciscum induciæ, in decennium protrahuntur; idque peractum apud Nicæam, Sabaudiæ opidum, quo simul omnes conuenerant.

PAVLI 3 PAPÆ. AN. 5. Induciæ in decennium prorogãtur.

Eo in congressu Margareta Austria, Alexandri Medicæi, Florentiæ Ducis, vidua, Octauio Farnesio, eiusdem Pontificis Nepoti, vxor admittitur.

Henricus Nassauuiæ Comes, in arce Bredanâ octiduum vbi ægrotasset, Septembris decimâ tertiâ moritur, relicto ex Claudiâ Chaloniâ coniuge Renato Filio, Aurangiæ Principe.

Tertiâ Octobris, circa horam secundam pomeridianam, itidem supremum diem obit Eustathius Croyus, Atrebatium Episcopus, in Mareolano suo palatio; cuius corpus Audomaropolim delatum, in primariâ æde sepultum est, sub educto ex marmore & alabastrite Mausolæo; cui id Epitaphij coniunctum:

D. O. M.

Et R. in C. Pa. ac Ill. Domino D. Eustathio de Croy, Atrebat. Episcopo, huius & Ariensis Æd. Præposito, pia Matris in Filium offitiosus dolor Monu. pos. Obijt V. Non. Octob. An. M.D.XXXVIII.

Is inter alia piè legata, Mareolensis cœnobij Ascetis, *dedit mansum vnum* (vt loquuntur eius loci monumenta) *iuxta paludem, in quo fons Bertilianus scaturit continuus, quodque murus lapideus vnâ ex parte circumcingit: alterâ verò flumen Mareolense irrigat: super quod debentur nobis 24. solidi, quatenùs eiusdem Reuerendi Patris memoriam exsequentes, in die sui obitus, scilicet mense Februario & Iunio Vigilias nouem lectionum, missamque solennem deuotè celebremus.* Eius Episcopi cor in medio Atrebatensis Ecclesiæ choro, è principis altaris regione est reconditum.

Eustathio successit Antonius Perenottus, Nicolai, Toparchæ Granuellani Filius. Is litteratum peritiâ, iudicio, prudentiâ, consilio, virtute, alijsque dotibus Heroïcis adeò valuit, vt Pius quartus eum sacro-sancto Cardinalium collegio accensuerit, tribusque in Belgicâ, anno 1559. institutis à Paulo quarto Archiepiscopatibus, Mechliniensis Ecclesiæ Metropolitanus fuerit designatus. Inde ab Philippo Hispaniarum Rege dictus Prorex Neapolitanus, ipsamque Hispaniam, Philippo ad Lusitanos proficiscente cum Imperio fuerit moderatus.

CHRISTI AN. 1539. *Elizabethæ vxoris Caroli Cæsaris obitus. Proles.* PAVLI 3 PAPÆ AN. 6.

ANNO 1539. Calendis Maij, Toleti, è partu moritur Elizabetha Lusitana, Cæsaris Vxor, Filium qui paucis superuixit diebus, enixa. Reliquit PHILIPPVM, MARIAM ac IOANNAM. Philippus in paterna Regna ditionesque successit: Maria Maximiliano 2. Imperatori; Ioanna Ioanni Lusitaniæ Regi, maritali sese fœdere deuinxerunt.

In Elizabethæ obitum, Chronicon:

PosCIt fVnerea VbI CæsarIs AVLa CVpressVs:
PVLCher Vernantes abstrahe MaLe Rosas.

Franciſcus Galliarum Rex, Lutetiæ Pariſiorum, celeberrimis exſequijs, Elizabethæ manibus parentari iuſſit. Octobris viceſimâ quartâ, Buræ obijt Florentius Egmondanus, eiuſdem opidi Comes, ac celebris Fani S. Pauli expugnator atque euerſor.

Pariſijs illi parētatum ab Rege Gallo.

Summa in Belgio Annonæ caritas. In Gallijs interim tanta vini optimi vbertas, vt illius auidioribus ſenibus ſolennis ſit hodiéque memoria. *Guicciardinus.*

Summa frumenti caritas & vini vbertas.

CHRISTI AN. 1540.

ANNO 1540. Carolus V. Imp. ex Hiſpaniâ diſcedens, per mediam Galliam, Regijs comitâtibus, iter facit, & Lutetiam Pariſiorum, Frãciſco etiam Rege comitânte, Ianuarij decimâ tertiâ ſubit; magno vbique populorum concurſu & lætitiâ exceptus. Verùm enimuerò paſquillis quibuſdam totam per vrbem diſſeminatis, præſentiſſimum ſui periculum quùm vitaſſet, pernicißimo curſu primùm Cameracum, hinc Gandauum concedit; vbi partim coërcitâ, partim ſopitâ Ciuium proteruiâ, cœnobium Beato Bauoni ſacrum, in Arcem validiſſimam, certum factioſorum frænum, conuertit. *Maſſæus, Guicciardinus.*

PAVLI 3. PAPÆ AN. 7.

Cæſar ex Hiſpania in Belgiũ per Galliam reuertit, non ſine ſui periculo.

Arx Gãdauenſis.

Quinto Kalendas Octob. SOCIETATEM IESV à B. Ignatio Loyolâ, Cantabro, inſtitutam Paulus tertius Papa confirmat. Pontificis diploma vide in Inſtitutionibus Ioannis Azorij, Societatis eiuſdem Theologi & Preſbyteri.

Societas Ieſu per B. Ignatium Loyolam inſtituta à Pont. Max. confirmatur.

Decimâ nonâ Nouembris, Ordinibus Arteſiæ Atrebatum conuocatis, Cæſar quinquaginta aureorum nummûm millia, in ſexennium poſtulat, & impetrat; ſuâque auctoritate, forenſes Atrebatium conſuetudines, ad pauciores redactas confirmat. Eas Franciſcus Balduinus, ab ipſis Gothorum temporibus, antiquato Iure Romano, haſce in Regiones introductas aſſerit; ſed quæ poſtmodùm, hominum temporùmque licentiâ, in immenſum præter æquitatem adauctæ, hâc demùm ætate, repurgandæ cenſebantur. *Philippus Meyerus in Annal.*

Carolus Cæſar Eccleſiam S. Vedaſti, in ſuburbio Bethunienſi abs olim conſtitutam, in ipſam vrbem transferri iubet, alteram ab S. Barptolomei parœcialem ciuibus futuram, cuius turris nuper ingenti molimine ſurſùm educta, principem aduenantibus proſpectum longè latéque effundit; & cæteris ferè ædificijs, ſuâ mole, offundit caliginem. *Vide ſuprà ad annum 540.*

Antonius Lalanus, Montignij Toparcha, primusque Hochstrati à Carolo Cæsare Comes renuntiatus, Gandaui moritur, atque Hochstrati in templo suis impensis egregiè exædificato, sepelitur. Eodem in municipio Arcem à fundamentis instaurarat, vir litterarum admodùm amans, quod vel scriptis editis testatus est. Testamento (nam prolem nullam reliquit) hæredem instituit Philippum Lalanum, ex Fratre Carolo Nepotem, hic Antonium 3. Hochstrati Comitem, & hic Gulielmum Filiū, Gulielmus N. Filium, quintum Hochstrati Comitem, hodiéq; superstitem.

Simon CONSEILLART, Atrebas, Sacræ Cæsareæ Maiestatis Doctor Medicus, Elephantiæ contagio, omni arte Machaoniâ nequicquam obluctante, domitus, vitam, quam alijs prorogarat, sibi non potuit. Iacet apud Trinitarios Atrebatenses, sub marmoreo tumulo, hoc è regione appenso Epitaphio:

Omnigenæ iacet hîc Medicinæ gloria Simon,
Illi à Consilijs, nec malè, nomen erat.
Cæsareos inter Medicos memorabilis vnus,
Præposuit Patriam sed tamen ipse lucris.
Atrebates inter Scabinos tempore vixit,
ARDENTVM MAIOR *cultus honore fuit.*
Hunc sacra sub sacro tumulauit marmore tellus,
Huic domui viuens munera larga dedit.
Huic animæ medicina Deus det viuere in Astris,
Mors tulit in solo multa trophæa viro.

CHRISTI AN. 1541. *Altera Cæsaris in Afri cam expeditio, sed infœlix.* PAVLI 3. PAPÆ AN. 8.

ANNO 1541. Cæsar expeditionem in Africam, Comitijs Ratisponensibus habitis, iterum aggreditur, atque dimensis fluctibus Algerium obsidione cingit: in quâ vt totus est, exorta subitò sæuissima maris tempestas, eandem soluere iubet, atque mense Nouembri in Europam ægrè signa reducere.

Induciæ inter Cæsarem & Franciscum Regem pactæ à Gallo violātur.

Intereà Franciscus Galliarum Rex, Mediolanēsis Ducatus desiderio animum denuò demulcente, pactas cum Cæsare Inducias, quâ potest compertâ occasione abrumpere nititur.

Septembris octauâ, de fabricando vrbis Atrebatensis horologio, cum Iacobo HALOTIO Atrebatensi Ciue, & artifice egregio, honesto pretio conuenitur: quod, ex pacto, eâ excellentiâ perfectum est, vt si Harmoniam

nolarum,musicen quatuor, quinque & sex partium exprimentem attendas, vix alibì iucundius audieris. Accedit quod ipsum horæ signum, sereno cœlo, duobus ampliùs ab vrbe milliaribus, rusticantium auribus facilè sese insinuet. Id præbet maior Vrbis Campana, de quâ ad annum 1464. iam antè diximus: quæ indubiè longiùs multò, latiusque sonum diffunderet, si statione relictâ, cæterarum more, hinc indè vas suum vibrare, & linguæ allidere, alternis motibus, ei permitteretur.

Carolus Comes Egmondanus, alui profluuio in Hispanijs extinguitur. Amorallo fratre, in eius Comitatum successore.

CHRISTI AN. 1542 — ANNO 1542. Verè ineunte; Franciscus Rex, acerbissimis verbis Cæsari, per Castrenses Legatos, bellum indicit, perque omnes sui Regni Prouincias iubet publicari. Id ipsum apud Belgas, non segnius contra Gallum agitatur. — PAVLI 3. PAPÆ AN. 9. *Bellum Cæsari ab Gallo indictū.*

Antonius Borbonius, Vendomiæ Dux, Picardiæ Præfectus, mediocribus in vnum copijs coactis, Arcem Tournehemensem etsi munitissimam ad deditionem cogit, atque cum vicinis munitionibus, funditùs euertit, euastatisque agris opidorum S. Audomari, Ariæ, Bethuniæ, ac Atrebatium, cum ingenti prædâ, in Picardiam regreditur, copiasque in præsidia distribuit. Neque enim is ausus est Occidentalis Flandriæ fines transgredi, Hadriani Croij Comitis Reuxij metu, qui cum Heulano Toparchâ, plurimâque nobilitate Belgicâ, & mille ducentis Equitibus, apud VVatenas substiterat, ad hostium motus obseruandos. — *Artesia per Vendomium Ducem euastata.*

Arienses impetratâ, ab Carolo Imp. facultate, (litteras vidimus) Sacellum Nostræ Dominæ, quod ex suburbio, in opidum migrarat, Ecclesiæ parœcialis titulo condecorât: simulque nouam in vrbe parœciam, ab alterâ S. Petri distinguunt.

Aliquot Societatis Iesu Patres ex Lutetiâ Parisiorum in Belgicam commeantes, primùm in Louaniense opidum admittuntur. *Primùm* (scribit Lipsius) *duo venerunt, circa annum 1542. Pietas & eruditio statim prouexit; plures accesserunt, & Collegium est factum: quod Leuini Torrentij Episcopi Antuerpiensis liberalitate mirificè auxit, qui moriens opes suas ei legauit.* Hæc ille Louanij sui lib. I. cap. XVII. Primus eorum Rector Hieronymus Domenecus vocabatur. — *Primus Patrum Societatis Iesu in Belgium aduentus, Louanij primò accipitur.*

Con-

Concilium Trident. indictũ.

Concilium Oecumenicum, à Paulo 3. Pont. Max. Tridenti indicitur.

Ioannes Feucius XXIX. Montis Eligiani Abbas, moritur: cuius est Epitaphium:

Conditur hoc sculpto sub marmore, Feucius Abbas,
Iudicio clarus, nec pietate minor.
Hanc, virtute, domum, tectis & honoribus auxit;
Consilio iuuit Belgica sceptra suo.

Feucio successit Dauid Hay; cuius diligentiâ tam temporalia, quàm spiritalia fuere conseruata.

Mariæ Stuartæ Natalis. | PAVLI 3. PAPÆ AN. 10.

Nascitur Maria Stuarta, Iacobo V. Scotorum Rege, & Mariâ Lotharingâ parentibus, eorum ex asse futura hæres.

CHRISTI AN. 1543. *Philippus 2. Hispan. Rex designatur, & primæ eius Nuptiæ. Cæsar in Germaniam pergit.*

ANNO 1543. Philippus Cæsaris Filius, sedecim annorum adolescens, Hispaniarum Rex solenni ritu designatus, Mariam Ioannis Portugalliæ Regis Filiam, maritali thalamo sibi associat. Quibus peractis, Hispaniâque salutatâ, Cæsar in Germaniam iter arripit, atque ad sedandos in eâ motus totum se accingit.

Lilerium ex præcedentibus bellorum ruinis, etiamnum debile, ab Antonio Borbonio Vendomij Duce Iunij 14. capitur & incenditur.

Eodem tractu Bapalma ab eodem Borbonio obsidetur. Ei tum præerat Hugo Flouriacus, Aussimontij Toparcha, perquàm generosi vir animi, qui subiectis imbelli opido ignibus in Arcem cum omni milite sese receperat, extrema experiri paratus. At Vendomius raptâ ex flammis, quæ supererat, supellectile, Arcem haud ausus aggredi, ad Regem, qui in Cambrisio considebat, sese contulit. *Philippus Meyerus.*

Geldriæ Ducatus & Zutphaniæ Comitatus, Cæsareis ditionibus accedũt.

Gulielmus Cliuensium Dux, omnibus penè ditionibus exutus, intercedentibus amicis, victoris Caroli pedibus aduoluitur, certisque conditionibus in gratiam recipitur, quarum vna hæc fuit, cederet Geldriæ Ducatui, & Comitatui Zutphaniæ, sineretque iisdem Carolum perpetuò & pacificè frui, vtpote ad quem ex pace Madrilitiâ, & Caroli Geldrensis obitu ab an. 1538. pertinerent.

Atque exindè forteàn hoc equidem anno, icti fuere nummi, in quorum facie vnâ, Cæsaris Imago cernebatur, pedibus Basiliscum conculcantis; cum eiusmodi in circuitu scriptione ex Psal. 90. depromptâ.

Sv-

SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLABIS. 1543.

In alterâ autem facie, Aquila, pullum hunc agnoſcens ſuum, quia pariter cum matre ſolem intuetur, alterum deprimens in terram, quia ab tali ſpeculo oculos declinat:

Et in eius orbe etiam legere erat ex Deuter. 32.

AQVILA PROVOCAT PVLLOS SVOS AD VOLANDVM.

Vbi hîc tu Alciate in Emblematis?

Decimâ Auguſti Strigonia, & primâ Sept. Alba Regalis ab Solymanno Imp. Turc. intercipiuntur.

Carolus V. Imp. Cameracenſibus ciuibus grauiter infenſus, quòd in Gallos animis æquo propenſiores viderentur, munitiſſimam Arcem, in editiore vrbis loco iubet excitari, certum cohibendis Cameracenſibus frænum: durauitque donec coortis per vniuerſam Belgicam, inteſtinis tumultibus, Balduinus Gauerenſis, Toparcha Incius, opidum cum Arce Gallis prodidit an. 1581. *Philippus Meyerus.* *Arx Cameracẽſis conſtruitur.*

Eiuſdem Cæſaris iuſſu, Antuerpienſis ciuitatis mœnia proferuntur, atque propugnaculis contra hoſtes egregiè muniuntur. *Antuerpia dilatatis muris munitur.*

CHRISTI AN. 1544. ANNO 1544. Morinenſis atque Bononienſis agri, ab Maximiliano Egmondano, Buræ Comite, & Hadriano Reuxio ignibus atque direptionibus hoſtiliter euaſtantur. PAVLI 3. PAPÆ AN. II. *Morinorum & Bononiẽſium agri abs Cæſarianis direpti.*

Renatus, Aurangiæ Princeps, ad Fanum Deſiderij globo traiectus cadit. Illi Gulielmus Naſſauuius Patruëlis, qui poſtmodùm malorum Iliadem in Belgicâ excitauit, teſtamento dictus hæres, in ditiones ſucceſſit. *Gulielmus Naſſauuius, Aurãgiæ Princeps Belgicæ lues.*

Bononia ab Henrico Anglorum Rege obſeſſa, in deditionem excipitur. *Bononia ab Anglo capitur.*

Apud Crepiacum opidum pax inter Cæſarem & Franciſcum Regem iterum conuenit.

Elizabetha Francica, tertia Philippi 2. Hiſpaniarum Regis coniux futura, naſcitur.

Moritur Dauid HAY, Eligianorum Antiſtes. Succedit Gulielmus Ruellius, *qui ſic in pietate profecit* (vt habent cœnobij memoriæ) *vt cùm initio eſſet à famulatu menſæ, in monaſterio noſtro, omnium gratiam fratrum conciliauerit, adeò vt in eorum ſocietatem aſcitus ſit: & deindè tùm à Carolo V. tum vno omnium Religioſorum conſenſu electus Abbas fuit. Is monaſterio*

 com-

comparauit, quicquid habet ornamentorum: idque combustum & in cineres redactum, de nouo ædificauit. Sic ibi.

Porrò ornamentorum, de quibus dictum est, magnam partem, ex aureo panno, splendidissimè coruscantium, ab Sancti Nicolai Atrebatensis opidi parœcianis, instaurando templo suo, superiorum permissu., distrahere coactis, pretio accepit.

CHRISTI AN. 1545.

PAVLI 3. PAPÆ AN. 12.

ANNO 1545. Maij decimâ sextâ, Carolus Imp. & Protestantes, VVormatiam de Religionis negotijs acturi conueniunt, sed re infectâ, Comitia in Mensem Ianuarium sequentis anni, Protestantes reijciunt.

Maria Lusitana Philippi 2. Hispā. Regis vxor, moritur.

Augusti 23. (al Iunij 8.) Maria Lusitana, Philippi Hispaniarum Principis coniux, Carolum Filium primogenitum edit in lucem. Sed quartâ ab enixo infante die, 27. eiusdem mensis, partus doloribus excedit è viuis. *Heuterus.*

Antonius Perenottus, Atrebatensis Ecclesiæ Episcopus, exquisito sub triumpho, vrbem ingreditur. Illo sedente perinsigne Lucani Poëma, Ouidio perperàm hactenùs tributum, in ditissimâ dictæ Ecclesiæ Bibliothecâ, repertum est; cuius talis inscriptio

LVCANI POEMA, AD CALPVRNIVM PISONEM EX LIBRO CATALECTON.

Poëma Lucani.

Et initium:

Vnde prius cœpti surgat mihi Carminis ordo,
Quosue canam titulos, dubius feror: hinc tua, Piso,
Nobilitas, veteresque citant sublimia Calpi
Nomina, Romanas inter fulgentia gentes, &c.

Extenditurque ad ducentos sexaginta ampliùs versus. *Hadrianus Iunius lib. 6. Animaduersorum, cap. 1.*

Petrus Boucherius 33. Henniacensis Antistes, Corporis vinculo soluitur. Eius tumulum Franciscus DE GLEN successor, marmore & eiusmodi elogio ornauit:

Flete trucem casum, vestrique Antistitis olim
Tristia Boucheri plangite fata Petri.
Qui placido vultu, qui prono pectore egenos
Excepit: miseros reque operaque iuuans.
Munia qui veri Pastoris obiuit, & instar
Luminis Henneiâ claruit ille Domo.
Quis memoret sacram quantis hanc vestibus ædem
Dotauit? series & mora longa foret.

Heu

Heu vestri obtritus senio fulcimen honoris,
Corruit! ah vestri Cœnobiarcha soli!
Obriguit nouies quino cùm frigore tellus,
Supremum clausit, vere ineunte, diem.

Æstas summè arida, vt ab Iulij XV. ad vsque medium Sept. cœlum, irato simile aquas suas telluri planè negarit, atque hinc non pauca pecora siti confecerit. *Magna Siccitas.*

Bethuniense opidum, damnosum patitur incendium.

CHRISTI AN. 1546. ANNO 1546. Tertio Ianuarij, Vltraiecti Comitia Aurei Velleris habente Cæsare, creantur Equites: PAVLI 3 PAPÆ AN 13 *Vicesima secunda Velleris Aurei Comitia.*

MAXIMILIANVS AVSTRIVS, Rex Bohemiæ.
IVNICVS LOPPEZ de Mendozâ, Dux DE L'INFANTASQVE.
FERDINANDVS TOLETANVS, Dux Albanus.
COSMVS MEDICÆVS, Dux Florentiæ.
ALBERTVS, Dux Bauariæ.
EMANVEL PHILIBERTVS, Princeps Pedemontauus.
OCTAVIVS FARNESIVS, Dux Camerinus.
HENRICVS, Dux Nageranus.
FEDERICVS, Comes Fustebergius.
IOACHIMVS RIÆVS.
PHILIPPVS LANNOYVS, Princeps Sulmonensis.
PONTVS LALANVS, Toparcha Bignicurius.
AMORALLVS EGMONDANVS, Princeps Gaurensis.
IACOBVS, Comes DE LIGNE.
CLAVDIVS VERGIACVS, Baro Champlitæus.
PHILIPPVS LALANVS, Comes Hocstratanus.
MAXIMILIANVS BVRGVNDVS, Marchio Verensis.
IOANNES DE LIGNE, Comes Arembergius.
PETRVS ERNESTVS, Comes Mansfeltius.
PETRVS VVERCINIVS, Seneschallus Hannoniæ.
IOANNES LANNOYVS, Toparcha Molembasius, &
PETRVS CARDONA, Comes DE FRIAZ.

Ijs peractis Comitijs Cæsar in Germaniam profectus Ioannem Fredericum Ducem Saxoniæ, & Philippum Hessum, Iulij XX. proscribit, qui Smalcaldici fœderis, contra se initi primores erant. Hinc Germanici belli initia. *Saxoniæ Dux, & Hessus à Cæsare proscribuntur.*

Maij 22. Iura, priuilegiaque opidi S. Pauli, quæ abs illâ funestissimâ anni 1537. clade, penitùs concidisse declamabantur, Cæsaris benignitate, postliminiò restituuntur & confirmantur: Senatorioque ordine simul instaurato, Ioannes Locrius, Auctoris Proauus, opidi Prætor seu Maior est renuntiatus. *Ex Archiuis eius opidi.*

Maria S. Pauli Comitissæ obitus. Mense Augusto, Maria Lutcemburgensis, Fani S. Pauli Comes, Francisci Burbonij, Vendomiæ Comitis coniux, fato corripitur, anno ætatis 76. Francisco has dedit proles:

Proles. CAROLVM, primum Vendomiæ Ducem, qui in manus iuit cum Franciscâ, Renati Alenconij Ducis Filiâ. Is matrem morte præuenit, an. 1537.

Proles illi obtigere:

1. IOANNES, Enghemi Dux, qui Quintinensi in pugnâ, an. 1557. cæsus occubuit.
2. ANTONIVS, Vendomiæ Dux, Ioannæ Albretanæ Henrici Borbonij Nauarræ Regis Filiæ, maritus: quo ex thalamo prodijt Henricus, 4. Gall. Rex.
3. LVDOVICVS, Condati Princeps.
4. CAROLVS, Rothomagensis Archiepiscopus & Cardinalis.
5. FRANCISCVS.
6. RENATA } Abbatissæ seu Antistitæ.
7. CATHARINA }
8. MAGDALENA }
9. MARIA &
10. ELIONORA.

FRANCISCVM, Mariæ, alijs Hadrianæ Estouteuillæ Ducissæ maritum, Fani Sancti Pauli, à matris Fato, Comitem: quo ex coniugio hæ proles exortæ:

FRANCISCVS & IOANNA, qui in teneris obierunt, &

MARIA BORBONIA, quæ in ditiones parentum successit. Ea nuptias ter celebrauit, 1. cum Ioanne Borbonio Enghemi Comite, 2. Francisco Cliuio, Neuersij Duce, sed eas infœcundas; 3. cum Leonoro Aurelianensi, ex quo liberi:

HENRICVS Longæ-villæ Dux.

FRANCISCVS, hodiéque Fani S. Pauli Comes: & Filiæ quatuor quarum nomina mihi ignota.

LVDOVICVM, Cardinalem, atque Archiepiscopum Senonensem,

ANTONIAM, Claudij Lotharingi, Guisiæ Ducis vxorem.

IACOBVM, qui puer obijt; &

LVDOVICAM, fontis-Vraldi Antistitam.

Gulielmus HANGOVART, Carolo V. à Consilijs, Artesiæ Præses, morte corripitur. Lilæ sepulcrum auitum inijt, in B. Stephani, ad Nauis dextram, apposito sublimi in pegmate Epitaphio:

Nobili viro Domino Guillermo Hangouart, Domino de Pietre, Pommereau, Mairie, de Gondecourt, &c. Carol. V. Cæs. à Consilijs, Artesiæque Comitatus Præsidi, fide & industriâ singulari, grauissimis in rebus, bello togâque quùm de Patriâ tùm de vniuersâ Repub. benè merito, qui restitutæ salutis anno M. D. XLVI. morte obijt: Principi ac bonis omnibus, magnum sui desiderium relinquens, iuxta Maiores conditus est, in dextrâ huius templi Naue: quam peculiari sumptu viuens exædificari curauit Bartholomæus Pater, natus Ioannis Hangouart: legatis insuper testamento in consimilem ibidem structuram bis mille nongentis Francicis aureis, V. Cal. Decemb. anno 1372. in viuis esse desijt, & D. Catharinæ le Cocq, Hugonis, Præfecti Rationum, dicti Cæsaris in vrbe Insulensi Filiæ, anno 1557. sepultæ iuxta coniugem charissimum, memoriæ & gratitudinis ergo ponebatur.

Octobris decimâ octauâ Tridentinum Concilium Oecumenicum inchoatur. *Conciliũ Trid. inchoatur.*

CHRISTI AN. 1547. ANNO 1547. Pridiè Calendas Aprileis, Franciscus Gallorũ Rex, anno ętatis quinquagesimo quarto, Regni tricesimo tertio, in Arce Rambolctanâ, quæ vnius diei itinere Parisijs abest, è medio tollitur, Henrico secundo hærede relicto, duodetriginta annorum Iuuene. *Heuterus.* PAVLI 3. PAPÆ AN 14. *Mors Frãcisci Galliæ Regis. Henricus 2. Patri in Regnum succedit.*

Moritur & Henricus VIII. Angliæ Rex, anno ætatis 57. Regni 38. Eduardo VI. F. successore. *Eduardus Angliæ Rex.*

Tertio Calendas Iunias, Bethuniæ noua Beati Vedasti Ecclesia parœcialis, ex suburbijs in ipsum opidum abs anno 1539. Cæsaris iussu, translata, sacris inungitur & sacratur, operante Paschasio, Salsburiensi Episcopo, Antonij Perenotti Episcopi Atrebatensis suffraganeo.

Ioannes Fridericus Saxoniæ Dux, & Philippus Hassiæ Lantgrauius, à Carolo V. Imp. signis collatis superati, in Cæsaris veniunt manus. Eâ ex victoriâ, tota Germania ani-

Tota Germania domita.

mis consternata, Caroli Imperio caput submisit, atque indè grandia tormenta bellica quampluria (quidam quingenta numerant) quùm ad alios, tum ad Belgas fuere transmissa, in quibus Atrebates nostri vno prægrandi gloriantur, cui à Saxoniæ Duce nomen. Cæsareæ victoriæ nostrum affero Chronographicum:

> *Cæsar*I*as* A*q*VIL*as* V*t*r*V*X G*er*M*a*nI*a spern*I*t*,
> C*og*I*t*V*r*, *at* L*en*I, *s*V*bdere* C*o*LL*a* IV*go*.

Eo in bello, *dum Saxonem Cæsar persequitur* (Iusti Lipsij profero verba) *ad Albim fluuium, sub ipsum prælij tempus, obseruauit Imaginem Christi, in Cruce adfixi, plumbeâ glande ab impio milite recenter traiectam. Stetit & ingemuit; atque altâ voce ad Deum clamauit:* DOMINE SI VIS INIVRIAM HANC VLCISCI, POTES: ECCE AVTEM ME VINDICEM TVVM PARATVM, IVVA. *Certè audiuit & iuuit, fuga & dissipatio hostium ad eius aspectum facta: Dux ipse saucius in manus venit: & bellum vno prælio confectum.* Sic ille in Monitis Politicis l.1.c.2. Vide eiusdem lib.c.7.

Ioannis Austrij Natalis.

Vicesimâ quintâ Februarij nascitur Ratisbonæ, Ioannes Austrius Caroli Imp. naturalis Filius.

Decimo quinto Calendas Nouembris, nascitur & Iustus Lipsius, immortale litterarũ decus & ornamentũ futurus.

CHRISTI AN. 1548. *Cæsar in Belgium redux.* — PAVLI 3. PAPÆ AN. 15.

ANNO 1548. Carolus Cæsar Germaniâ domitâ ac pacatâ, Belgium suum reuisit; ac primò Bruxellam, triumphanti similis inuehitur.

Maximiliani Austrij in Hispaniâ profectio & Nuptiæ. *Philippus Cæsaris Filius Belgicæ Princeps.*

Maximilianus Austriæ Archidux, Ferdinandi Romanorum Regis Filius, natu maximus, in Hispaniam contendit, quùm vt Mariam Cæsaris Patrui Filiam, in coniugem, annuente Pont. Max. sibi sociaret; tum vt Hispanica Regna, Philippo Principe, in Belgicam ad Carolum Patrem iter apparante, Prorex gubernaret. Quippe Philippum Cæsar in Belgium aduocarat, Belgicarum Prouinciarum Principem, summis cum honoribus inaugurandum.

Maximiliani Egmondani obitus. Hæres.

Moritur Maximilianus Egmondanus, Buræ Comes, egregius planè Princeps, relictâ Annâ Filiâ vnicâ & hærede; quæ posteà in thalamum conuenit cum Gulielmo Nassauio, Aurangiæ Principe, ex quâ natus est Philippus Nassauius, Comes Buranus, & Aurangiæ Princeps, in Gallijs cum Borbonicâ familiâ matrimonij vinculo nuper colligatus.

Antonius Borbonius Vendomiæ Dux, Ioannam Alebrettam, Henrici Nauarræ Regis Filiam & hæredem, coniugalis thalami sibi facit consortem. Quo ex connubio prodijt Henricus, qui eius nominis quartus, ætate nostrâ, extinctâ Valesiorum Regum familiâ, rerum in Galliâ maximarum potitus, hoc demùm anno, quo hæc scribimus, sc. 1610. 14. Maij, inopinâ cæde interijt. In cuius Regna Ludouicus Filius, eius nominis 13. successor renuntiatus est.

Vēdom Ducis Nauari Reginæ Nuptiæ

CHRISTI AN. 1549 — ANNO 1549. Moritur Philippus Croyus, Dux Arschotanus, relictis liberis: — PAVLI PAPÆ AN. 16.

CAROLO, qui nullâ relictâ prole decessit.

PHILIPPO, à Caroli Fratris obitu, Caroli, qui hodiéque * auitis stemmatibus refulget, parente.

* anno. 1610.

GVLIELMO, Rentiaci Marchione; &

LVDOVICA, Maximiliani Burgundi, Marchionis Verensis coniuge. Sic Philippus Meyerus: at in nonnullis variat Heuterus, in Genealogijs; adeoque lectori meo, hæc propiùs examinanda relinquo.

Philipp Ducis Arschotani obitus, & proles.

PHILIPPVS SECVNDVS XVI.

ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1549. — PAVLI 3 PAPA AN. 16.



ANNO 1549. PHILIPPVS SECVNDVS Austriacus, Hispaniarum Princeps, Belgicis Prouincijs abs Cæsare Patre donatus; Atrebatum, Comes Artesiæ inaugurandus ingressus, maximo omnium Ordinum & populi applausu, regioque apparatu, quarto Idus Augusti excipitur.

Die sequente, amplissimo in theatro, quod maioris fori medium occupabat, Patriæ, in hæc verba, more Maiorum, Sacramentum dixit:

Ego Philippus, Dei gratiâ, Princeps Hispaniarum, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Habspurgij, Flandriæ, Artesij, promitto & iuro quòd in aduentu meo & successione huius Patriæ, & Comitatus Artesij, conseruabo & conseruari faciam iura & priuilegia eiusdem, quemadmodum à meis prædecessoribus antè est factum, & dictam Prouinciam administrabo in pace, iure & iustitiâ: prætereà quòd viduas & orphanos, pauperes & diuites in suis iuribus manutenebo, &

mani-

manuteneri curabo, & omnia faciam, quæ iustus & supremus Dominus ac Comes Artesÿ facere tenetur. Sic me Deus adiuuet, & omnes sancti eius.

In Cathedrali autem Ecclesiâ, sic etiam dixit:

Ego Philippus, Dei gratiâ, Princeps Hispaniarum, &c. promitto & iuro, quòd in aduentu meo, & successione huius Patriæ, & Comitatus Artesÿ, iura, libertates, immunitates, ac priuilegia huius Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum eiusdem Patriæ fideliter obseruabo. Sic me Deus adiuuet & omnes sancti eius. Bresinius.

Lege Ioannis Calueti Stellæ Hispani Itinerarium, & Heuterum. libro tertio decimo, de honoribus Philippo Principi vbique exhibitis, vbi à Cæsare Patre in Belgarum Principem fuit inauguratus.

Eodem anno Tornacenses, à Cæsare recens domiti, Philippo Austrio tanquam Domino suo & Principi, cum cæteris Belgicæ Prouincijs, etiam Sacramentum dixerunt.

CHRISTI AN. 1550. ANNO 1550. Mense Iunio, moritur Ioannes Colbinus, Flandriæ & Artesiæ Cursorum Præfectus, siue Marescalcus, vel eo nomine hîc censendus, quòd eas dum partes gessit, nongentos septuaginta sex vtriusque sexus homines, gladio, laqueo, igni, ruptione & auulsione membrorum, morte multarit. *Bresinius.* IVLII 3. PAPA AN. 1.

Mense Augusto, Nicolaus Perenottus, Granuellæ Dominus, intimi Consilij apud Carolum Cæsarem Præses, Antonij Episcopi Atrebatensis Pater, morbo senioque confectus, laboribus curisque exhaustus, magno Cæsaris dolore, Augustæ vitâ defungitur, succedente illi apud Cæsarem, dicto Antonio Filio Episcopo. *Aub. Miræus.*

Henrici 2. Gall. Regis in B. Virginem Bononiẽsem Pietas. Henricus secundus Galliarum Rex (redditâ illi ab Eduardo Anglorum Rege Bononiâ) Deiparæ statuam argenteam, cum quatuor prægrandibus eiusdem metalli lampadibus Beatæ Virgini Bononiensi impertit.

Natalis Caroli IX. Galliæ Regis futuri.

Concilium Tridentinum ab Germaniæ Protestantibus reijcitur.

CHRISTI AN. 1551. ANNO 1551. Philippus noster Princeps, ex Germaniâ, quò ad Comitia Augustana anno superiore concesserat, in Italiam profectus, Genuâ, Aurianis triremibus in Hispaniam traijcit. IVLII 3. PAPA AN. 2.

Henricus 2. Galliarum Rex, paternam amicitiam cum

Turcâ

Turcâ renouat; atque in Aquitaniâ, classe clàm instructâ, vndecim Belgarum onerarias cum mercibus in Hispaniam, pacis fiduciâ tendentes, intercipit.

Henrici Gall. Regis cum Turcâ pactum.

Maria Austria Cæsaris Soror, Belgicarum nauium direptione, violatam à Francis pacem iudicans, detentis eorum mercatoribus ac mercibus, sexto Kalendas Octob. (al. 4. Kal. in S. Michaëlis profesto) Bruxellæ bellum in Gallos iubet publicari. *Henterus.*

Belgicæ naues ab eo interceptæ. Bellū ab Maria Austria contra Gallos, ob violatas Pacis leges, publicatū.

Turris Speculatoria vrbis Atrebatensis, à Francis, dum eam præsidio tenerent, inchoata; ad fastigium suum & coronidem eâ gratiâ & arte euehitur, vt elegantioribus Belgicæ operis, suo iure debeat computari.

Moritur Paschasius Cretelius, Mareolensis Antistes. Is monasterium annos circiter octodecim laudabiliter rexit, multaque Ecclesiæ comparauit ornamenta, aurea, byssinaque, quùm villosa, tum æqua & plana. Successit Ioannes Brassartius, quem duobus pòst annis insecutus est Nicolaus Lietardus, qui non nisi annis triginta expletis, præfecturam dimisit.

CHRISTI AN. 1552.

ANNO 1552. Februarij die quintâ, Iacobus Meyerus, egregius Annalium Flandriæ scriptor, & Poëta, iam sexagenario maior, acutâ febre correptus, vitam cum morte commutat. Sepultus est Brugis, in Æde Diui Donatiani. Bonorum & scriptorum suorum hæredem reliquit Antonium Meyerum, ex Henrico Fratre Nepotem, qui post Patrui obitum, Annales Flandriæ nondum editos, ab interitu vendicauit.

IVLII 3. PAPÆ AN. 3.

Galli longè latéque excurrentes, Tournehemum, ditionis Audomaropolitanæ celebrem pagum, vnà cum Arce, & circumstantibus vicis, Vulcano deuouent.

Tournehemum à Gallis inceditur.

Reuxius Comes, nihil segnior Gallis, Picardiæ agros, vicos, castella, direptione & igni euastat. Hinc conuersis in Artesiam signis, Arceque Fressiniâ, pulsis Gallis, occupatâ, Hesdinense opidum, pridiè Natalis Diui Ioannis Baptistæ; ex improuiso, capit; dum videlicet Ciues, circum festos & compitalitios ignes de patriæ more sub noctem excitatos, Cereri & Baccho indulgerent; Galli milites, in Arcem quùm confugissent, Reuxius opido expilato, cohortes spolijs onustas ad propria reduxit.

Picardia à Belgis vastatur. Arce Fressiniâ Galli extruduntur. Hesdinēse opidū expilatur.

Per hæc tempora Galli ad viginti pugnatorum millia

adgregati, Contæam * Arcem, inter Hesdinum & Monstrolium sitam, ad deditionem compellunt. * Gal de Conte

Reuxius Comes Hesdinẽse opidũ simul cũ Arce expugnat

Tricesimâ Octobris, Reuxius Comes, Hesdinum denuò inuadit, captoque mox opido, Arcem horrendo fulminum ictu concutit atque expugnat.

Hesdinũ cum Arce ab Vẽdomio recipitur.

Hinc Belgis militibus à Reuxio hyematum dimissis; Vendomius Dux, pòst paulò, cum copijs Hesdinum aduolans, contortis in muros ferrearum pilarum quatuor millibus, Belgicum indè præsidium omne expulit, vicesimâ Decembris luce.

Philippus Marcenellus, Russelli villæ Antistes, varijs bellorum toleratis molestijs, ex hominũ societate tollitur.

Eius partes excepit Hadrianus DE HARLIN, Paulinas, præfuitque cum laude totos triginta quatuor annos, plurimis etiam Martis euentibus exercitatus. Templo suo instaurando non segnem impendit operam, velut duo hi ad eius tumulum inscripti versiculi demonstrant:

Dum caderet, studui templi reparare ruinam:
Erige plasma tuum; sis mihi vita, Deus.

Is porrò morbis & senio fractus, Philippo Lannoyo, accedente Regiæ Maiestatis consensu, dignitatem resignauit, & exindè alios annos sex, & menses octo superuixit. Migrauit autem ex hoc sæculo an. 1596.

Romæ, Germanicæ nationis Xenodochium à Iulio 3. Pont. Max. construitur: quod iniuriâ temporis penè collapsum, Gregorius 13. posteà erexit, auxit, & prouentibus perpetuis stabiliuit. Id imprimis Belgis nostris Romam petentibus, solatio patet.

CHRISTI AN. 1553. — IVLII 3. PAPÆ AN. 4.

ANNO 1553. Antonius DE CRECQVY, Francisci; qui anno superiore obijt, frater; & in Sedem Morinensis Ecclesiæ successor, eius regimen turbulentissimo tempore auspicatur.

Sancti Ioannis in Monte Monasterium, non procul Teruannâ situm, abs Cæsaris milite penitùs euastatur: Hinc Monachis in Flandriam commeantibus, Philippus Belgicæ Princeps, in Monasterij euersi vicem, Bailliolanam Sancti Antonij Præceptoriam (vt vocant) seu Commendatariam assignauit. At verò ob hostiles Ostendanorum militum excursus, anno 1590. Ipram se receperunt, ibique perpetuum ac fixum domicilium Albertus & Isa-

bella,

bella, Sereniſſimi Belgarum hodiè Principes iiſdem beniuolè annuerunt. *Vide ſuprà ad ann. 686. 1090.*

Hadrianus Croyus, Reuxij Comes, ſupremus in Belgicis Cæſariani exercitus Præfectus, Terüannam, Morinorum peruetus opidũ, totis viribus oppugnare aggreditur. Quod diu noctuque, temporis nihil intermittens, ſtrenuiſſimè vt agitat, in fatalem labitur ægritudinem; atque Iunij quintâ, in Arce Vpenſi (Gallicè VPEN) caſtris conterminâ, morti concedit. Eius partes Pontus Lalanus, Bignicurij Toparcha, iubente Cæſare excipiens, plurimis hinc indè militariter atque fortiſſimè geſtis, Terüannam tandem domitam, ſuperba colla ponere iuſſit, quæ Arteſijs hactenùs admodùm fuerat infeſta. Cæſar ſimul atque expugnatam intellexit, totam à fundamentis, vnà cum celeberrimo Beatæ Virginis templo, cunctiſque munitionibus cremari, euerti, atque ſolo adæquari imperauit. Incredibile, quantum Gallici ſanguinis, Germanicâ potiſſimùm irâ, fuerit illic effuſum. Vndè prodijt diſtichon:

Reuxius Comes Terüannam obſidet. Morti concedit. Bignicurius in eius præfecturam ſuccedit. Terüannam expugnat; atque Cæſaris iuſſu, ſolotenus radit.

Nunc ſeges eſt, vbi erat Morinum, reſecandaque falce
Luxuriat Franco ſanguine pinguis humus.

Etiam hæc chronica:

DeLetI MorInI.

IVnIVs eX MorInIs VICtrICIa ſIgna potentI
Dat CaroLo, franCVs VIdIt & IndoLVIt.

Deuteronomij 32.

CæſarIs AqVILa proVoCans ad VoLandVM pVLLos
ſVos, & ſVper eos VoLItans, eXpandet aLas.

Machabæorum, cap. 3.

Non In MVLtItVdIne eXerCItVs eſt VICtorIa
ſed eX CæLo VICtorIa eſt.

Expugnatâ atque deletâ Terüannâ, ad Heſdinenſis opidi obſidionem extemplò Cæſarianus miles conuertitur; in quâ omnis quidem rerum gerundarum moles, penes Bignicurium ſtabat. Verùm Belgarum Hiſpanorumque Duces, quùm non obſcuro liuore mouerentur, illum extinguendi ergò Carolus Imp. Philibertum Emanuelem, Sabaudiæ Ducem in caſtra miſit: cui Bignicurius, præſtāti alioquin virtute vir, exercitũ cum imperio lubens tradidit.

Heſdinũ à Bignicurio indè obſeſſum. Obſidiũ ab Sabaudiæ Duce continuatum.

Porrò iam antè Philiberti aduentum, Bignicurius facili negotio opidum ipſum interceperat: at in expugnandâ arce, quam Galli fortiſſimè cõmunierant, omnis ſtabat diffi-

Opi li & Arcis funus supremum.

cultas. Attamen tormentis atque cuniculis, præsidiarij Galli in magnum discrimen adducti quùm fuere, de compositione agere cœperunt. Cúmque parùm aut nihil conuenirent, subitò in Arce puluis tormentarius fortuito igni correptus, cuniculique ab Allobroge effossi conceptâ etiam flammâ Francorum plurimos, vt partim extinguunt, partim amburunt, atque Arcis magnam partem disijciunt, cedit opidum cum Arce Cæsari. Factum id quinto Calendas Augusti: & Cæsaris iussu, Arx cum opido, solo tenus adæquata.

Arx Bellæ-quercus, in Picardiæ finibus sita, cum eius vici ædificijs, ab Duce Sabaudo concrematur.

CHRISTI AN. 1554. Arx Rentiaca obsessa. Cæsar Gallū ab obsidione retrocedere cogit. Cæsar hoste nullo cōparente, Arcē ingreditur. Nōnullos Præsidiarios Equestri ornat dignitate. Hesdinū nouū loco cōmodiore construitur. Nomen auctum.

IVLII 3. PAPÆ AN. 5.

ANNO 1554. Rentiacum Castrum, in extremis Artesiæ finibus, ad Occasum, non procul Terüannâ, æquabili quasi inter Audomaropolim & Monstrolium discrimine, iam olim exædificatum & percelebre, à Gallorum Rege, quibus potest viribus oppugnatur: sed explosis tormentorum bellicorum vel mille quingentis septuaginta sex ferreis pilis, minimè expugnatur: obsessis locum sub N. V. Dynastâ DE BRIAS, Sampolitâ, Arcis Præfecto, viriliter propugnantibus; donec adfuit * tandem ipse Cæsar, cuius præsentiâ territus Gallus, speratam victoriam, noctis beneficio, in fugam conuertit.

* Aug 12.

Die sequente, punicante Aurorâ, Cæsar hostem vt quærit, fugæ certus, repugnante nemine Arcem ingreditur: illa lux Augusti erat decima quarta, quâ Equites creauit Iacobum, Briasij Toparcham, Arcis Præfectum, item Bellainum, Looensem, Cressonnierium Toparchas, singulis addicto, ob testatam Fidem, annali, dum viuerent, congiario.

Hesdinum nouum, inter propinquas paludes, commodiore loco, formáque, vtpote quadrangulari, instauratur, firmissimisque propugnaculis contra hostem munitur: illuc translato, quod in vetere opido erat, Canonicorum Collegio. Illi, velut cognomentum, adiecta est vox FERT, nouo planè adinuento: cuius caussam si quæras, quùm aliundè, tum ex Iacobi Basilici dialogis, hanc edisce.

COLLOQVVNTVR NESTOR ET HERCVLES.

N. Traiecto iterum Somonâ, ad quartam à diruto Hedino milliaris partem, inexpugnabilē vrbem propugnaculis, valloque & fos-

sis permunitam, Emmanuel Allobrox mirâ celeritate construxit & exædificauit.

H. Quo nomine illa appellatur?

N. HEDIN-FERT.

H. FERT, *nihil planè significare videtur; fortaßis,* HEDIN FORT.

N. Nullo modo: FERT *enim est Symbolum Philippi Emmanuelis, Pedemontanorum Principis, quod quatuor litteris constans, perindè significat, ac si dixeris:* Caussa.

FORTITVDO EIVS RHODVM TENVIT.

H. Num Galli ædificationem vrbis impedire tentarunt, dum in perniciem eorum exstrueretur?

N. Cæsariani Equites, dum vrbs ædificaretur, alternis fermè diebus, circa Monstrolium ac Dorlanum, munita Picardiæ opida, excurrentes Gallos, intra mœnia & parietes latitare coëgerunt, &c. Ita Basilicus.

Vtriusque opidi, vnius excisi, alterius erecti, duos hosce versus à nobis, habe Chronographicos:

Anno 1553. *CanChlades LaChrVMant VtadVrbIs saXa prIorIs,*
sæpIVs In LVCtVs IngenIosa sVos:

Anno 1554. *VndIs eXCItVs CanChIs CapVt: en noVa dIXIt*
MœnIa, perpetVâ respICIenda dIe.

Cæsarianæ cohortes in Picardiam, torrentis instar effusæ, ferro & igni obuia quæque depopulantur: & vicissim à Gallis in Artesiâ talione agitur. *Alterna hostiũ in Picardiã & Artesiam excursiones*

Iulij vicesimâ sextâ Philippus Princeps noster, thalamum redintegrat cum Mariâ, Henrici VIII. Angliæ Regis, & Catharinæ Arragoniæ coniugis, Filiâ, atque Regni hærede. Londini Regio fastu nuptiæ fuerunt celebratæ. Hoc ex coniugio Anglia ab hæreseos fæce, quam Henricus Rex infuderat, expurgata est. *Philippus Princeps thalamum reparat cũ Mariã Anglicâ.*

S.P.Q. Bruxellensis, mercatus ampliandi studio, atque cum Antuerpiensibus nauali operâ communicandi desiderio excitati fluuium suum, Mechliniensibus nequicquam reluctantibus, alueo nouo fortiter adparato, nauigabilem Antuerpiam versus, nec temerario ausu reddere adoriuntur. *Petitaus lib. 8. Chron.* Non nemo notat Bruxellenses id audendi potestatem abs Cæsare anno 1531. impetrasse, ac demùm insumptis eo in opere amplius 800000. florenorũ, post vndetriginta annos, sc. 1560. *Fluuius nauigabilis opidi Bruxellensis.*

 (Diuæo

(Diuæo 1561.) opus istud absoluisse. Consule Pet. Diuæum l. 7. Brabant.

Moritur Ioannes Federicus, Saxoniæ Dux, libertati & penatibus suis anteà restitutus.

CHRISTI AN. 1555. Galli in Artesiã excurrũt.

ANNO 1555. Fani Diui Andreæ Regulus, validâ apud Picardos coactâ manu, in Artesiam excurrit, vastâque populatione multatis agrestibus, vt nouo Hesdino commeatus inueheretur, frustra impedire conatur. MARCELLI PAPA AN I. PAVLI 4. PAPA AN. I.

Ab Aussimontio Bapalm. Præfecto fortiter excipiũtur & cædũtur. Captiui.

Intereà Hugo Flouriacus, Aussimontij Dynasta, Bapalmensis opidi Præfectus, intrepidi animi vir, collecto milite, adlectisque circumquaque agrestibus, Francos ingenti prædâ onustos, domuitionem vt agunt, abs insidijs positis erumpens, sui securos acerrimè impetit atque cædit, nonnullisque fugâ saluti consulentibus, omnem prædam recipit. Captiui ex Gallis fuere Humierius Peronæ Præfectus, Iallius clientalium Nobilium Dux, alijque clari nominis non pauci.

Moritur Ioanna Hispan. Regina, Caroli Imp. mater.

Carolus Cæsar Ditiones omnes suas Philippo F. resignat.

Carolus Imp. ætate iam fessâ, & viribus labore exhaustis, Ordinibus & Proceribus Belgicarum Prouinciarum conuocatis, Philippo Filio, Belgicam quùm anno 1549. resignasset, Hispaniam, Siciliam, Indiam, aliaque Regna ac ditiones omnes cedit.

CHRISTI AN. 1556. Vicesima tertia Velleris Aurei Comitia.

ANNO 1556. Ianuarij 21. Philippus Austrius, Hispaniarum Rex, Burgundiæ Dux, & Belgicæ Princeps, idemque Aurei Velleris Equitum Caput, prima Comitia Antuerpiæ indicit, in quibus creati fuerunt Equites: PAVLI 4. PAPA AN. 2.

HENRICVS, Dux Brunsuicensis.
FERDINANDVS, Archidux Austriæ.
PHILIPPVS CROYVS, Dux Arschotanus.
CAROLVS AVSTRIVS, Princeps Hispaniarum.
GONÇALVS FERNANDES Cardonnius, Dux Sessanus.
Dux Medinæ à Rio-Sicco, Architalassus Castiliæ.
Dux Cardonnius.
CAROLVS, Baro Berlaymontius.
PHILIPPVS A STAVELA, Baro Chaumontius.
CAROLVS BRIMÆVS, Comes Meghanus.
PHILIPPVS MONTMORENCIVS, Comes Hornanus.
IOANNES, Marchio Berghanus.
GVLIELMVS NASSAVVIVS, Princeps Aurengius.

IOANNES MONTMORENCIVS, Toparcha Courrierēsis.
IOANNES, Comes Oostfrisiæ.
ANTONIVS AVRIA, Marchio S. Stephani.
FRANCISCVS FERDINANDVS Daualus, Marchio Piscarius
SFORTIA, Comes S. Floræ, &
VRADISLAVS, Baro Bernsteinius.

Quintâ Februarij, quinquennales Induciæ inter Carolum Imp. & Henricum Regem in Vallis-cellâ, celebri Cameracesij monasterio feriuntur.

Induciæ inter Cæsarem & HenricūGall.

Mense Septembri, Carolus V. Imp. ex Belgio in Hispaniam nauigat, & raro in primis, nostrâque ætate inaudito exemplo, in Sodalium Hieronymianorum cœnobium, S. Iusti titulo nobile, Placentino in agro Hispaniæ amœnissimo, secedit, vt quod reliquum esset vitæ spatium, Deo transcriberet.

Carolus Cæsar salutata extremū Belgica in Hispaniā proficiscitur. Monasterium quieti seligit.

Virgines duodecim, Religionis voto, sub Beati Francisci Regulâ obstrictæ, ex Fani S. Pauli, Atratarum Sororum cœnobio, Attrebatum vocantur, ad curam Xenodochij Chariottani excipiendam; quùm anteà ibidem duodecim viduæ agerēt, Lanificium exercentes. Xenodochium olim fundauit Ioannes DE CHARIOTS, vir Nobilis, à quo nomen mutuatus est locus. *Vide suprà ad an. 1361.*

Totidem eiusdem instituti & loci Moniales, regundi alterius cœnobij ergò, Lensium delegantur.

Hugo Flouriacus, Aussimontij Dominus, Bapalmię Pręfectus, vitam cum morte commutat. Eius Caluariam seruant Bapalmenses, parœciali in templo, ad mensam defunctorum (vt vocant) catenâ ferreâ ligatam: idque in rerum fortiter contra Gallos gestarum memoriam.

Aussimontij obitus.

Romæ moritur B. Ignatius Loyola, Soc. Iesu fundator.

Romæ B. Ignatius Loyola moritur.

CHRISTI AN. 1557. ANNO 1557. Mense Ianuario, Galli, ex absentiâ Cæsaris, auctis animis, atque Inducijs superioris anni in Insulas relegatis, circa Epiphaniæ festiuitatem, alienissimo hyemis tempore, Duacum, vtrâque Pallade hodiè instructissimum, subornatis velitibus intercipere conantur. Verùm quùm se lusos viderunt, inani spe in furorem versâ, Lensium opidum adoriuntur, atque vi captum diripiunt & incendunt. *VVilhelmus Godolenaus, in Hist. de abdicatione Imperij.*

PAVLI 4. PAPÆ AN 3.

Induciæ ab Gallis violatæ. Duacum frustra tentatur. Lensium diripitur

Hîc patriæ, Gallicis bellis toties quassatæ vt recordor, lubet cum Frācisco Balduino *, hos Lucani versus vsurpare.

* Tractatu MS. de Attesiâ.

O malè vicinis hæc mœnia condita Gallis!
O tristi damnata loco! Pax alta per omnes
Et tranquilla quies populos: nos præda furentum,
Primaque castra sumus. Meliùs, fortuna, dedisses
Orbe sub Eoo sedem, gelidâque sub Arcto;
Errantesque domos, Latij quàm castra tueri.
Nos primi Senonum motus, Cymbrumque ruentem
Vidimus, & Martem Lybies, cursumque furoris
Teutonici. Quoties Romam fortuna lacessit,
Hàc iter est bellis.

Ingens Gallorũ ad Quintini Fanum cædes.

Augusti decimâ luce, Beato Laurentio sacrâ, Galli apud Quintinopolim, vetus Veromanduorum opidum, auspicijs Philippi secundi, Principis nostri, memorabili prælio superati, cæsis multis, saluis paucis, nobilem victoriæ palmam nostris tradidere. Vndè chronicon istud expressimus:

LVX *sa*C*ra* L*a*V*rent*I, G*a*LL*or*VM *sang*VI*ne sordet,*
*s*V*b* QVI*nt*I*nopo*LI V*t* C*astra Ph*ILI*pp*V*s habet.*

Hinc repentina eius opidi deditio.

Georgius Austrius, Maximiliani 1. Imp. Filius, cui Cornelius Bergensis Episcopatum Leodicensem anno 1544. cesserat, Leodici decedit, ad Diui Lamberti in choro conditus.

Petrus Nannius Alcmarianus, Presbyter & Canonicus Atrebatensis, vir doctissimus, humaniores litteras Louanij in collegio Buslidiano, annos XVIII. professus, vitâ defungitur. Is cùm Linguæ Latinę & Grȩcanicæ peritissimus esset, multas vtriusque generis scriptorum veterum, puta *Demosthenis*, *Plutarchi*, *Synesij*, & de Christianis, *Athanasij*, *Chrysostomi*, *Basilij*, aliorumque lucubrationes latinâ ciuitate donauit. Sed & è suo penu plurima deprompsit: in his *Miscellaneorum in varios auctores libros decem*; *Panegyricas & litterarias Orationes* totidem; quique præ cæteris scriptis palmam obtinent, *Dialogismos Heroinarum septem*: Nam in hoc genere regnasse illum testatur Cornelius Musius, Martyr & Poëta egregius. Scripsit & *in Cantica Canticorum* ac *Salomonis Sapientiam Scholia & Commentarium*: Notas item ad *Ambrosij*, vt vulgò creditur, *aduersus Symmachum Relationem*, *Psalmos* denique *Dauidis* plurimos, non infeliciter versibus reddidit. Vixit annos 57.

Nanni Castalidum decus sororum,
Quisquis te videat, tuosque fœtus,
Haud Nanum vocitet; sed ô Gigantem.

Vide Miræum in Elogijs Belgicis.

CHRISTI AN. 1558. ANNO 1558. Mense Ianuario, Franciscus Guisiæ Dux, Caletum oppidum maritimum expugnat, atque Anglos totâ deturbat Galliâ. PAVLI 4 PAPÆ AN. 4 *Caletum à Gallis capitur.*

Decimâ octauâ Martij, Ferdinandus, in Caroli V. fratris, qui sponte imperio se abdicarat, locum ab Electoribus sufficitur. *Carolus Cæsar Ferdinando fratri resignat Imperiũ.*

In Ferdinandi inaugurationem Petrus à Rotis I.V.D. sic lusit:

Ferdnando fasces, fratris fastigia, fortis
Fortunæque fauor, faustaque fata ferunt.
Frustra fœdifragi flammâ ferroque ferentur,
Feruorem frangent fortia fata ferum.
Fœdifragos flammâ frameâque furente feroces
Franget Ferdnandus, fasque fidemque feret.
Flamen fœlici fastigia fœdere firmans,
Ferdnando fasces, faustaque fata fouet.

Vicesimâ primâ Septembris Carolus V. Imp. annos 58. natus, in Hieronymiano S. Iusti Sodalitio, Toletanæ Diœcesis, vitæ muneribus defungitur. Eius Epitaphium appendere hic visum est: *Et post aliquot menses moritur.*

DEO OPTIMO MAXIMO SACR.

Eius Epitaphium.

Carolo V. Imp. Cæs. Aug. Max. Indico, Turc. Afric. Germ. Hispaniæ, Siciliæ & Indiarum Regi, P. P. Principi potentiss. & inuictiss. Sacri Imperij liberatori, fundatori quietis, Christianæ Religion. acerrimo propugnatori; Iustitiâ, animi magnitudine, prudentiâ, religione, clementiâ, patientiâ, alijsque insignibus virtutibus longè ornatiss. qui post ingentes vbique terrarum partas victorias, & clarissimos de Gallo, Turcâ, Afris, Italis, Germanis actos triumphos; tot multis Indiæ Prouincijs & Insulis etiam priscis incognitis, per Legatos, magno Reipub. Christianæ ornamento inuentis atque lustratis; denique post feliciter administratam & prudenter constitutam Remp. Philippo Filio, tot amplissimis Hispan. Regnis, Flandriâ & alijs Prouincijs, inaugurato; Religione ductus, ex Flandriâ in Hispaniam traiecit, seque in Iustum Hieronymiani Ordinis cœnobium, ædibus illic, iussu eius constructis, recepit, vbi reliquum vitæ, quod vix biennium fuit, tranquillissimè

egit, & sanctissimè obijt XI. Cal. Octob. CIↃ.IↃ.LVIII. Ioanna Lusitaniæ Princeps, Hispaniarum Gubernatrix, Patri Opt. & Max. P. Vixit Ann. LVIII. Mens. VI. dies XXVII. Imperauit ann. XL. Regnauit ann. XLIII.

Chronicon eiusdem Principis in fatum:

CaroLVs haC QVIntVs parVâ retInetVr In Vrnâ,
GerManIs, GaLLIs, ItaLIs, TVrCIsqVe seVerVs.

Ex Isabellâ Emmanuelis Lusitaniæ Regis Filiâ, quæ an. 1539. Toleti decessit, proles has reliquit:

Et proles. PHILIPPVM, virilis stirpis vnicum, successorem.

MARIAM, quæ Maximiliano 2. Cæsari, &

IOANNAM, quæ Ioāni Lusitaniȩ Principi, fuerūt elocatæ.

Nothos habuit non ignotos:

IOANNEM, nobilissimo ad Naupactum contra Turcas prælio celebrem, &

MARGARETAM, Alexandro Medicæo Florentiæ, indè Octauio Farnesio Parmæ Placentiæque Ducibus, matrimonij vinculo coniunctam.

Quid Belgio acquisierit. Cæterùm Belgicis Prouincijs Geldriam, Frisiam, Transisulanum agrum, Groningam, Vltraiectum, Tornacum adiecit. Istis autem in ditionibus ad septuaginta opida munita numerantur. Prætereà Flandriam cum Arresiâ, Insulis, Duaco, & Orchiaco à Gallicâ seruitute asseruit. Mariȩ-Burgum, Caroli-Montem, Philippo-polim, Hesdinum noua opida, cum Vtraiectensi, Gandensi, & Cameracensi Arcibus exstrui imperauit.

Aliquot heroinarum obitus. Maria, & Eleonora Francisci Galliæ Regis vidua, Caroli Cæsaris sorores, hoc anno in Hispanijs obiere. Eleonoræ Idibus Augusti, iusta facta sunt Lutetiæ Parisiorum in Ecclesiâ Cathedrali.

Itidem Maria, Angliæ Regina, Philippi Hispaniarum Regis, Principis nostri coniunx, decimâ nonâ Nouembris, Londini moritur; cui decimo octauo Calendas Ianuarij, Bruxellæ, regiâ pompâ ab Philippo parentatum.

Gallorū cædes apud Grauelingam. Amorallus Egmondæ Comes, comitante Ponto Lalano, Rentiaci Marchione, memorabili prælio Francos apud Grauelingam, Flandriæ opidum, cecidit.

Ecclesia Caricampensis cum campanili, quod Ioannes 32. Antistes erexerat, fulmine icta conflagrat.

Magdalena VVarluzelia, Auesnensis Antistita, elegans

Sacellum in veteri Atrebatium ciuitate construit: iunctis ædibus, quæ bellorum procellâ ingruente, Virginibus sacris Asylo forent.

CHRISTI AN. 1559. ANNO 1559. Decimâ quartâ Ianuarij, Elizabetha, Henrici VIII. Regis, ex Annâ Bolenâ, Filia, Angliæ Regina renuntiatur. PAVLI 4. PAPÆ AN. 5. *Elizabetha Angliæ Regina.*

Vicesimâ quintâ eiusdem mensis, Christiernus, Daniæ, Noruegiæ, & Sueciæ Rex, Isabellæ Austriæ, Caroli V. Imp. sororis maritus, qui ob tyrannidem Regnis pulsus, annos decem exul vagatus, & posteà annos 27. in custodiâ habitus fuerat, anno ætatis 78. vitæ ærumnas, etiam tùm in carcere, morte interueniente, terminauit. *Vide suprà ad ann. 1522. & 1532.*

Tertio Nonas Apprileis, in castro Cameracesij, pax inter Philippum & Henricum secundum, Reges, sancitur. Vide de eâ latè in Commentarijs Guicciardini libro tertio. *Pax inter Philippum Hisp. & Henricū Gall. Reges.*

Vicesimâ sextâ eiusdem Mensis in Comitijs Augustanis Ferdinandus Imp. Legatos Henrici Gallorum Regis, videlicet M. DE BVRDIGLION, Bordilorij Dominum, atque Campaniæ Pro-præfectum & C. Marcilianum Archiepiscopum Viennensem vbì benignissimè excepisset, ac de pace & fœdere stabiliendo differentes, patienter audijsset (Metensis, Tullensis, Virdunensis, Leodiensisque Episcopatuum aliorúmque locorum Imperio restituendorum conditione reseruatâ) omnem fidem, operam ac amicitiam Regi Gallo pollicetur.

Mense Maio Paulus IV. Pont. Max. Philippo secundo, Principe nostro postulante, Episcopales sedes in Belgicâ multiplicat, tribus Archiepiscopatibus, & quindecim Episcopatibus, eorum suffraganeis, vt loquuntur, institutis. *Episcopatuum multiplicatio in Belgicâ.*

ARCHIEPISCOPATVS.

Cameracensis.	Vltraiectinus.	Mechliniensis.

EPISCOPATVS SVBIECTI.

1. Atrebatensis.	1. Harlemensis.	1. Antuerpiensis.
2. Tornacensis.	2. Dauentriensis.	2. Gandensis.
3. Audomarensis.	3. Leouardiensis.	3. Brugensis.
4. Namurcensis.	4. Groningensis.	4. Iprensis.
	5. Midelburgensis.	5. Buscoducensis.
		6. Ruremundensis.

Instituendorum eorum profero summi Pontificis diploma.

Pontificium Diploma.

Paulus Episcopus, Seruus seruorum Dei: Ad perpetuam rei Memoriam: super vniuersas orbis Ecclesias, eo disponente qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quanquam sine nostris meritis constituti, leuamus in circuitu agri dominici oculos nostræ mentis, more peruigilis pastoris, inspecturi quid prouinciarum, & locorum quorumlibet statui & decori, quidue illorum incolarum animarum saluti congruat, ac desuper hoc præsertim tempore, quo humani generis hostis omni conatu, ad ipsarum animarum perniciem, & Fidei Catholicæ euersionem incumbit, disponi debeat, diuino fulti præsidio, dignum, quin potius debitum arbitramur, in irriguo militantis Ecclesiæ agro, nouas Archiepiscopales, & Episcopales sedes, & Ecclesias plantare, vt per huiusmodi nouas plantationes, popularis augeatur deuotio, diuinus cultus effloreat, & animarum ipsarum salus sequatur: ac loca insignia, ea presertim, quorum incolæ, benedicente Domino, multiplicati noscuntur, dignioribus titulis, & condignis fauoribus illustrentur, vt propagatione nouarum sedium, venerabiliumque Præsulum assistentia, regimine & doctrina suffulti, cum Apostolicæ authoritatis amplitudine, & Orthodoxæ Fidei augmēto, populi ipsi proficiant semper in Domino, & quod in temporalibus sunt adepti, non careant in spiritualibus incremento: præsertim cùm id Catholicorum Regum, & Principū exposcit deuotio. Cum itaque mentis nostræ aciem conuertissemus in eam inferioris Germaniæ partem, quæ charissimi in Christo Filij nostri, Philippi, Hispaniarum Regis Catholici, ditioni hæreditario iure subiecta est, scientes messem quidem multam ibi esse, operarios autem paucos, propter quod cùm ea regio antiquitùs erectionis cathedralium Ecclesiarum suarum tempore sparsim & infrequenter admodum inhabitaretur, à tot tantisq; populis, & gentibus incolatur, vt pro oppidorū celeberrimorum quibus vbique referta est frequentia, & castellorum pagorumque multitudine, pauca ibi sunt admodum Ecclesiæ cathedrales, quo fit vt tam pauci Episcopi, non ea qua opus esset diligentia, tantam animarum multitudinem regere possint, quod quibusdam eorum hoc etiam est difficilius, quòd ipsorum Diocæsani linguæ idiomate, institutisque differunt, & quidam eorum etiam eiusmodi priuilegia habent, vt ipsos ad sedem Episcopalem non liceat euocare, ita vt nec fidei doctrina, & piè viuendi præceptis cōmodè instrui, nec si quid deliquerint facile corrigi ab Episcopis suis possint. Ad ipsos verò Episcopos visitandos, admonendos & in officio continendos, ne vna quidem in tota illa celebri, & tam longè latéque patente regione Ecclesia est Metropolitana. Sed illæ quibus subiectæ sunt, extra fines

Caussæ multiplicandorū Episcopatuum in Belgio.

ipsius

ipsius Philippi Regis sunt, earumque Archiepiscopi propter multa & varia impedimenta nulli Suffraganeis suis vsui iampridem fuerint; ad quæ tanta incommoda, cùm hoc quoque accedat, quòd cùm ea regio omni ferè ex parte cincta sit & obsessa à populis hæreticis atque schismaticis, propter assiduas hæreticorum insidias, dolos & fraudes, pestiferasque doctrinas, Catholica illic fides, & animarum salus in maximo discrimine, ac periculo versantur. His causis aliisque quæ animum nostrum impulerunt, adducti, precibus etiam annuere volentes, tamque pio desiderio satis-facere ipsius Philippi Regis, qui pro sua pietate, & Catholicæ fidei studio, hac de re nobiscum, & sæpe, & perquàm diligenter, per litteras & Nuntios egit, habita sicut rei magnitudo postulat, cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, deliberatione matura, tam grauiter periclitanti in illis partibus fidei orthodoxæ, & animarum saluti aptissimum esse remedium duximus: Si veterum Ecclesiarum in illa regione positarum Diocæses commodioris regiminis causa diuideremus, nouisque erectis cathedralibus Ecclesiis, eiusmodi præficerētur Episcopi, qui tum exemplo, tum verbo commissas sibi oues pascant, ac proborum, eorumdemque doctorum virorum copia muniti, idoneorum opera Ministrorum adiuti, illas aduersus insidiantium luporum rabiem tueantur, atque custodiant: Et Metropolitanæ aliquot ecclesiæ oportunis eius regionis locis erigantur, ad quas commode adiri possit, quibus qui præfuturi sint, suffraganeos suos in officio contineant. Ex certa igitur nostra scientia, de eorumdem fratrum nostrorum consilio, ac de Apostolicæ plenitudine potestatis, & ad Dei omnipotentis honorem, & sanctæ ipsius Ecclesiæ vtilitatem, Cameracensem, Traiectensem, Atrebatensem, & Tornacensem, Ecclesias, ciuitates atque diocæses, à Remensi, Coloniensique, quibus sunt Metropolitico iure subiectæ, ac Mechliniense, Antuerpiense, Harlemense, Dauentriense, Leevvardiense, Grunigense, Mildeburgense, Buscoducense, Ruremundense, Namurcense, Audomarense, Iprense, Gandauense, & Brugense, celeberrima Cameracensis, Traiectensis, Leodiensis, Morinensis, & Tornacensis, Diocæsum opida, à sua quoque eorum diocæsi & prouincia, præterea ab ecclesia Cameracensi (quam nuper ab omni potestate & iurisdictione Remēsis Archiepiscopi (cuius suffraganea erat) liberauimus, eam ipsius diocæsis Cameracensis partem, quæ in Brabantiæ Ducatu, & Flandriæ Comitatu existit, Itemque ab Ecclesia Diocæsique Leodiensi, eam ipsius Diocæsis Leodiensis partem, quæ est in Namurcensi, & Hornensi comitatibus ac Brabantiæ & Geldriæ ducatibus, ditionis ipsius Phi-

Belgicæ Diœceses antiquæ ab obedientiâ Remēsis & Coloniensis Ecclesiarum eximuntur.

Ecclesia Cameracensis.

Ecclesia Leodiēsis

Ecclesia Tornacensis.

lippi Regis. Itemque ab Ecclesia Diocæsique Tornacensi eam partem ipsius Diocæsis Tornacensis quæ à Roesbeke pago & Audernardæ oppido ad Oceanum vergit ipsi pago & oppido inclusis. Itemque ab Ecclesia & Diocæsi Traiectensi eam partē Diocæsis ipsius Traiectensis,

Ecclesia Traiectensis.

quæ in Flandria comitatu existit & Insulis Zelandiæ, ac totam Hollandiam aquaticam & partem illam Hollandiæ, quæ firmior appellatur, vsque ad opida, Leydense exclusiuè, & Amstelredamense inclusiuè, & Insulas Vlietlandt, & Texel, ac VViringem, & totam regionem Transissellaniam, ac Gruninghiam, & Phrisiam cum magna parte Ducatus Geldriæ, quæ Inferior appellatur, vsque ad Hardevvicum & Schemberghen opida inclusiuè, & vsque ad Arguen & VVergeningen opida, ipsis tamen exclusis, necnon partes quas habet VltraVValiam flumen ad ipsum Geldriæ ducatum pertinentes ad magnam aquam Dordracensem versus Brabantiam. A dilectis autem Filijs capitulo ipsius Ecclesiæ Traiectensis, seu illius mensa capitulari, omnem iurisdictionem, omniaque iura Episcopalia ipsius capituli quæ habet in regione VVestphrisia vocata, ab Osuaburgensi & Monasteriensi, ac Coloniensi, & Padebornensi, Ecclesijs, & Diocæsibus & à Coloniensi prouincia eas partes Osuaburgensis, & Monasteriensis, ac Coloniensis & Padebornensis, Diocæsum, quæ intra fines Regis Philippi existunt, cum omnibus & singulis earum terminis, & territorijs, ac Cleris, populis, & personis, Monasterijs, Ecclesijs, ac pijs locis, ac beneficijs Ecclesiasticis cum cura

Ecclesia Morinensis.

& sine cura secularibus, & ordinum quorumcumque regularibus. Ab ipsa autem Ecclesia Morinensi per obitum bonæ Memoriæ Francisci de Crequy olim Episcopi Morinensis ab hinc circiter septennium defuncti & Pastoris solatio destituta, eam partem ipsius Diocæsis Morinensis, quæ in Arthesia existit, & Flandriæ comitatibus, ditionis ipsius Philippi Regis cum ipsius terminis, territorio, castellis, pagis & locis, clero, populo, & personis, Monasterijs, Ecclesijs & pijs locis, & beneficijs Ecclesiasticis cum & sine cura secularibus, aut ordinum quorumcunque regularibus, fructusque redditus, prouentus, decimas iura, & emolumenta, quæ Episcopus Morinensis, Iura quoque quæ Archiepiscopus Remensis in parte Diocæsis Morinensis, ac terminis ac territorio, castellis, pagis, & locis prædictis, seu ratione visitationis, ac quouis alio iure, & causa percipere consue-

Separatio.

uerunt à mensa Archiepiscopali Remensi, & Episcopali Morinensi, authoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo eximi-

mus,

mus, segregamus, diuidimus, & separamus, ac ab omni iurisdictione, potestate & Remensis, & Coloniensis Archiepiscoporum, ac Cameracensis, Traiectensis, Leodiensis, Morinensis, Tornacensis, Osnaburgensis, Monasteriensis, & Padebornensis Episcoporum, ac dilectorum Filiorum capitulorum Remensis, Coloniensis, Cameracensis, Traiectensis, Leodiensis, Morinensis, Tornacensis, Osnaburgensis, Monasteriensis, & Padebornensis Ecclesiarum, atque à solutione decimarum, & quorumuis aliorum iurium, eisdem Archiepiscopis, Episcopis, & capitulis ac clericis & alijs prædictis, ratione iurisdictionis, subiectionis, aut legis Diocesanæ, & Metropoliticæ debitorum: Ita vt posthac Episcopus Morinensis iurisdictionem aliquam in partem à Diocesi separatam, & illius territorium, castella, pagos, & loca ac Clerum, populum & personas, & Monasteria, Ecclesias & pia loca, ac beneficia exercere, & beneficia sub hac separatione ac diuisione comprehensa, quæcunque, quotcunque, & qualiacunque sint, quæ ad eius collationem antea pertinebant, conferre, seu fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones & emolumenta, ab eo in parte in Diocesi separata, terminis territorio, castellis & locis prædictis subuentionis causa, aut vlla qualibet ratione percipi solita & Episcopus Morinensis atque Archiepiscopus Remensis prædicti in parte Diocesis ipsis adempta, ac terminis, territorio, castellis, pagis, & locis præfatis de his quæ ad eos ratione visitationis ipsorum, & legis Diocesanæ, & Metropoliticæ pertinebant, intromittere se nullo pacto possint, eximimus & omnino liberamus. Cameracensis verò, & collegiatam Sancti Rumoldi opidi Mechliniensis, & Traiectensis, Ecclesias Metropolitanas, ac Cameracensis & Traiectensis sedes Episcopales, & Archiepiscopales easque & ipsam Ecclesiam, Sancti Rumoldi Metropolitanorum Præsulum sedes, ac prouinciarum capita, scientia consilio ac potestatis plenitudine, similibus authoritate & tenore præmissis etiam erigimus, & instituimus.

Episcopus Morinensis.

Ecclesiæ Cameracensis, Traiectẽsis & Machliniensis fiunt Metropolitanæ.

Ex quibus Archiepiscopis nuncupandis, Cameracensis quidem, pro sua Diocesi habet viginti & octo opida, cum castellis, pagis, & Monasterijs interiacentibus, intra spatium septuaginta duorum millium passuum Italicorum in longitudinem, sexaginta verò in latitudinem, per Nuntium propediem à nobis illic mittendum, limitanda. Traiectensis autem pro sua Diocesi obtineat territorium Traiectense & maioris partis Hollandiæ, magnæque partis Geldriæ, cum Dominijs de Buren,

Cameracensi 28. opida subijciũtur. Traiectensi autem XXX.

de

de Culenburch, de Vianen, Ormeyden, Tselflen, triginta oppidorum, præter pagos, in longitudinem nonaginta, in latitudinem quadraginta millium passuum similium terminanda, vt dictum est. Iisdem autem duobus, & tertio Mechliniensi nuncupandis Archiepiscopis, pallium & crucem, sicut mos est deferendi, reliquisque insignijs omnibus, honoribus, ornamentis, priuilegijs & prærogatiuis Ecclesiarum, ac sedium Metropolitanarum vtendi ius, & potestatem concedimus, Mechliniense autem, Antuerpiense, Harlemense, Dauentriense, Leevvardiense, Gruningense, Buscoducense, Ruremundense, Namurcense, Audomarense, Iprense, Gandauense, Midelburgense, Brugense, opida, in ciuitates erigimus, ac in eis sic erectis Ecclesias S. Albani Namurcensem, S. Audomari eiusdem ciuitatis S. Audomari, B. Mariæ Antuerpiensem, S. Ioannis Gandauensem, S. Donatiani Brugensem, S. Liebuini Dauentriensem, S. Ioannis Euangelistæ Buscoducensem, & S. Spiritus Ruremundensem collegiatas, ac S. Bauonis Harlemensem, S. Viti Leevvardiensem, S. Martini Grunyngensem parochiales, nec non B. Mariæ Premonstratẽsem Mildeburgẽsem Monasterij S. Martini, S. Augustini canonicorum regularium ordinum Iprensem sub ijsdem inuocationibus in cathedrales, scientia, cõsilio, & potestate, ac authoritate & tenore præmissis erigimus, pro cuiusque ciuitatum creandis Episcopis, qui ijsdem præsint, earumque ædificia augeant, & in cathedralium ecclesiarum formam redigant, ac iurisdictionem Episcopalem, aliaque omnia & singula, quæ ad ordinem & iurisdictionem, & munus Episcopale pertinent, in ciuitatibus, oppidis, terminis, territorijs, insulis, finibus, & partibus Diocæsum diuersarum, postquàm terminata fuerint, respectiuè exerceant, atque in eisdem Metropolitanis Archiepiscopalibus, & Cathedralibus sic erectis ecclesijs, Episcopales dignitates cum sedibus & mensis Archiepiscopalibus, & Episcopalibus, alijsque Metropolitanarum, & Cathedralium ecclesiarum insignijs, mensis, Arcis, Sigillis, alijsque capitularibus insignijs, honoribusque, & priuilegijs, quibus cæteræ Metropolitanæ, & Cathedrales Ecclesiæ de iure consuetudine vtuntur, vel vti poterunt, similiter erigimus, & instituimus. Ecclesijs verò super commemoratis, sic in cathedrales erectis, eisdemque ciuitatibus in perpetuum concedimus, & assignamus pro suis Diocæsibus Namurcensi, Comitatum Namurcensem, & Gallicæ Brabantiæ partem longitudinis quadraginta & latitudinis triginta nouem millium passuum Italicorum, Audomarensi districtum decem oppida continentem, longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta nouem

Machliniensis Ecclesia in Metropolitanam erigitur. Nouæ sedes Cathedrales in Belgio eriguntur.

Amplitudo Ecclesiæ Namurcensis.

Audomarẽsis.

millium

millium passuum similium. Mechliniensi districtum decem & septem oppidorum cum pagis interiacentibus, longitudinis sexaginta nouem, latitudinis triginta millium passuum similium. Antuerpiensi territorium septem oppidorum cum pagis interiacentibus, longitudinis quinquaginta sex, latitudinis triginta millium passuum similium. Gandauensi territorium quatuor oppidorum, cum pagis interiacentibus longitudinis quadraginta sex, latitudinis viginti quatuor millium passuum similium. Brugensi territorium nouem oppidorum cum pagis interiacentibus longitudinis quinquaginta quatuor, latitudinis viginti quinque millium passuum similium. Iprensi territorium decem oppidorum cum interiacẽtibus pagis, longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta trium millium passuum similium. Buscoducensi * territorium decem oppidorum cum pagis interiacentibus, longitudinis 60. latitudinis 30. millium passuum similium. Ruremundensi territorium decem oppidorum cum pagis interiacentibus, longitudinis 50000. latitudinis 30000. passuum similium, Comitatu Hornensi in eis comprehenso. Harlemensi territorium 12. oppidorum, præter pagos interiacentes longitudinis 90000. latitudinis 30000. passuum similium. Dauentriensi territorium viginti quinque oppidorum, præter pagos interiacentes, longitudinis 62000. latitudinis 46000. passuum similium. Leevvardiẽsi territorium decẽ oppidorum, præter pagos interiacentes longitudinis 70000. latitudinis 40000. passuum similium. Grunyngensi territorium patriæ Grunyngensis, & Dreatiæ, & Insularum Rellang, & Rochaim. Mildelburgensi territorium decem oppidorum præter pagos adiacentes, longitudinis quinquaginta sex, latitudinis triginta trium millium passuum similium, pro sua cuiusque eorum Episcoporum Diocæsi, sic, vt dictum est, assignanda, Personas verò ecclesiasticas pro Clero & laicas in eis habitantes pro populis eorundem, Præterea Cameracensi Atrebatensem, Tornacensem, Audomarensem, & Namurcensem: Melchliniensi verò, Antuerpiensem, Gandauensem, Brugensem, Iprensem, Buscoducensem, Ruremundensem, Traiectensi autem cum ecclesijs prædictis Harlemensem, Dauentriensem, Leevvardiensem, Grunyngensem & Middelburgensem ciuitates, Diocesesque prædictas, eisdem scientia, consilio, & potestatis plenitudine, ac auctoritate apostolica, & tenore præsentium attribuimus, & pro cuiusque ipsarum Metropolitanis Prouincijs esse statuimus, ipsasque sic erectas cathedrales ecclesias, eosque qui pro tempore fuerint ipsarum Episcopi, pro suffraganeis eorum, qui pro tempore fuerint Cameraci, Mechliniæ, & Traiecti Archiepiscopi,

* Erecta est & collegialis facta an. 1413. per Ioannem Episcopũ Leodiensem. Vide Taxandriam Ioannis B. Grammaye cap. 5.

Mechliniensis. Antuerpiensis. Gandauensis. Brugẽsis. Iprensis. Buscoducensis. Ruremũdensis. Harlemensis. Dauentriensis. Leevvardiensis. Grunyngensis. Mildeburgẽsis.

Cathedrales ecclesiæ attributæ Archiepiscopali Cameracensi; Mechliniensi; Traiectensi.

qui suffraganei vt membra capiti, sic eisdem Archiepiscopis Metropolitico iure subiecta sint, & Cameracensis, Mechliniensis & Traiectensis prouinciarum Cleros & populos pro suis cuiusque ecclesiarum prouincialibus, quorum singulorum causa ad suum cuiusque eorum Archiepiscopum, secundum sacros canones deferantur, perpetuo similiter cõcedimus & assignamus, & quod ad Archiepiscopalia, & prouincialia iura pertinet, ciuitates, Diocæses, Cleros, & populos sæpius commemoratos eisdem Præsulibus qui pro tempore fuerint subÿcimus: Sicut easdem ciuitates, Diocæses, Cleros, & populos, quod ad ordinariam Episcopalem iurisdictionem, & potestatem attinet, suis quoque ipsorum qui pro tempore fuerint Episcopis subiectos esse decernimus, Archiepiscopatui verò Mechliniensi quinque millium, & cuilibet ex Episcopalibus mensis huiusmodi trium millium ducatorum auri de camera annuos redditus, ex certis decimis & bonis ac fructibus, redditibus, & prouẽtibus Ecclesiasticis, per dictum nũtium specificandis & repartiendis, & nunc prout ex tunc & è contra postquàm specificati fuerint & repartiti, ac interim donec specificatio, & repartitio huiusmodi facta, ac effectum sortita sint, & ne vltra. Mechliniensi trium millium, ac cuilibet ex Episcopalibus mensis prædictis mille & quingentorum ducatorum similium annuos redditus per ipsum Philippum Regem, ex redditibus & prouẽtibus, quos ex dicta regione percipit, assignandos, & Archiepiscopo Mechliniensi, & singulis Episcopis præfatis pro tempore existentibus, singulis annis quousque specificans, & repartitio prædicta, ac pro ea tantùm parte, quæ plenarium suum effectum minus sortita fuerit & non vltra, aut ægrè & proportionaliter persoluendos, pro earum dote, de pari consilio, eadẽ auctoritate etiam perpetuo applicamus, & appropiamus. Eidem autem Philippo Regi, eiusque successoribus, qui pro tempore eiusdem regionis in temporalibus Domini extiterint, ius nominandi personas idoneas, in Theologia Magistros, aut in decretis Doctores, seu Licẽtiatos, nobilium vniuersitatum more, diligenti examine præcedente promotos, ad Mechliniensem, Antuerpiensem, Traiectensem, Atrebatensem, Tornacensem, Harlemensem, Dauentriensem, Leevvardiensem, Grunyngensem, Middelburgensem, Busceducensem, Namurcensem, Audomarensem, Iprensem, Gandauensem, & Brugensem, si Ecclesias prædictas pro tempore vacare contigerit, nobis & Romano Pontifici qui pro tempore fuerit, per nos & eundem Pontificem, in Archiepiscopos, & Episcopos eorum, ad nominationem huiusmodi instituendos de eodem consilio, & scientia & auctoritate præmissis in

per-

Mechliniensis Archiepiscopi annuus prouẽtus. Itẽ Episcoporum suffraganeorum.

Ius nominandi Belgarũ Principi donatur.

Nota Ordinẽ; vide etiam quæ notauimus in.1095. ex Synodo Remẽsi, item an.270.

perpetuum reseruamus, atque concedimus, ac irritum & inane si secus super has à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, non obstantibus constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, ac prædictis, & quarumuis aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, & ordinum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis & litteris Apostolicis, Ecclesijs, Monasterijs, ordinibus, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, & alijs præfatis, ac quibusuis alijs, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cũ quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque & alijs decretis, & motu proprio, & ex certa scientia ac consistorialiter concessis, ac etiam iteratis vicibus & innouatis, Quibus omnibus, etsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorum totis tenoribus specialis specifica, & expressa mentio habẽda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbũ insererentur præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, harum serie speciali, & expresse derogamus, illaque aduersus præmissa suffragari nullo modo posse seu debere decernimus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominũ liceat hãc paginam nostram exemptionum, segregationis, diuisionis, separationis, liberationis, erectionum, institutionum, concessionum, assignationum, attributionis statuti, subiectionis decretorum, applicationis, appropriationis, reseruationis, derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ ad Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1559. quarto Idus Maij. Pontificatus nostri anno 4. Sic scriptum sub plica, FRAN. ARAGONIA, & signatum super plicam F. DE LYON, &c.

Quod quidem Pauli institutum cum illo quadrat, quod multis antè sæculis Gregorius 2. Pont. Max. (sedebat an. 715.) Bonifacio Germaniæ Apostolo præscripsit, est id tale: *Præcipimus vt iuxta Canonum statuta, vbi multitudo excreuerit fidelium, ex vigore Apostolicæ sedis debeas ordinare Episcopos, pia tamen contemplatione, vt non vilescat dignitas Episcopatus.* Caussa 16. q. 1.

Porrò Mechlíniensibus Antonius Perenottus, Atreba-

tensis Antistes primus datus est Archiepiscopus, illi in cathedram Atrebatensem Francisco Richardoto succenturiante.

Tertia Philippi Principis Nuptiæ. Henrici Gall. Regis casus. Franciscus 2. Gall. Rex.

Philippus 2. Hispaniarum Rex, & Belgarum Princeps, nuptias per Legatum Amorallum Comitem Egmundanum Parisijs celebrat cum Elizabethâ, Henrici 2. Galliæ Regis Filiâ. Quæ vt omni lætitiæ significatione peraguntur, Henricus Rex à Gabriele Mongommerij Barone, ad Hastiludium prouocato, infeliciter per cassidis bucculam vulneratus, decimâ Iulij extinguitur. Successit in Regnum Franciscus 2. annos sedecim natus.

Henrico socero Philippus Gandaui Regales celebrauit exsequias.

Vicesima quarta Velleris Aurei Comitia.

Vicesimâ quintâ Iulij, Aurei Velleris Comitijs, ab Philippo habitis, creati sunt Equites:

FRANCISCVS 2. Galliæ Rex.

GVYDOBALDVS, Dux Vrbinatium.

PHILIPPVS MONTMORENCIVS, Hachicurij Toparcha.

MARCVS ANTONIVS COLVMNA, Dux Palianus.

BALDVINVS LANNOYVS, Tourcoingnij Regulus.

GVLIELMVS CROYVS, Marchio Rentiacus.

FLORENTIVS MONTMORENCIVS, Toparcha Montignius.

PHILIPPVS, Comes Lignius.

CAROLVS LANNOYVS, Princeps Sulmonensis.

ANTONIVS LALANVS, Comes Hocstratanus &

IOACHIMVS, Baro Nieuhausius, Bohemiæ Cancellarius.

Atque ea fuere postrema Aurei Velleris Comitia, apud Belgas, ritu legitimo celebrata.

Idem Philippus Princeps, in Hispaniam transmissurus, singula Prouinciarum Belgicarum gubernacula, Patriæ Proceribus sic distribuit.

Singularū Belgij Prouinciarum Præfecti.

FLANDRIAM & ARTESIAM committit Amorallo Egmondano Comiti.

HANNONIÆ VALENCENIS, atque ARCI CAMERACENSI, Ioannem Glimæum, Berghanum Marchionem præficit.

LILAM, DVACVM, ORCHIACVM, Ioanni

Montmorencio Courierij Toparchæ regunda tribuit.

TORNACVM & TORNACESIVM, Florentij Montmorencij, Montignij Toparchæ fidei & tutelę credit.

NAMVRCVM Carolus Berlaymontius obtinet:

LVTCEMBVRGVM & COMITATVM CHYNÆVM, Petrus Ernestus, Mansfeltij Comes:

BVRGVNDIAM, HOLLANDIAM, ZELANDIAM, atque DITIONEM VLTRAIECTANAM, Gulielmus Nassauuius, Aurangiæ Princeps:

GELDRIAM & ZVTPHANIAM, Carolus Brimæus, Comes Meghanus:

FRISIAM AD ORTVM ET OCCASVM, ac DITIONEM TRANSISVLANAM, Ioannes Lignius, Arembergij Comes.

DITIONES TRANS-MOSANAS, quæ veteri iure ad Brabantiam pertinent, Ioannes Orientalis Frisiæ Comes.

BRABANTIA peculiarem Præfectum haud est sortita, quòd supremus Belgicæ Præfectus, pro more in eâ figat sedem. *Philippus Meyerus.*

Philippus insuper Belgicis Ordinibus Gandauum euocatis, pronuntiauit se Margaretam Austriam, sororem, Octauij Farnesij Parmensium Ducis coniugem, fœminam principem, tanto ferendo oneri parem, vniuerso Belgio cum Imperio præficere, adiuncto Procerum atque Senatorum, ad expedienda Reipublicæ negotia, certo numero, quorum Princeps erat Antonius Perenottus Episcopus Atrebatensis, dictus posteà Cardinalis Granuellanus atque primus Archiepiscopus Mechliniensis. *Margareta Philippi Principis soror, toti Belgicæ præficitur.*

Mense Augusto præcipitante, Philippus Princeps, ex Zelandiâ, versus Hispaniam soluit. Postrema eius, prætoriam nauim ingressuri verba ad proceres Belgicos fuere: Religionem vt Catholicam in primis sartam tectamque conseruarent. *Philippus Princeps in Hispaniā nunquā rediturus proficiscitur.*

Nouembris decimâ tertiâ, Albertus Archidux Austriæ, Belgarumque hodiè Princeps, Maximiliani 2. Filius, Neostadij in Austriâ feliciter nascitur. *Alberti Principis nostri Natalis.*

Petrus Gallandius, senio laboribusque confectus, Parisijs moritur. Is Ariæ apud Atrebates natus, Francisco pri-

mo Galliarum Rege, litteras præmijs & honoribus excitante, Lutetiæ Parisiorum Boncurtianum Gymnasium instaurauit, illique multos per annos præfuit. Regius Latinarum literarum Professor salutatus, & virtutis ergò, Canonicâ ad Sanctam Mariam, in eâ vrbe, dignitate auctus, inter primos, liberales disciplinas in Gallijs iacẽtes erexit, & politioris doctrinæ luce illustrauit. Scripsit in Quintilianum argumenta; Orationem de Francisci primi laudibus, Orationem item alteram contra Petrum Ramum seditiosum Oratorem & Philosophum, qui suis obseruationibus Aristotelis Philosophiam extinguere nitebatur, &c. Eius cõpluria exstant Epitaphia; quorum hoc solum subiungo:

Qualem perempto Diua Mater Memnone,
Densis amicta nubibus;
Pallente mæstum & languido vultu diem
Ægris tulit mortalibus:
Talis recurrit axe nuper Gallico
Sol aurei Dux luminis;
Cùm fata multis flebilem Gallandium
Tulere nobis inuida.
Obscurus aër, & nigrâ ferrugine
Obducta forma syderum:
Cælumque ventis ac procellis turbidum;
Turbata terris omnia.
Fleuere Nymphæ morte raptum pessimâ
Suum sibi Gallandium;
Fleuit tenellus & Aganippidum chorus,
Fleuit misellus & pater;
Fleuit bonorum turba; fleuit Ciuitas,
Mæstis referta luctibus.

Calamo id expressit suo Fredericus Iamotius, Doctor medicus; qui pridem abs Bethuniensi cœlo, quamplurima memoris Diuæ metallo dignissima, in Orbem euulgauit: cui vt Lyrico summo, seu Græcè siue Latinè pangat, ad illud Horatianum adludentes:

Quod si me Lyricis vatibus inseris,
Sublimi FERIAM SYDERA VERTICE;

Meritò id Anagrammatismi tribuimus;

FREDERICVS IAMOTIVS;
FERIAM SIDVS VORTICE.

CHRISTI AN. 1560.

PII 4. PAPÆ AN. 1.

ANNO 1560. Mense Ianuario, Elizabetha Francica, Philippi Regis coniux lectissima, Gallijs salutatis, in Hispanias ad maritum proficiscitur. Cuius aduentu totum Regnum in extrema gaudia, pompasque & ostentationes annorum honorumque, ad Gallorum stuporem, in Reginæ gratiam est effusum.

Elizabetha Fräcica in Hispaniã ad Philippum maritum progreditur.

Antonius Perenottus, Atrebatensis Episcopus, ab Pio IV. Pont. Max. Cardinalium in numerum refertur.

Quinto Decembris, Franciscus 2. Galliæ Rex diutino capitis morbo vexatus, in ipso ætatis flore, vita defungitur. Succedit in Regnum Carolus IX. eius frater. *Guicciardinus.*

Carolus IX. Gall. Rex.

B. Carolus Borromæus creatur 123. Archiepiscopus Mediolanensis. Illum Paulus V. Pont. Max. ob præclara merita stupendaque signa, in Catalogum Sanctorum recens retulit.

CHRISTI AN. 1561.

PII 4. PAPÆ AN. 2.

ANNO 1561. Antonius Perenottus, Episcopus Atrebatensis, & Granuellæ Cardinalis, primus Metropolitanæ Ecclesiæ Mechliniensis Archiepiscopus renuntiatur.

Illi in Atrebatensem sedem successit Franciscus Richardotus Burgundus; de quo mox dicemus.

Colloquiũ Posiacũ de religione.

Granuellanus Cardinalis, summæ auctoritatis in Belgicæ rebus, & apud Regem Philippum priuilegio quùm frueretur, summam quoque Procerum inuidiam cõtraxit.

Nonâ Septemb. in Gallijs, Possiaci, præsente Carolo Lotharingię Cardinale, colloquium de Religione instituitur, inter Claudium Espencæum, Doctorem Theologum Parisiensem, & Theodorum Bezam; atque 25. Nouemb. finitur.

Aula senatoria Antuerpiensium ab fundamentis instauratur, atque in admirandam pulchritudinem euehitur.

CHRISTI AN. 1562.

PII 4. PAPÆ AN 3.

ANNO 1562. Duaci (vastum est opidum Flandriæ Gallicanæ, in Artesiæ finibus ad Scarpam Fl.) noua omnium disciplinarum Academia ingenti Ecclesiæ Christianæ bono, ab Philippo Rege instituitur, atque professoribus, è varijs locis, Louanio potissimũ accitis, stipendia designantur.

Academia Duacena instituitur.

Academiæ Cancellarium primus gessit VValerandus HANGOVART, Ecclesiæ Sancti Petri Lilani Canonicus & Decanus; Bethuniæ in S. Bar-Ptolomæi, & Duaci in S. Amati, Præpositus; atque Caroli V. Imp. & Philippi 2. Re-

Primus Cancellarius.

gis

gis ab Eleemosynis; cui inuidæ Parcæ, an. 1567. vitæ stamen abruperunt.

Doceri autem cœptum est quintâ Octobris præsentis anni.

Cæterum Dominus Hieronymus de France, patriâ Artesius, maioris Vacqueriꝗ Dynasta, Friburgensis olim Academiæ in Brisgoiâ Iuris professor, pôstmodùm Artesiensis Cameræ Præses, de eiusmodi Academiæ Natali historiam pleno stylo conscripsit: Addo in Iuris Ciuilis Regulas solidos commẽtarios, quos Basilea typis Operianis anno 1558. primùm euulgauit. Obijt Hieronymus plenus dierum, mense Iulio, an. 1606. Reliquit C.V. Raynutium de France F. supremæ Belgi Cameræ apud Mechlinienses Consiliarium primò, postmodùm in patrios honores apud Artesios inferioris haudquaquam nominis, successorem.

FORTES CREANTVR FORTIBVS.

Fuit porrò dicta Friburgensis Academia ab Alberto Austriaco, circa annum Domini 1460. (quibusdam 1450.) erecta: Basiliensis autem per Pium 2. Pont. Max. an. 1459. sumpsit exordium.

Tertio Idus Nouembris, feriâ beato Martino sacrâ, Franciscus Richardotus, natione Burgundus, sacræ Theologiæ Doctor, in omni scientiarum genere longè versatissimus, atque post hominum memoriam eloquentiæ laude, cui par accedebat pietas, celeberrimus, Atrebatum solenniter ingressus, eius Diœceseos regimen feliciter auspicatur. Is Tridentinæ Synodo, cum alijs Belgicæ Episcopis atque Doctoribus interfuit; in quâ luculentissimam, audiente Illustrissimorum totius Orbis Patrum Senatu, orationem latinam habuit, quæ exstat; & incredibilem sui admirationem apud singulos excitauit, non imperitus ille, aut infrequens coram Regibus Principibusque, de quocunque themate ex memoriâ, seu Latinè siue Gallicè pari facundiâ eloqui. Idem institutæ ab Philippo Rege in Duacenatibus Academiꝗ, non postremam operam adiunxit; atque (nihil interim pastoralis curæ suæ remittens) Beati Pauli Epistolam ad Romanos dictitatam, publicè in Theologorum Scholâ, summâ cum laude interpretatus est. Prudentiâ atque auctoritate in suâ Diœcesi eâ est vsus, vt quamquàm dissidijs intestinis Belgica variè tumultua-

retur,

retur, Atrebates nihilominus, frequenti concione in fidei Romanæ & Catholicæ professione obseruantiâque, & veri Principis Philippi 2. Hispaniarum Regis obsequio contineret. Cætera eius præclarè gesta, superstes fama cottidie commemorat.

Gerardus Americurius Abbas Bertinicus, Oeconomiæ administrandæ prudentiâ, & in Rempublicam beneficentiâ commendabilis, Morinensi Diœcesi, ab supremo vrbis funere in alias tres Audomarensem, Iprensem & Bononiensem tributâ, primus Audomarensium Episcopus ordinatur.

Porrò hîc prætereundum non est, quod de Bononiâ Molanus notauit, in præfatione ad Natales Sanctorum Belgij: *Fuit* (ait ille) *primitùs vrbs Flandriæ; & sicut nunc, ita antiquitùs proprium habuit Episcopum, vt constat ex Roberto Normanno, Abbate montis Naualis, in supplemento Sigeberti, ad annum 1160. ex vitâ Sancti Berthulphi, & aliundè.* Hæc Molanus; de S. Bertulpho egimus ad annum 670.

Mense Nouembri, Maximilianus, Ferdinandi Cæsaris Filius, Romanorum Rex inauguratur. *Maximilianus 2 Romanorum Rex creatur.*

Moritur N. Noyellæ Dynasta, atque Hesdinensis opidi Præfectus. Illi in præfecturam Antonius Helfautij Toparcha, Cardinalis Granuellani operâ, successit.

Moritur & Franciscus DE GLEN, Henniacensis Antistes, atque è regione Altaris Beatæ Virginis, quod viuus ornauerat, telluri redditur. Iacet sub marmoreo cenotaphio, cui à Balduino nepote id Epitaphij incisum:

Conditur hoc medio Franciscus iure Sacello,
Glendus, sculpturis fornice quod decorat.
Vestes cancellis sacras tutatus & arcis;
Altari pictas imposuit tabulas.
Multa sui moriens liquit monumenta laboris,
Quæ fratres seri, posteritasque canet.
Plura relicturus; miles nisi prodigus æris
Alterius, nostras sæpè vorasset opes.
Moribus Alcyonem placidis, vultuque sereno
Huc inuitauit, detinuitque diu.
ILICet aVfVgIt, sæVos eXosa tVMVLtVs;
EXCIpIs hanC grato sed bone ChrIste sInV.

Francisco successit Balduinus DE GLEN ex fratre ne-

pos, acris ingenij vir, atque in multis, quùm Artesiæ tum cœnobio suo haud inutilis. In cæteris quæ stylò exarauit, egregiam Belgicæ delineationem confecit, quâ vt iustis titulis, Principes nostri totius Belgicæ Imperium obtineant, ob oculos intuentium clarissimè exponit. Scripsit & Monasterij sui Henniacensis Historiam latino & puro sermone, vndequadraginta capita complectentem, atquealia non pauca, quibus oportunè vsi non semel fuimus, fauore Ioannis Bretelij Atreb. op. Ciuis; qui ea nobis Manuscripta amicè communicauit.

Primus Bossuti Comes. Moritur & N.V. Ioannes DE HENNIN primus Bossuti in Aduaticis Comes: illi Maximilianus, ex Annâ Burgundâ Coniuge Filius in Comitatum iuit successor: & huic Maximilianus F. hodiè Bethuniensis opidi Præfectus.

CHRISTI AN. 1563. ANNO 1563. Sept. 8. Maximilianus Austrius, Ferdinandi Imp. Filius, vnâ cum Mariâ coniuge, Hungariæ Regno inaugurantur. PII 4 PAPA AN. 4.

Moritur Hieronymus Ruffaldus 73. Vedastinus Antistes; succedente Rogerio Montmorentio, cuius Natales cognomen indicat, sed quos insitæ in illo virtutes reddidere illustriores. In cæteris id notatur, quòd præter virorum nobilium consuetudinem, inuitus Procerum conuentibus interesset, animò anhelans ad solitudinem quandam, vbi grato otio liceret Deo seruire.

Moritur & Ioanna Botina, Claristarum Hesdiniensium V. Antistita. Succedit Maria Syluia *, Panagiæ Syluiæ, secundæ ibì Abbatissæ neptis; N. Toparchæ DE BLANGERVAL, & Dominæ DE LA MOTTE, hodiè superstitum, matertera, aut fortè amita.

* Gal. du Bois.

Tridentinum conciliū finitur. Tertiâ Decemb. Tridentinum Concilium finitur.

Visus Antuerpiæ Elephantus, Cæsari offerendus.

CHRISTI AN. 1564. ANNO 1564. Mense Martio, Antonius Perenottus, Cardinalis Granuellanus, declinandi Procerum atque Aulicorum liuoris ergò, ex Belgio migrans, primùm in Burgundiam, indè in Hispaniam ad Philippum Regem proficiscitur. PII 4 PAPA AN. 5.

Perenoti Cardinalis in Hispaniā profectio

Iunij 8. vetus & parœciale Beati Nicolai templum, ipsis Atrebatensis opidi mœnibus, vndè ei AD FOSSAS cognomen erat, inclusum, à tecto ad fundamentum disijci, locoq; amoueri: atque extēpore nouum in ipsius parœciæ

quasi

quasi meditullio instaurari cœptum est, quod singulari parœcianorum zelo, industriâ, diligentiâ atque liberalitate, breui admodùm tempore, pulcherrimâ formâ fuit consummatum. Primum fundamenti lapidem posuit Reuerendissimus Dominus Franciscus Richardotus Episcopus Atrebatensis.

Iunij 13. Gerardus Hamericurius, Audomarẽsium Episcopus, dedicat ad S. Antonij de Paduâ honorem Sacellum, quod Nobilissimus Eques Antonius DE BAILLOEVL, in S. Martini iuxta Paulopolim castro suo, Dominâ Margaretâ de MERODES Nobilissimâ Heroinâ coniuge cooperante, nuper erexerat. Venerabilis Eucharistiæ sacramentũ ibidem iugiter adseruari priuilegium datum est, lãpade in conspectu continenter ardẽte. Accesserunt postmodùm ducentorum dierum Indulgentiæ ab Octauio Archiepiscopo Tarẽtino, Pauli V. Papæ in Belgicâ Nuntio à Latere per Nobilissimos Heroas Dominum Maximilianum DE BAILLOEVL, Antonij Filium, & Dominam Christinam DE LALAIN vxorem, dicti loci Toparchas, impetratæ, quas consequerentur qui diebus sacris quùm Dedicationi eius Sacelli, tum S. Antonio Diuo Tutelari, debitè ad id sese compararent.

Octauo Cal. Aug. Viennæ moritur Ferdinandus Imp. Caroli V. Frater. Maximilianus 2. Filius, in paternum successit Imperium. *Maximilianus 2. fit Imperator.*

Xenodochium S. Ioannis in Stratâ, Atrebati, an. 1178. constructum, curante Petro Asseto, Cameræ Artesiensis Præside, hominibus sæcularibus, penes quos rerum gerundarum cura stabat, indè dimissis, atque Monialibus B. Augustini Regulam professis, quibus curandi ægrotos munus incumberet, Cameraco euocatis, splendori nouo restituitur, atque hodiè mirificè efflorescit.

Michaël Lopezius, Philippi 2. Hispan. Regis auspicijs, nouas Insulas ampliùs quadraginta detegit, easque subactas, à Regis nomine Philippinas nuncupauit. *Philippinæ insulæ deteguntur.*

Maria Scothiæ Regina, Francisci 2. Galliæ Regis vidua, Henrico Stuarto nubit.

Parisiorum Armamentarium puluere tormẽtario fortè incensum vt conflagrat, ingens ædium atque ciuium ruina deploratur.

Franciscus Guisiæ Dux, à Poltroto sclopeti glande traiectus moritur.

CHRISTI AN. 1565 ANNO 1565. Quùm inter Atrebatenses atque Tornacenses, de vtriusque Diœceseos primatu controuersia vetus recrudesceret; eam Pius quartus Pont. Max. sopire studiosus, id diplomatis Aprilis 3. transmittit. PII 4. PAPAE AN. 6.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Ad Romanum spectat Pontificem, suâ sollicitudine indefessâ diligenter prouidere, vt ea quæ tam ab eo, quàm prædecessoribus suis, pro tempore emanata esse reperiuntur, ita sine declarationis adminiculo delucidentur, quòd nulla desuper dubitandi occasio cuiquam tribuatur. Itaque licet aliàs felicis recordationis Paulus PP. IV. Prædecessor noster, primò, & deindè Nos Cameracensem Ecclesiam in Metropolitanam ereximus, eique quatuor Ecclesias Suffraganeas, in quibus Atrebatensis primo loco atque ordine inscripta est, attribuerimus: prout tam in eiusdem Pauli Prædecessoris, quàm nostris litteris desuper confectis, plenius continetur: tamen ad tollendas difficultates & controuersias, quæ ex hac descriptione super præcedentia Episcoporum Ecclesiarum suffraganearum huiusmodi ortæ forsan iam sunt, seu deindè oriri posse formidatur: nostræ declarationis remedio, oportunè prouidere volentes, motu proprio & ex nostrâ certâ scientiâ, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium attestamur, decernimus atq; declaramus, nec dicti Pauli Prædecessoris neque nostræ mentis, intentionis aut voluntatis vnquam fuisse, esse, neque fore, quòd per descriptionem & ordinem in prædictis litteris factum & expressum solito & antiquo ordini, ac præcedentiæ præfatorum Episcoporum, quoquo modo præiudicetur: neque præiudicari possit, quinimò ipsum Paulum Prædecessorem & Nos voluisse ac velle, vt vnusquisque in suo pristino loco, ordine & antelatione omninò conseruetur. Quòd si nulla inter eosdem Episcopos præcedentia seruari solita sit, tunc locus & ordo in dictis litteris descriptus seruari debeat, seruandumque fore & esse. Sicque per quoscunque iudices & commissarios &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris 3. Aprilis 1565. Pontificatus nostri an. 6. Hæc ibi.

Auesnenses Moniales, bellicarum tempestatum quæ imminebāt metu, Monasterium quod nō procul Bapalmâ incolebāt, ad Atrebatēses migraturę, deserunt, atque principiò veterem ciuitatem in quâ anno 1558. cum Sacello

ædes posuerant, asylo sibi deligunt: at post paulò, ad Castrum Bellomottæum., in Atrebatensis opidi conspectu, viciniâque constitutum*, sui iuris, emptione quùm effecissent, atque monastico instituto idoneum apparassent, magnâ animorum alacritate subiuerunt. Sacro Virginum gregi tum pręerat Magdalena DE VVARLVZEL, nobili loco nata, cuius industriâ atque labore, sublatâ sensim vetere formâ, eâ hodiè ædificiorum præstantiâ locus eminet, vt ausim cum elegantioribus Belgicæ Gynæcæis meritò conferre.

* Vide suprà ad ann. 1332. & 1402.

Magdalenam Florida DE GANTAV, Atrebatia, nobili quoque genere exorta, vndecimâ Aprilis, an. 1600. Floridam verò Hadriana Morella, stirpe etiam, nec minus virtute nobilis, hodiéque superstes, anno 1606. suo vtraque ordine exceperunt.

Decimâ octaua Nouemb. Alexander Farnesius, Octauij, Parmæ & Placentiæ Ducis, filius, nuptias Bruxellæ celebrat cum Mariâ, Emanuelis Lusitaniæ Regis nepte ex Filio Eduardo.

Alexandri Farnesij Nuptiæ.

Scaldis Fl. acutissimo gelu constrictus, Nauibus negat viam, præbet equis & plaustris.

CHRISTI AN. 1566.

ANNO 1566. *PatrIa obdVCta tenebrosa soMno:*
Non potest aCres CohIbere BeLgas:
InferI doneC referet CrVenta
IanItor ora.

PII 5. PAPÆ AN. 1.

Sic enim annum hunc ordior, exordium ad omnem futuris temporibus calamitatem.

Quintâ Aprilis, Bruxellæ, Proceres aliquot, vnà cum socijs plus minùs quadringentis, Libellum supplicem pro Religionis libertate, Margaretæ Austriæ, Belgicarum Prouinciarum Proregi offerunt, & illum quidem omnium malorum fontem. Hinc enim in Deum, Diuos, templa, aras, Imagines, sacerdotes, Monachos, Virgines, & sacra omnia fœdissimæ irruptiones, in Principem rebelliones, Rerumpubb. euersiones, & vt verbo dicam:

Initia tumultuũ Belgicorum, ab Auctore, Chronico signata. Libellus supplex Margaretæ, ab coniuratis offertur.

Bella in Pleumosijs plusquàm ciuilia campis,
Iusque datum sceleri videas, Belgamque potentem,
In sua victrici conuersum viscera dextrâ.

Ad imitationem Lucani.

Quibus proindè id apprimè quadret, ab Iudâ Machabæo, similem ob caussam olim prolatum:

SanCta tVa ConCVLCata ſVnt & ContaMInata.

Geuſiorũ nomen vnde natum.

Tunc natum nomen Geuſiorum, inditum à Carolo Comite Berlaymontio: quâ quidem voce apud Francos vagi mendicique nebulones denotantur. Sed de his qui abundè volet, adeat Philippi Meyeri Flandriæ Annales; aut Florentij Vander-harij tractatum de initijs tumultuũ Belgij.

Natalis Iſabellæ Principis noſtræ.

Viceſimâ ſecundâ Auguſti in Hiſpanijs Iſabella, Clara, Eugenia, Hiſpaniarum Infans ac Belgicæ Princeps futura, feliciter naſcitur, Philippo 2. Rege, & Elizabethâ Franciçâ parentibus. Adeſt eius Natalis Chronicon noſtrum:

NaſCerIs, ô PrInCeps! ardet fera BeLgICa beLLo,
At nonſIC; Modò tV VenerIs Ipſa Dea.

CHRISTI AN. 1567. *Anni exordiũ Calendis Ianuarÿ aſsignatum.* — PII 5. PAPA AN. 2.

ANNO 1567, Primùm apud nos cœptum eſt à Circumciſione Domini, ſeu Calendis Ianuarijs, anni exordium, quùm anteà ſancta Reſurrectionis Dominicæ dies, Natalis eſſet anni noſtri. *Paulus Petauius, Senator Regius in Curia Pariſienſi, tract. de Annorum Ratione* §. 10.

Valencenenſe opidum Principi ſuo reſtituitur.

Viceſimâ tertiâ Martij, Valencenæ, opidum Hannoniæ, abs Caluinianis Geuſijs occupatum, Margaretæ Auſtriæ iuſſu, ab 14. Decembris ſuperioris anni die, per Norcarmium obſidione cinctum, tandem expugnatur.

Dux Albanus Belgicæ præficitur.

Auguſti 21. Ferdinandus Aluarus Toletanus, Albæ Dux, ab Philippo 2. Rege dictus Belgij Præfectus, eius regimen auſpicatur:

VT FELICITER; DII DVINT.

Egmõdæ atque Hornæ Comites captiui, carceribus detinentur.

Nonâ Septembris, Amorallus Egmondæ Comes, & Philippus Montmorentius Comes Hornanus, Rogerij Vedaſtini Præſulis frater, ab Duce Albano captiui, obſcuris ſeparatim carceribus detinentur.

Arx Antuerpienſis.

Albanus Antuerpiam profectus, deſignato atque complanato, Arci fortiſſimæ conſtruendæ loco, conductiſque duobus operariorum millibus, ex Pachiotti Architecti ſentẽtiâ, iacit fundamẽta, frementibus nequicquam ciuibus, quòd graue & inſolitum ceruicibus iugum imponeret.

Moritur VVallerandus HANGOVART, primus Academiæ Duacenę Cancellarius. Iacet eius funus apud Inſulẽſes in D. Petri, ſub æreo cenotaphio. *Vide ſuprà ad an. 1562.*

Audomaropoli, Gerardo Americurio Epiſcopo ſatagẽte, RR. Patres Societatis Ieſu Collegiũ conſequuntur: ędibus in vico Velbruglio, Epiſcopi beneuolentiâ adparatis.

CHRISTI AN. 1568.

ANNO 1568. Februarij decimâ sextâ Philippus Nassauius, Comes Buranus, Aurangij Filius, duodecim annorum adolescens, Louanij, litteris operam vt nauat, Albani Ducis iussu, non obstantibus academiæ priuilegijs, capitur, atque in Hispaniam ducitur.

PII 5. PAPÆ AN 3.

Philippus, Aurangiæ Princeps, captiuus in Hispaniam ducitur.

Quintâ Iunij, Egmundanus atque Hornanus Comites, Albani iussu, Bruxellæ sub meridiem, Lictoris ferro icti, in magno patriæ luctu & querelâ, occumbunt.

Bruxellæ Egmondanus & Hornanus Comites, ceruicibus mulctantur.

Mense Iulio, Franciscus Cocqueuillius, cum magnâ hæreticorum manu, in Artesiâ vt consider, Asceterium S. Iudoci in Nemore, vulgò Domp-Martinense, insigni atque memorandâ clade afficit. Siquidem claustra cum dormitorio, igni penitùs exterminat; nihilque rerum sacrarum intactum sinit: Ioannem Eckium eiusdem loci Monachum atque procuratorem, vitæque integræ & inculpatæ Religiosum, pulueris tormentarij cruciatu torreri imperat; & assequitur mandatum; Tu verò generose Ecki, Christi promissum: qui sacris tuendis vt studes, ab immani tyranno gloriosum Martyrij refers triumphum.

Decimâ quartâ Octobris, Isabella Francica, tertia Philippi 2. Regis vxor, è viuorum societate recedit.

Isabella, tertia Philippi Principis coniux moritur.

Eodem ferè tempore Carolus Austrius, Philippi Hisp. Regis, ex Mariâ Lusitanâ primâ coniuge Filius, tertium & vicesimum ætatis annum ingressus, de medio tollitur, sed fato violento, quo autem illo, aut quâ caussâ, nescimus; licet Opmeerus in Chronico, Antuerpiæ nuper excuso, id Ouidij, obitus annum complectens, adaptarit.

Caroli Austrij Hispaniæ Principis obitus.

FILIVs ante DIeM PatrIos InqVIrIt In annos.

CHRISTI AN. 1569.

ANNO 1569. Dux Albanus, Belgicis Ordinibus Bruxellam euocatis, à singulis prouincijs omnium bonorum immobilium centesimum nummum pro imperio exigit, & impetrat. Iulij 16. Antuerpiæ Amnestia delictorum ab eodem Albano decernitur & publicatur.

PII 5. PAPÆ AN. 4.

Nummus ab Albano Belgis imperatus & impetratus.

Philippus DE SAVTY Caricampensi, & Ioanna DE VVARLVZEL, Strumensi, cœnobijs præficiuntur. Ille templi sui tectum atque campanile reparauit.

CHRISTI AN. 1570.

ANNO 1570. Mense Augusto Maximilianus 2. Imp. Annam Filiam, Alberti Principis nostri sororem, Philippo 2. Hisp. Regi, & mense Octobri alteram Filiam Elizabetham Carolo 9. Gall. Regi, nuptui elocat.

PII 5. PAPÆ AN 5.

Antuerpiæ statua Albani ænea.

Albanus, in mediâ Arcis Antuerpianæ iam prorsùs communitæ areâ, sibi statuam fusilem erigit; quæ aliquot post annos sublata est.

Bapalmensis Ecclesiæ turris construitur. Est Ecclesia B. Nicolai memoriæ sacrà, cuius nauis cum geminis alis ad fastigium supremum fuit anno demùm 1577. perducta. Habet ad alam sinistram Sacellum, beatæ Virginis Deiparæ Icone, & signis frequentibus, adeoque populorum peregrinatiunculis celebre. Tabella ad Sacelli parietem signa indicat, ac eorum primum, an. 1500. contigisse. Pendet dictæ Ecclesiæ altare, abs cœnobio Sancti Nicolai in Nemore, iuxta Feram Veromanduorum vrbem, iam olim constructo, velut & D. Albini Prioratus, Bapalmæ conterminus.

Numismata antiqua reperta.

Huc notandum venit, aliquot ab annis, in agro Bapalmensi, pago, cui Franca-villa nomen, plurima numismata perantiquæ notæ, fuisse repetta, inter veteres ædificiorum & cellarum ruinas, indices, vel ex ipso etiam nomine, celebrem aliquando fuisse locum: vel certè Romana castra aliquando ibidem consedisse: exemplo fortè illius, quod in Flandris recentiùs. Anno nempe 1607. inter Alostum & Teneramundam, vico Mespelariâ, quidam rusticus operi insistens, altiùs fortè vt fodit, mille quingenta ampliùs aurea numismata vetusta eruit. Erant autem nummi plerique Marci Antonini Veri & eius coniugis. Vndè suspicari liceat eos à Quæstore, aut alio quopiam ex legione Romanâ in hybernis agente, illo loco fuisse defossos, atque eo quidem tempore, quo *tanta per totum orbem pestilentia exstitit, vt penè vsque ad internecionem Romani exercitus delerentur*, vt Eusebius in chron. ad an. 174. loquitur.

Audomaropoli, Dedicatio Ecclesiæ Patrum Societatis IESV, per Americurium Pontificem.

Artesia ab latronibus infestatur.

Eadem tempestate, Regnum quoddam suum in Artesijs obtinebant quamplurimi latrunculatores, in quibus tanquam Dux eminebat Gulielmus, cognomento Magnus (vernaculè GRAND-GVILLAVME) qui miserum istud vitæ genus, quùm in Olhanio saltu, mox Sanpolanâ in siluâ & circumsitis nemoribus multos annos secutus fuisset, tandem à Quæsitore Atrebatensi, iuxta Fanum Pauli captus, primo ab Vrbe lapide, reste luit.

CHRISTI AN. 1571. | PII 5 PAPÆ AN. 6

ANNO 1571. Ferdinandus Lannoyus, Rochellæ Comes, Granuellano, eius sorore in vxorem ductâ, sanguine iunctus; Artesiensis Prouinciæ moderamini admouetur. *Rochella Comes Artesiæ præficitur.*

Tertio Idus Septembris, Cathedrale B. Virginis Atrebatensis Templum, amplo & plumbeo tecto suo, cum minore campanili, mirâ nolarum harmoniâ, ad insuetam alibi audientium voluptatem resono, furentibus ex operariorum incuriâ flammis, penitùs spoliatur.

Nota. Corrige in meo Mariali, vbi ad an. 1572. id retuli, l. 2. c. 19.

Hinc Pontifex, & fleuit ipsa Ciuitas;
Et numeri innumeri simul omnes collachrymarunt.

Mensis Septembris Dominicâ tertiâ, Atrebati parœciale B. Nicolai templum, nuper instauratum, abs Reuerendissimo Domino Francisco Richardoto Episcopo, sacro ritu initiatur.

Moritur Gulielmus Ruellius Abbas Eligianus, annos præfuit 27. tumuloque communi cum Ioanne Feucio illatus, hoc accepit Epitaphium:

Et dum fata volunt, tumulo conclusus eodem,
Cane senex annis tu Gulielme iaces.
Sedibus æthereis fac Christe fruantur Olympi,
Quorum sunt vno membra reposta loco.

Ruellio successit Ioannes Malpantius, triennalem experturus dignitatem.

Septimâ Octobris, Victoria Actiaca, ab omnibus penè huius æui historicis cantatissima. De illâ scripsimus etiam sat fusè in nostro Mariali, cui titulus MARIA AVGVSTA; libri sexti cap. 22. *Ioannis Austrij victoria Actiaca.*

Quartâ Decemb. Philippo Regi ex Annâ nascitur Filius, nomine Ferdinandus, breuis æui puer.

Vicesimâ primâ Iunij in Fano Pauli, Natalis dies Auctoris huius Chronici.

CHRISTI AN. 1572. | GREG. 13. PAPÆ AN. 1.

ANNO 1572. Thomas DE PARENTY, patriâ Bruxellensis, Vedastinis Abbas præficitur. *Is vt monachus fieret* (verba sunt Chronici Vedastini) *ab summo illo Imp. Carolo V. Ruffaldo oblatus puer, totâ vitâ modestiam quandam, maturitatem & grauitatem idoneam ad regendum præ se tulit, mistâ non vulgari prudentiâ, quâ egregiè vsus est, dum vel Neophytorum institutorem, Præpositum Anglicuriensem, Priorem huius domus, indè Præpositum egit. Conciliato hinc omnium nostrorum fauore, omnibus suffragijs renuntiatus est Abbas; quibus Rex Catholicus*

acquieuit eò lubentiùs, quòd factum à Patre monachum intelligeret. Hæc ibi.

Gorcomienses Martyres. Nonâ Iulij, Franciscani Sodales vndecim, atque alij aliquot Sacerdotes & Religiosi viri Gorcomio oriundi, Brilæ in Hollandiâ, à Caluinianis, Religionis Catholicæ caussâ, plurima perpessi, tandem ad laqueum relati, gloriosum Martyrij triumphum reportarunt. Gul. Estius, Doctor Theologus & Cancellarius Academiæ Duacensis, historiam litteris consignauit, euulgauitque.

Colignij Admirallis aliorumque cædes. Vicesimâ quartâ Augusti, feriâ B. Bartholomæo votiuâ, Gaspar Colignius Castellonius, Galliæ Admirallis, multique alij Caluinianæ sectæ homines, trucidantur.

CHRISTI AN. 1573. *Lamotius Tormentorum Magister ab Albano constitutus.* ANNO 1573. Valentinus DE PARDIEU, Lamotij Toparcha, Cressonerio in Herlemēsi obsidione interempto, Tormentorum Magister ab Duce Albano cōstituitur. GREG. 13. PAPA AN. 2.

Francisci Balduini I. C. obitus. Vicesimâ quartâ Octobris, Franciscus Balduinus Atrebas I. C. non Belgicæ solùm, sed & Galliæ totius ornamētum, annos natus tres & quinquaginta, Lutetiæ Parisiorum, in Collegio suæ gentis Atrebatium, sacris ritu catholico piè sumptis, vitâ defungitur, atque in Mathurinorum peristillio sepelitur. Adfuit morienti, quo etiam vsus fuerat familiariter, Ioannes Maldonatus, Bæticus, Societatis Iesu Theologus præstantissimus. Massonus, grati animi auditor, hoc eius Sarcophago Elogium insculpi curauit:

Cuiacij
Balduinus hic iacet ....
Hoc tecum reputa,
& Vale:
Mortuus vobis,
Iurisprudentiam grauis corripiet sopor.

Nota. Vide eius vitā in elogijs Belgicis Aub. Miræi.

Hunc illi aliquandò lusimus Anagrammatismum:

FRANCISCUS BALDUUS VNICUS.

Ludouicus Requesenius Belgicæ præficitur. Decimâ septimâ Nou. Ludouicus Requesenius, Magnus Castiliæ Commendator, Belgicas Prouincias abs Rege Philippo administrare iussus, Bruxellam appellit.

Dux Albanus in Hispaniā reuocatur. Mēnse Decembri, Dux Albanus, cum Federico Filio, Belgicam deserens admodùm turbulentam, Hispaniam repetit:

Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis,
Tuque, puerque tuus!

Ferunt

Ferunt Albanum iactare solitum, ad octodecim Belgarum millia, suo iussu, legibus interempta. *Phil. Meyerus.*

CHRISTI AN. 1574. ANNO 1574. Martij 23. Atrebati ab Senatoribus exit edictum, vti deinceps in instaurandis seu struendis ædibus, lateritiorum aut lapideorum murorum solus sit vsus, exoletis parietibus, qui solo ligno constantes, fortuito igni admittendo facilè patebant. Item & illud; ab omnibus in fora seu vicos ædificiorum proiecturis caueatur. GREG. 13. PAPÆ AN. 3

Maij 30. Carolus IX. Gall. Rex, vicesimo quarto ætatis anno, non sine toxici dati opinione, moritur. Successit Henricus 3. eius frater, anteà Poloniæ Rex. *Hericus 3. Gall. Rex.*

Iulij 26. Franciscus Richardotus Episcopus Atrebatensis, Pastorali curâ feliciter, & in amore omnium administratâ, supremum vitæ diem obit. Ioannes Richardotus, ex sorore nepos, Artesiensis Consilij tum Præses, auunculi sui, cuius scriptus hæres fuit, funeri perelegans Mausolæum, ex marmore & alabastrite dedit, & studiosè componi curauit; quod in Cathedralis Ecclesiæ Odeio, ad dextram cernere est, simulque id Epitaphij legere:

D. O. M.

D. Francisco Richardoto, Burgundo, Atrebatium Episcopo, viro in omni disciplinarum genere versatiss. ac concionatori eloquentiss. qui ob singularem doctrinam & præclaras animi dotes, omnibus Ordinib. vnicè charus, postquàm hanc Ecclesiam, periculosis temporibus, ingenij dexteritate & assiduis concionibus, annis tredecim feliciter rexisset, maximo sui relicto desiderio, annum ætatis agens sexagesimum septimum, è viuis excessit: Ioannes Richardotus, Inuictissimo Philippo Regi, à rerum Status secretisque consilijs ac libellis, & Artesiæ Præses, Auunculo optimo, Nepos mæstiss. posuit. Obijt VII. Kalend. Aug. An. 1574.

Defuncti Francisci successor aliquanto pòst tempore Reu.^mus D. Matthæus Moullartius, Gisleniani in Aduaticis cœnobij Abbas, virtutis & doctrinæ atque zeli incomparabilis ad omne bonum propendētis nomine, renūtiatus est.

Moritur Ioannes Malpantius Abbas Eligianus. Domesticum eius Elogium sic habet:

Clausus terreno iacet hîc Malpantius antro,
Quem Mors atra nimis sustulit ante diem.
Annis quippè tribus sedit, non ampliùs, Abbas,
Defer opem Psalmis ex pietate tuis.

Malpantio Georgius Bellotius successor dictus est, atque initiatus anno insequente, Februarij quintâ, Illustrissimo D. Ludouico Berlaymontio Cameracensi Archiepiscopo sacris operãte. Præfuit annos vndecim & mẽses tres.

CHRIST AN. 1575. ANNO 1575. Philippus Hispaniarum Rex, Atrebatibus, Scarpam Fl. ad opidi muros, fœcundis aquis, præterfluentem, nauigio (vel naturâ inuitante) adparare, & mercimonijs omnigenis euehendis aduehendisque commodum reddere, signatis tabulis facultatẽ impertit. Quod quidem præclarum Principis indultum, nonnullis, ne effectum sortiretur, frustrà reluctantibus, Atrebates, aliquot annos quiescere, volentes passi sunt. GREG. 13. PAPÆ AN. 4.

Rudolphus Austrius Romanorum Rex dictus. In Germaniâ, Comitijs Ratisponensibus, Rudolphus Austrius, Maximiliani Cæsaris filiorum natu maximus, Romanorum Rex nominatur.

Henrici 3. Gall. Regis steriles nuptiæ. Henricus 3. Gall. Rex, matrimonium, sed infœcundum illud, cum Ludouicâ Lotharingâ, Nicolai Comitis Vaudomontij Filiâ, paciscitur.

CHRISTI AN. 1576. ANNO 1576. Martij quintâ, moritur Ludouicus Requesenius Belgicæ Prorex. Eius auditâ morte Philippus Princeps, Ordinibus Belgicis, Patriæ curam humanissimis litteris demandauit. GREG. 13. PAPÆ AN. 5.

Requesenio defuncto, Ordinibus cura Belgij cõmissa.

Porrò dicti Ordines sex Capitibus supremis constabãt, in quibus magna pars fuit Christophorus ab Assonleuillâ, Atrebas, vir clarissimus, omnique commendatione maior: cuius proindè ex occasione Elogium breuibus hîc appendere visum est:

Elogium Christop. d'Assonleuille, Viri clarissimi.

D. O. M.
Christophorus ab Assonleuilla, Atrebas, I. C. clarissimus,
Bouchaultij Baro, Altevilla Toparcha;
Regius à Rerum Belgicarum statu Consiliarius;
in Equestrem Ordinem ab Philippo Rege assumtus;
S. Ordinis Velleris Aurei Thesaurarius:
ad Rudolphum Imperatorem,
Carolum & Ernestum Archiduces,
Alexandrum Farnesium & N.
Parmæ & Bauariæ Duces,
Colchidos istud Aureum pignus,
eo nomine, quùm detulisset;
in Angliam tertiùm, in Scotiam, Franciam, Germaniam,

Ann.

Ann. 1557. 1558. 1559. 1562. 1564. 1578.
grauissimis de caussis,
ad Cæsarem, Reges, Principes,
Philippi Regis imperio,
Legationes feliciter obiuisset:
Belgicam factiosorum tumultu an. 1576. penè labantem,
VI-vir sustinuisset:
Flandriæ, Annis XII. præfuisset,
Principp. Sigillum maius ann. X. fideliter custodisset:
Varia de rebus Politicis monimenta calamo exarasset:
Omnibus bonus, omnium bonorum animos in se rapuisset:
ac morti proximus,
Alberto & Isabella Principibus,
si quid supremum optaret,
percunctantibus,
Iustitiam & Misericordiam,
quibus circum stabiliretur Regnum,
solummodò commmendasset;
Aprilis X. An. 1607. in communi omnium,
Artesiæ potissimùm,
luctu,
plenus dierum animam piè & placidè exhalauit.

Artesia, seditiosorum Italorum dirâ illuuie recens afflicta, Lanoij, Rochellæ Comitis operâ, purgatur. *Arx Cameracensis proditione ab Inchio capta.*

Balduinus Gaurensis, Toparcha Inchianus, Cameracum cum Arce, proditione occupat. Vndè Artesiæ, Hannoniæque plurima clades.

Maximilianus 2. Imp. Ratisponæ moritur. Vndè Chronicon, non tamen nostrum, sed id tantùm emendauimus: *Mors Maximiliani Imper. Succedit Rudolphus.*

Loquitur Cæsar:

ArCe RatIspona, dedV Gor In æthera Cæsar:
MI fILI, *Cæsar*, DIVe RVdoLphe, VaLe.

Nempè Rudolphus paterno successit Imperio. Vndè etiam Chronicon:

RVDoLphVs, IMperator AVgVstVs.

CHRISTI AN. 1577. ANNO 1577. Ioannes Austrius Belgij Regimen auspicatur: nec toto imperium tenet anno, ab Ordinibus septimâ Decembris exauctoratus. *GREG. 13. PAPA AN. 6. Ioannes Austrius Belgicæ Præfectus.*

Vndè intempestiuè id chronici à quopiam excogitatum:

BeLgICa paX redIIt, VIrIdI CIngaM Vr aLIVâ,
AVstrIaCVs VIVat, VIVat & AVrIaCVs.

Calendis Octobris, Ferijs SS. Remigio atque Vedasto, tutelaribus Diuis Diœcesis Atrebatiæ, sacris, Matthæus Moullartius, ex Gisleniano in Hannoniâ Abbate, in Atrebatium Pontificem, ante biennium inauguratus, vrbem magnâ Cleri P. Q. A. congratulatione solẽniter ingressus, demandatam sibi Spartam ornare aggreditur. Quo in munere tanto cum splendore partes suas gessit, vt cum labore pietas, vigilantia, prudentia, modestia, continentia, & cæteræ, quas in vero pastore requirit Apostolus, virtutes, in eo de laureâ certare viderentur. Vndè non immeritò tali fuerit Elogio vsus, Insignibus suis adludente:

ARDORE CONSENTANEO.

Obijt Bruxellæ in solennibus Belgicæ Comitijs, anno sæculari 1600. Iacet in Ecclesiæ suę choro, sub augustissimo Mausolæo. In cæteris piè legatis, testamenti tabulis iussit Duacenas ædes proprias in seminarium conuerti, atque studiosis 18. sub Præside fouendis amplè dotari; quod ab hæredibus nequaquam neglectum est. Eum pro funere laudauimus oratione quæ exstat.

Gerardus Americurius, primus Audomarensium Episcopus, idéque in S. Bertini Archimandrita, vitę muneribus defungitur. Vir fuit pietate, prudentia, atque liberalitate commendabilis, studiosorumque singularis amator: ac proindè rectè de eo Ioannes Molanus, libro de Canonicis secundo, cap. 42. ita scribit: *Valdè porrò mihi in Seminario Clericorum erigendo occurrit illustre in Belgio exemplum Gerardi ab* HEMMERICOVRT, *Abbatis Monasterij S. Bertini, quod est intra opidum Sancti Audomari, & eiusdem opidi primi Episcopi, cuius ante paucos annos defuncti memoria in benedictione est. Is enim necdum in Episcopum postulatus, ac proindè vt Abbas, non vt Episcopus, in suâ Ciuitate incepit in honorem septuaginta duorum discipulorum Christi, pro totidem studiosis fundationem erigere ac dotare, ne vnquam aut Ciuitati aut territorio Audomarẽsi boni & veri Pastores ab Abbate plerisq; in locis nominandi deessent. Ad quorum etiam institutionem, & totius vrbis suæ maiorem ornatum, Episcopus factus, Collegium Societatis Iesu, ibidem & erexit & dotauit. Denique vt seminarium illud non tantùm seminarium, sed etiam plantarium esset, in Louaniensi Vniuer-*

sitate domum emit, quam collegium Sancti Bertini dici voluit, etsi vulgò collegium Audomarense dicatur, in quo sub regimine vnius Præsidis, in grauioribus disciplinis formantur, postquàm in studijs inferioribus sufficienter instituti fuerint. Hæc Molanus.

Cæterùm Americurio in Episcopatum successit Ioannes Sixtus, Lilâ oriundus, ibidemque anteà in B. Stephani parœcus, postmodùm Audomarensis Archidiaconus, atque demùm Episcopus. At in sancti Bertini præfecturam Vedastus GRENET, Atrebatensis, successor est renunciatus.

CHRISTI AN. 1578. | GREG. 13. PAPÆ AN. 7.

ANNO 1578. Mense Iunio, Arx Bapalmensis ab Maximiliano DE LONGEVAL, Vauxij Toparchâ, & postmodum primo Busquoij Comite (qui relicto Atrebato, in Regias partes recenter concesserat) tentata, atque Antonij, cui* LEPVS cognomen, Centurionis in Ioannis Austrij castris militantis, Basseulio vico, tertio plus minùs lapide, Atrebato seiuncto, oriundi, industriâ astuque intercepta, Bapalmensium ciuium, atque Atrebatium qui suppetias raptim aduentarant, præstanti virtute recipitur, Regijs quibusdam militibus interfectis, in quibus, isto Centurione; cuius caput Atrebati, ad portam Ronuillanam, conto impositum, menses aliquot, vulgò fuit ludibrium.

* Gal. Le Lieure.

Arx Bapalmēsis capta, recepta.

Lieurij Cēturionis cædes non sat æqua.

Eodem anno & mense Philippus tertius hodiè Hispaniarum Rex, Philippo secundo Regi ex Annâ Austriâ fœliciter nascitur.

Calendis Octobris Ioannes Austrius Belgij Prorex, ætatis anno tricesimo tertio, pestilenti febre extinguitur. Antonius Meyerus Scholarcha opidi Atrebatensis, hoc ei inscripsit Epitaphium:

Moritur Ioannes Austrius

Condita in obscuro tua sint licet ossa sepulcro,
Non tamen hîc virtus, partaque fama latet.
Quis nescit varios te dextrâ æquasse triumphos
Fratris, & inuicti fortia facta Patris?
Africa perdomita, ac pacata Hispania testes;
Testis in Ionijs Turca subactus aquis.
Et nisi primæua cecidisses flore Iuuentæ;
Victa etiam testis Belgica terra foret.

Chronicon incerti Auctoris:

TVrCarVM (heV!) CLades, *ConCIdIt AVstrIaCVs.*

Ioanni in Belgicâ prefecturâ successit Alexander Farnesius,

lexan- er Far- esius elgicæ æfe- tus.

sius, Octauij Parmæ, Placentiæque Ducis, & Margaretæ Austriæ Filius.

Atreba- itragi us Am- rosiano ūmotus enatorū aptiui- as, li- ertas.

Eodem mense Vrbs Atrebatensis, graui sectariorum & factiosorum hominum oppressione concutitur; senatoribus, alijsque vrbis magnatibus, etiam Ordinis sacri, in carcerem turpiter coniectis. Factionis Dux erat quidam Ambrosius, Asperâ Hannoniæ opidulo, obscuris parentibus exortus. Verùm dilectæ vrbis magnus ille Deus, cum dulcissimâ Matre commiseratus, nebulam hanc, cordatorum ciuium operâ, quinto à capto Magistratu die, dissipauit, Opidum libertati asseruit; coniuratorum pars gladio aut resti, pars exilio plexa fuit. De his excellens Heroïcum scripsit Robertus Obrizius Pastor Atrebas. Eius initium, ad Vedastinum Præsulem, cui sacrum est, sic habet:

Audio; flebilibus vis me subtexere threnis,
Fatiloquo versu, & memori vulganda per Orbem
Consilia infanda gentis, sub pectore cæco
Pressa, recocta diu, tandemque efflata per auras.
At subito & placido rerum subuersa Parentis
Auspicio, ne quid forsan ventosa, vel audax
Mortalis leuitas sibi vendicet. Incidit ambas
Dissecti populi in partes stupor: illa prahensam
Seque dolo elusam mæret pudefacta: prahensos
Pars stupet hæc, paruaque manu, nulloque labore, &c.

Arx Be- thuniēsis diruitur.

Arx Bethuniensis, parte quâ vrbem spectat, populari tumultu, intestinisque dissidijs, solo tenus adæquatur.

Germanus 38. Caricampensis Antistes, mortem oppetit. Successit D. Eustathius Bayartius, aliàs DE GANTAV, Gētilitio cognomento, inque hunc vsque annum (1611.) Antistitis muneribus perfungitur. Is in cæteris rebus gestis, Ecclesiæ suæ cāpanile, quod operariorum incuriâ an. 1586. exarsit, spectādâ pyramide restituit, templique tectum lamellis cæruleis, quas vulgò Ardosias vocāt, insigniter operuit.

Pugna Gembla- censis. CHRISTI AN. 1579

Hoc anno Ianuarij 31. commissum est prælium Gemblacense, multorum funere famosum: de quo pluribus Philippus Meyerus in suis Annalibus.

Atreba- tū, alio rumque ū Far- esio re- onciliatio.

GREG. 13 PAPA AN. 8.

ANNO 1579. Mense Sept. Ordines Artesiæ atq; Hannoniæ, itemque Insulenses & Duacenses, in Montis Eligiani Asceterio congregati, in gratiam cum Alexandro Farnesio Belgicæ præfecto redeunt.

Oudar-

Oudardus à Bournonuillâ, fœdus coniugale cum Mariâ Christinâ Egmondanâ vt iniit, primus Henniaci Comes ab Philippo Rege creatur. *Primus Henniaci Comes.*

Thomâ DE PARENTY Abbate Vedastino è viuis sublato, Ioannes Saracenus Atrebas eiusdem Monasterij renunciatur Antistes. Fuit hic acerrimi iudicij, præstantis doctrinæ; & ab ipsâ velut natiuitâ ad summa factus. Accedebat vultus & corporis dignitas, gratia mira in dicendo, in donando Regia liberalitas. Illum Philippus Rex sacratioris Consilij Senatoribus accensuit; & postmodùm Sede Cameracensi, per obitum Illustrissimi D. Ludouici DE BERLAYMONT, vacante, eiusdem loci Archiepiscopum nominauit.

Philippus Rex, Gulielmi Lindani Episcopi Ruremundani operâ, Louanij & Duaci, Pastorum Seminaria excitari & dotari mandat, literis Madrito ad Alexandrum Farnesium mense Octobri datis. *Greg. 13. Papæ An. 9.*

CHRISTI AN. 1580. ANNO 1580. Mense Martio, Balduinus Gaurensis, Inchij Toparcha, Gallicum Ducis Alenconij in Arcem Cameracensem admittit præsidium, Ludouico Berlaymontio Archiepiscopo, indignè opido peculiarique ditione spoliato, & incolis omnibus exterminatis, qui in Alenconij verba iurare recusarent. *Arx Cameracẽsis præsidio Gallico patet. Archiepiscopus, atque optimi ciuium amãdati.*

Sextâ Aprilis, feriâ Paschalis Octauæ quartâ, ingenti terræ motu, non Belgica solùm, verùm integer penè hic Orbis concutitur.

Mense Augusto, Duacenates ad Buchinium opidum, (duram refrico Mnesicaciam) pro suâ, in re militari, prudentiâ, excipiuntur. *Duacẽsiũ ad Buchinium clades.*

Octobris 27. Moritur Anna, Maximiliani Imp. Filia, Regina Hispaniarum, relicto Philippo tertio, Hispan. Rege futuro. *Anna, Hispaniæ Regina obitus.*

Henricus Cardinalis, idemque Lusitaniæ Rex, vitâ defungitur; in cuius Regna cæterasque ditiones successor iuit Rex noster Philippus, huius nominis secundus. *Philippus Princeps in Lusitaniæ Regnum succedit.*

Mense Decembri, Ioannes Monlucius, Balaignij Toparcha, Cameracum cum præsidiarijs inuehitur. Is Ioannis Monlucij, Episcopi Valentiæ, Nothus, ab Inchiani obitu, Cameracensium Tyrannus, atque Atrebatensium & Hannoniorum flagellum euasit. *Philippus Meyerus.*

Aurãgiæ Princeps à Philippo Principe proscribitur.

Gulielmus Aurangij Princeps, vt perduellium dux, ac dissidiorum omnium auctor atque fautor, à Philippo 2. Rege, publico edicto proscribitur, ingenti pecuniæ summâ percussori promissâ.

Obitus Emmanuelis Philiberti, Sabaudię Ducis; in eius ditiones Carolo Filio succedente.

CHRISTI AN. 1581. — GREG. 13. PAPÆ AN. 10.

Dux Alẽconius Cameracũ subit.

ANNO 1581. Augusti 18. Franciscus Valesius Alenconij Dux, Cameracum vnà cum milite & commeatu liberè ingreditur, sibique subijcit. Hinc sub dirissimo Gallorum iugo, florentissimum opidum gemuit per totos annos quatuordecim.

Eius in Artesiã effrenis excursio atque tyrannis.

Hinc in Artesiam perditè vt bacchatur Alenconius, funestissima quæque in sacra & prophana loca coniecit, vt suis locis notabimus; & quidem hoc anno. Dommartinense Monasterium, an. 1120. inchoatum, Hesdino tribus circiter milliaribus ad Alciam Fl. seiunctum, atque anno 1568. ab Francisco Cocqueuillio expilatum, rursùs imitùs euastauit, templum plumbo, quo tectum erat denudauit; chori subsellia, aras, imagines euertit, horrea exhausit & ad catastrophen, quicquid erat ædificij, ignibus absumi imperauit.

Quâ etiam tempestate, non impari insolentiâ deseuijt in Russelli-villense cœnobium, Crecquianorum Herouin nobile monumentum, illo radicitùs pene euerso; & spatioso speciosoque eius templo in fauillas soluto.

Ioannes Sixtus Lilanus, ex Archidiacono Audomarensi, eiusdem loci Episcopus post Americurium primum Pontificem consecratur.

Tornacũ receptũ.

Nouembris tricesimâ, Tornacum Parmensi Duci deditur.

Casus Maximiliani Comitis DE BVSQVOY.

In eius vrbis obsidione, lapide fortuitò percussus cecidit egregius Heros, Maximilianus DE LONGVEVAL, Busquoij Comes, Vauxij Barò, Atrebatensis opidi Præfectus. Is ex Margaretâ Lilanâ, Fresnæ, Gueulesinij, Honcuriæ, &c. Dominâ, charissimâ coniuge, liberos procreauit.

CAROLVM, Busquoij Comitẽ, Martijs tropæis clarissimũ:

IOANNAM, Gisleni DE FIENNES, Frugarum Procomitis, & } Coniuges.
IOLAM, Hermanni Burgundi, Falasij, Toparchæ, }

CAROLI, optimè de Belgicâ promeriti, in gratiam, maternum stemma placet altiùs repetere.

Margaretæ Coniugis genus.

MARGARETA Lilana, Caroli Mater, Hadriano Lilensi, Fresnæ, Gueulesinij, Houcuriæ Toparchâ, & Helenâ Burgundâ, Caroli Bredæ Toparchæ filiâ, Caroli coniuge, parentibus, prodijt in lucem. Obijt autem in Aulâ Principum Belgij, Alberti & Isabellæ, 7. Aug. 1612.

CAROLVS Bredanus, Balduinum, Falasij Dynastam, & Mariam Emanuelidem eius coniugem, habuit parentes.

MARIA Emanuelis, ex Emanuele, Ferdinandi tertij, Castellæ Regis Filio, duxit originem. *Florentius Haræus in suâ Insulanâ descriptione, libri 2. c. 3.*

Moritur 19. Octobris B. Lodouicus Bertrandus, Ordinis Dominicani Religiosus. Eum Paulus V. Pont. Max. 25. Oct. an. 1610. in Beatorum catalogum retulit.

Philippus 2. Hispaniarum Rex, Portugalliæ Regnum, iure sibi debitum occupat; atque missâ classe contra Antonium, Ludouici Portugalliæ Principis Nothum, qui Insulas Azores armato tenebat milite; solenni pompâ Olyssipone, Aprilis 16. coronatur. Vide Iusti Lipsij Monita & Exempla Politica l. 1. c. 5. & lib. 2. c. 3.

Philippus Princeps, Lusitaniæ Rex coronatur.

CHRISTI AN. 1582.

GREG. 13. PAPÆ AN. 11.

ANNO 1582. Mense Martio, Lensiense opidum, Gallorum Cameraco in Artesiam grassatum ab Alenconio missorum, insidijs intercipitur diripiturque, vnà cum Franciscanorum cœnobio iuxtim sito, quod aliquot ante annos, Imperante Carolo quinto, flammis correptum quùm fuisset; iterum eorundem Gallorum feritate, easdem pati est coactum. Hinc eius tota penè supellex, cum omnibus litteris Pontificijs, Reliquijs sacris, cæterisque vetustatis monumentis excidit. At ipsum opidum mox ab Marchione Roubasio, Artesiæ Præfecto, est receptum; Gallis fugam capessentibus; omnia quisin propria cum aliena impedimenta exuuiasque dimittere coactis.

Alenconiani Lensium diripiunt. Roubæsius Marchio recipit, hoste sine vllâ prædâ fugato.

Mense Augusto præcipiti, feriâ 6. Fanum S. Pauli ab ijsdem Gallis, diris ignibus penè totum funestatur; sacris tamen Ædibus, puta Parœciali, & S. Saluatoris Collegiali, cum geminis Franciscanarum Virginum cœnobijs, quod mirum visum est, prorsus intactis.

Fanū S. Pauli etiam ab Alenconianis captū inceditur.

VIdIMVs haC pVerI. TraIeCtVs Corde, StrategVs
Vt fVIt; eXseCra feXI Cedere VIX paVIt.

Mors Albani Ducis.

Decembris 12. Olyssipone moritur Ferdinandus Toletanus, Dux Albanus.

Consuetudines Artesiæ.

Nicolai Gossonis Iurisconsulti Atrebatensis ad Consuetudines Atrebatesias commentatio exit in lucem Antuerpiæ excusa.

Calēdarij emendatio.

Calendarij emendatio, à Gregorio XIII. Pont. Max. peritissimorum Mathematicorum operâ, instituta publicatur, & dies decem è mense Octobri huius anni eximuntur: quo factum vt Æquinoctia & Solstitia, ad eas sedes, quas Concilij Nicæni tempore tenuerunt, iterum sint reuocata; Martij vicesimâ primâ die Æquinoctio verno adiudicatâ, & sic in cæteris ex consequenti.

Christi An. 1583. *Greg. 13. Papa An. 11.*

Alenconius Antuerpiam frustra tentat.

ANNO 1583. Ianuarij 17. Galli sub vexillis Alenconij Ducis in Brabantiam penetrantes, ipsum Caput Antuerpiam exsertis viribus & astu vt imperunt, excellenti Ciuium virtute relecti, cæsis eorum mille quingentis, ex nostris tribus supra octoginta, turpiter vertere terga coguntur. Vnde ad perpetuam memoriam, in portâ, quâ sibi aditum in vrbem hostis aperuerat, scriptum:

DeVs aVXILIVM* sVIt.

**al. AntVerpIæ.*

Et Michael Vander-haghen sic lusit:

Gallica gens nuper scœnalibus edere ludis
Ausa fuit Flandros cordis habere nihil.
Et fit ob id Flandri Chirurgica sectio, nec Cor
Repperit; hinc Flander fabula totus erat.
Commota his Nemesis, quid Galli plauditis? inquit:
Restat adhuc Flandræ fabula agenda suæ.
Parua mora est: sine corde viri, quingenta animosè
Corpora Gallorum, & mille dedere neci.
Europæ Emporium æternùm id testabitur æuo.
I Galle, & Flandros pectora habere nega.

Alenconius Belgicâ emigrat.

Junij 18. Alenconius Belgicâ emigrat, nunquam posteà rediturus: abs cuius discessu, per Farnesium Principem, Belgicæ Præfectum hæc oppida recepta sunt; Dunckerca, Neoportus, Furna, Dixmuda, Hulstum, Axela, Alostum, Rupelmonda, &c.

Vrbes à Farnesio receptæ.

Christi An. 1584. *Greg. 13. Papa An. 13.*

ANNO 1584. Mense Maio Ducis Alenconij Equitatus per Galliam dispersus, ad signa rursum conuocatur; at-

quieè vestigio Cameracum mittitur. Quo ex opido Galli Equites bipartitò excurrentes, Artesiam & Hannoniam infestis populationibus & incendijs vehementer afflixerunt: Et quidem Artesiam, in quâ ab Alenconianis, inter fœda & horrenda, id flagitij patratum accepimus. Est celebre in eâ Ordinis Præmonstratensis cœnobium, ab Gulielmo Sandomaro, Belloramí & Morbecquij Toparchâ, anno 1156. ad Diui Andreæ Apostoli, honorem constructum. Huc allapsi Alenconiani pro suâ libidine atq; amentiâ Ecclesiam, sacrasque Sanctorum Reliquias atque Imagines fœdissimè quùm contaminassent atque dissipassent; ad Scythicam conuersi Barbariem, Ascetas ipsos sæuissimè diuexarunt, & suppliciorum pondere penè obruerunt. Adsit vnus omnium nomine Tragœdiarum testis, Firminus Danelius, qui suspendio susque deque, subiectis etiam flãmis, fortiter tolerato, hinc ad carrucæ posticum ligatus, humique diu raptatus, & solutis iam artubus semianimis, tandem quorumdam pietate septingentis nummis numeratis, vix euasit. *Gallorũ in Artesiam irruptio & grassatio iterata.*

Iunij 10. Alenconius ampliùs sæuire, morte cohibente, desinit. Quo autem morbi genere varia est opinio: quidam toxico, alij ex vagâ libidine contracto corporis vitio: alij denique ex merâ animi ægritudine emarcuisse contẽdunt. *Mors Alẽconij*

Iulij 10. Gulielmus DE NASSAV, Aurangiæ Princeps, Delphis, violentâ morte, per Balthazarem Gerardum Burgundum illatâ, actorum suorum Deum audit Iudicem, vereor Vindicem. *Cædes Principis Aurãgij.*

AVrIaCVs deCIMâ sCLopo traIeCtVs IVLII
DeLphIs obIt BataVIæ.

Mense Octobri, inchoandæ Antuerpiensis Emporij obsidionis ergò, portentosum illum pontem Scaldi Fl. insternendum Farnesius Belgicæ Prorex auspicatur. Chronico præfamur: *Farnesius ad Antuerpianam obsidionem suspendum pontem præparat.*

Ad imitationẽ Martialis

Perpes pro CVnCtIs faMa LoqVetVr aqVIs,
FarnesIVs hIC qVod ConCIpIt.

Opida hoc anno ab Farnesio recepta numerantur, Ipra, Bruga, Teneramonda, & Gandauum. *Opida a Farnesio hoc anno recepta.*

Philippus Austrius, eius nominis tertius, Hispaniarum Rex futurus, anno ætatis septimo, in Hieronymianum juxta Madritum, cœnobium ab Philippo parente deductus, *Philippus 3. Hispaniæ Princeps inauguratur.*

ctus, solenni ritu in Hispaniæ Principem inauguratur.

Pridie Cal. Nouemb. Robertus Obrizius Atrebati in B. Magdalenes primùm Parœcus, indè Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, vitæ nuntium mittit, atque in S. Nicasij cœmiterio, iuxta quod domicilium, mortis tremendum diem sedulò perpensurus, fixerat, honestâ conditur sepulturâ: addito Epitaphio, quod raras eius dotes verè explicat:

Conditur hoc tumulo, Christi qui texit ouile,
Obrisius, rarâ vir pietate cluens.
Hunc ætas, status, & sexus gemit omnis ademptum;
Nam cunctis studio profuit ille pari.
Virtutem, ingenium, mores, zelumque, fidemque
Nomine vis uno dicier? OBRISIVS.

Gloriosus Caroli Borromæi obitus. CHRISTI AN. 1585. *Inchius Cameracensium Tyrannus dirâ morte extinguitur. Balaignius eius in locum succedit. Pōs Antuerpianus absolutus. Antuerpiā, alia que oppida hoc anno ab Farnesio capta. Catharinæ Austriæ cū Duce Sabaudo Nuptiæ.* SIXTI V. PAPÆ AN. I.

B. Carolus Borromæus, Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, sanctimoniæ speculum, ex mortali ad æternam vitam transit, ætatis anno 48. Illum Paulus V. Pont. Max. miraculis gloriosum, in Catalogum Sanctorum nuper retulit. O quantum instar hinc Senatui Purpurato!

ANNO 1585. Mense Ianuario, Balduino Gaurensi, Inchij Toparchâ, Cameracenæ vrbis & ditionis Tyranno, violentâ morte extincto, atque in eius locum Ioanne Monlucio, Gallo, Balaignij Dynastâ surrogato, mitiùs cum Artesianis agi cœptum est, pactis cum Cameracenatibus, Balaignij adsensu, inducijs: quæ, quādiu Balaignius sese, vt conuentum erat, cōtinuit, solidæ apud Atreb. constiterūt.

Februarij 25. Pons Farnesianus ad Scaldim Antuerpianum absoluitur; de cuius præstantiâ, vel ad stuporem, Philippi Meyeri consulantur Annales, atque Guicciardinæ Belgicæ Auctarium, an. 1609. excusum.

Martij 10. Bruxella: mense Iulio Mechlinia: August. 17. Antuerpia, Farnesio, Parmæ duci deduntur.

De Antuerpiâ vero Principi redditâ extat eiusmodi Chronicon:

VIrgō LegIt spICas, AntVVerpIa CoLLa potentIs
PrInCIpIs HIspanI sVbIICIt IMperIo.

Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux, nuptias cum Catharinâ Philippiâ Hisp. Regis filiâ celebrat. Hoc ex coniugio prodierūt, Philippus Emmanuel, Victor Amadeus, Philibertus, Mauritius, Thomas, Margareta, Maria, Isabella & Catharina.

Septemb.

Septemb. 18. Ioannes Molanus Louaniensis S. T. Doctor, vir incomparabilis, Cæsari Baronio Cardinali summo in honore habitus (vide suprà ad an. 1571.) & cuius lucubrationibus multoties, toto hoc opere, vsi sumus, morti concedit. Louanij in S. Petri primario templo corpus quiescit, apposito tali Elogio: Ioannes Molanus moritur

Conditus hîc iacet D. Ioannes Molanus, Louaniensis, S. Theologiæ Professor, Apostolicus & Regius librorum censor, Ecclesiæque huius Canonicus, qui editis libris clarus, & condito insigni testamento, quo pauperibus studiosis, ad curam Pastoralem seriò se præparantibus, annuos trecentos florenos legauit. Obijt hîc Louanij magno sui relicto desiderio, An. 1585. Septemb. 18. cuius Anima requiescat in pace. Amen.

CHRISTI AN. 1586. ANNO 1586. Septembris 21. Antonius Perenottus Cardinalis atque Archiepiscopus, quondam Atrebatium Antistes, Mantuæ Carpetanorum in Hispanijs vitâ est defunctus: quo etiam die, anno 1558. Carolo V. Cæsari, diem claudere supremum contigerat. Carolus Metellus hoc ei dedit Epitaphium: SIXTI 5. PAPÆ AN. 2.

Hospes *Aulicus.*

H. Quis cubat hîc modicâ magnus tellure sepultus?
A. Grandia cui celsos vela dabant titulos.
H. Cur pelagus vitæ sulcans, DVRATE SECVNDIS,
Inquit? A. Ne quondam nomina parta cadant.
Clara illa Imperio Caroli, Regnoque Philippi,
Quorum consilijs præfuit, arte potens.
H. Ergo manu clauum stringens, nauimque gubernans
Durauit fatis? A. Insuperabilibus.
H. Atnè diu? A. decies septenos vixit in annos,
Sequanicique fuit gloria prima soli.
H. Quo capitur portu? A. cunctis cui meta laborum,
Seu pueri, iuuenes, bis pueriuè senes.
H. Suffice, Rex, talem, dubijs qui duret in vndis,
Quas fera, Rex, sacris gens ciet, atque tibi.

Moritur itidem Ioannes Sixtus Audomarensium Episcopus, dum montes Hannoniæ, ad Prouincialem Synodum iter habet, acri febre correptus. Eum pro funere laudauit Franciscus Lucas, S.T.Lic. eius Ecclesiæ Canonicus & Decanus.

Succeßit Ioannes Vernesius S.T.D. patriâ Burgundus,

Ordine Dominicanus, Bruxellæ vbi Aulicum Ecclesiastem agebat, anno demum 1591. Pontifex ordinatus.

Alexander Farnesius, Belgicæ Prorex, Patres Capucinos primus in Belgicam conuocat: egregio sanè zelo, dum pluribus in locis, perduellium conatibus, Fidem Catholicam periclitari sanis oculis conspicit.

Moritur Octauius Farnesius, Parmæ, & Placentiæ Dux: Alexandro Filio, Belgicæ Prorege, relicto successore.

Christi An. 1587. Dira Anglicana. — Sixti 5. Papæ An. 3.

Anno 1587. Februarij 18. Maria, Scotiæ Regina, post longos carceris squalores & tædia, Elizabethæ Anglicanæ Sathanico imperio, securi percutitur.

Reliquit ex Henrico marito Iacobum Filium, Scotiæ & Angliæ hodiè Regem; sed in Christi famulos vt ferocem! Equidem annus, quo* hæc scribo, me rapit vt eius saluti voueam:

*1611.

Cor eIVs, ô MagnE DeVs! tange.

Inaudita dominatur annonæ caritas.

Christi An. 1588. Ducis Guisiæ cædes. — Sixti 5. Papæ An. 4.

Anno 1588. Decemb. 23. Blosijs, Henricus Lotharingus Guisiæ Dux, Henrici 3. Galliæ Regis summâ perfidiâ, ab satellitibus, ipso spectante Rege crudeliter confoditur. Tùm illi datum hoc chronographicum.

GVIsIVs à GaLLI ConfossVs MILIte, In atros
ConuersVs CIneres, Corpore VastVs obIt.

Iis peractis licebat exclamare.

HeM DIVe Heros PVrpVrate! sVb hastIs, VIs
InIqVa tIbI, LatItat.

Ludouici Cardinalis, fratris etiã cædes.

Etenim postridie idem Rex Ludouicum Cardinalem, Archiepiscopum Rhemensem, Guisiani Ducis Fratrem, cruentis Stipatorum spiculis, præcepit etiam trucidari.

Thomas Iacquartius Mareolanus Abbas renuntiatur, Ioanne Brassardo defuncto.

Christi An. 1589. Hẽrici 3 Gall. Regis, etiã ex talione, cędes. — Sixti 5 Papæ An. 5.

Anno 1589. Calendis Augusti, Henricus tertius Gallorum Rex, talione plectitur; ab Iacobo Clemente, Monacho Dominicano, cultello sub vmbilicum percussus. Vt memineris, Lector: subiungo:

GestIt Vt HenrICVs MaCtarI sangVIne GVIsI:
CæLItVs ILLatâ Cæde pVdenter obIt.

Hadrianus DV QVESNOY, Rippetio extincto, Eligiani Cœnobij pedum assumit, hodiéque fœliciter tenet, in honore & amore suorum.

Moritur (heu!) ingenti Orbis Christiani damno, Orbis Architypographus. Eius subijcimus Elogium:

Christophori Plantini Epitaph. ab Iusto Lipsio scriptũ.

D. O. M. SACR.

CHRISTOPHORO PLANTINO TVRONENSI,

CIVI ET INCOLÆ ANTVERPIANO,

ARCHYTYPOGRAPHO REGIO,

PIETATE, PRVDENTIA, ACRIMONIA INGENI MAGNO,

CONSTANTIA AC LABORE MAXIMO:

CVIVS INDVSTRIA ATQVE OPERA, INFINITA OPERA,

VETERA, NOVA,

MAGNO ET HVIVS ET FVTVRI SECVLI BONO,

IN LVCEM PRODIERVNT:

IOANNA RIVIERA CONIVX ET LIBERI HÆREDESQVE,

ILLA OPTIMO VIRO, HI PARENTI,

MOESTI POSVERVNT.

TV QVI TRANSIS, ET HÆC LEGIS, BONIS MANIBVS

BENE PRECARE.

VIXIT ANN. LXXV. DESIIT HIC VIVERE

KALEND. QVINCTILIBVS.

ANNO CHRISTI CIↃ. IↃ. XXCIX.

CHRISTI AN. 1590. ANNO 1590. Mense Aprili Lutetia ab Henrico Borbonio Nauarræ Rege obsessa, atque graui fame oppressa, Farnesij Parmæ Ducis auspicijs liberatur.

VRBA. 7. PAPÆ AN. 1. GREG. 14. PAPÆ AN. 1.

Farnesius Lutetiam obsidione liberat.

Philippus DE LANNOY, VVatenensis Præpositurę, Virgini Matri Sacræ Decanus, sanctæ Mariæ in Nemore iuxta Russelli-Villam, vbi votum Religionis emiserat, Abbas consecratur. Is Monasterij sui ruinas, quas ingentes per nupera bella pertulerat, nullo non sumptu assiduè reparat, atque Ascetarum sacrum cœtum, respirante à bellorum vastitate, rerum fortunâ, reddit auctiorem.

Christi An. 1591. | Greg. 14. Papæ An. 2.

ANNO 1591. Ioannes Vernesius Dominicanus, in Audomarensium Pontificem consecratur.

Vernesio ibi sedente, quædam Moniales, beatæ Claræ institutum sequentes, Brugis relictis, Audomaropolim cõmigrarunt; quibus Vernesius, empto abs vrbis sagittarijs fundo, ædes earum capaces suis sumptibus exædificauit.

Atrebati, Ædes RR. PP. Capucinorum ab Ioanne Saraceno Vedastino Abbate, Monachorum accedente consensu, ex eius Monasterij bonis, commodissimo loco construitur. Eius Ecclesia ab Matthæo Moullartio Episcopo, anno 1595. fuit consecrata. Ad futuram fundationis memoriam, in dictæ Ecclesiæ dextero pariete, marmori sic legitur impressum:

DEO OPT. MAX.

DIVISQVE OMNIBVS SACRVM.

Pietatis & monastices promouendæ, bonique publici studio, Religiosi viri, Amplis. & Reuerend. Dominus D. Ioannes Saracenus D. Vedasti Atreb. Abbas digniss. S. C. R. Maiestati, à Rerum status Consilijs, &c. Priorq. & Conuentus Vedastinus, locum hunc, templum, ac Monasterium hâc formâ comparatum & ædificatum, Patribus Ordinis S. Francisci Capucinis vtendum attribuerunt, dominio ac proprietate, quorum capaces haud sint eidem Patres Capucini, sibi monasterioque reseruatis. In cuius rei testimonium & confirmationem, duo è dictis Patribus, adibunt quotannis ipso die, D. Ægidij, Kalendis Septembris, sub horam constitutam, idem Monasterium Vedastinum, qui Domino Abbati & successoribus, & in absentiâ Priori, aut Præposito, vel Supprióri agant gratias de concesso hactenus vsu huiusce loci, similemque vsum nomine Confratrum petant in annum subsequentem, iuxta tabulas confectas anno Domini 1593. cùm primùm loci vsus fratribus inquilinis concederetur. Sic ibi.

Blangiacensibus Præsulibus Mitræ aliorumque vsus permissus.

Petrus Lœurinus, Monasterij S. Berthæ Blangiacensis Antistes, ab Gregorio 14. Pont. Max. mitrâ & alijs Pontificalibus vtendi facultatem impetrat. Pontificis diploma hîc appendam:

DILECTO FILIO PETRO LOEVRIN ABBATI MONASTERII DE BLANGIACO, ORDINIS S. BENEDICTI, BONONIENSIS DIOECESIS, GREGORIVS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cùm sicut exponi nuper fecisti, hoc tuum Monasterium de Blangiaco, quod in-

signe

ſigne admodum & vetuſtum, ac à Sanctâ Berthâ, Filiâ Rigoberti Comitis Palatini, in honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac eius Genitricis beatiſsimæ, ſemperque Virginis Mariæ fundatum eſt in confinibus Galliæ, ac in terris, dominioque chariſsimi in Chriſto filij noſtri Philippi, Hiſpaniarũ Regis Catholici ſubiectis, ſitum exiſtat, ac illius vaſſalli, qui ferè ſemper, at præcipuè hoc calamitoſo tempore bellis infeſtantur, non ſine magnis eorum incommodis, vitæ rerumque ſuarum periculis, Venerabilem Fratrem Epiſcopum Bolonienſem, loci Ordinarium, qui in Galliâ, ſeu Ciuitate Bolonienſi habitat, pro primâ tonſurâ, minoribus Ordinibus, ac benedictione Calicum ac ornamentorum Eccleſiaſticorum ſuſcipiendis adire poſsint, ipſumque Monaſterium, pro tuendâ Abbatis mitrati dignitate, ſatis amplos reditus annuos, cum decenti Eccleſia ac locorum Regularium ſtructurâ ac competenti Religioſorum numero habeat. Nos præmiſsis incommodis de oportuno remedio occurrere cupientes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi ac ſucceſſoribus tuis ipſius Monaſterij Abbatibus, pro tempore exiſtentibus, Mitrâ, Annulo, ac Baculo Paſtorali, ac alijs Pontificalibus inſignijs vti, nec non in eodem Monaſterio, ac quibuſcunque parœcialibus & alijs Eccleſiaſticis eidem Monaſterio ſubiectis, ſeu ab eo dependentibus, in quibus tu & ſucceſſores tui prædicti in Pontificalibus pro tempore celebratis, benedictionem ſolennem, poſt miſſarum, veſperarum, matutinorum & aliorum diuinorum officiorum ſolennia, ſupra populum inibi tunc intereſſentem, dummodo aliquis Antiſtes, ſeu ſedis Apoſtolicæ Legatus præſens non fuerit, ſeu ſi præſens fuerit, ad id illius expreſſus accedat aſſenſus, elargiri: Nec non vaſſallos prædictos, ac monachos ſeruitores ac nouitios eiuſdem Monaſterij, ad id idoneos repertos tãtùm, & non alios, clericali carachtere inſignire, & ad quatuor minores, Ordines promouere: Præterea Imagines, Cruces, Patenas, Calices, Ornamenta Eccleſiaſtica & Sacerdotalia, Campanas, Veſtes, Vaſa, Tabernacula, ad diuinum cultum dedicata, Monaſterij illiusque mẽbrorum præfatorum benedicere; nec non dicti Monaſterij, ac parochiales, ac quaſcunque alias Eccleſias, eidem Monaſterio ſubiectas, vel ab eo depẽdentes, illarumque cœmiteria, & alia loca Eccleſiaſtica, ſanguinis vel ſeminis effuſione, aut aliàs quodãmodò pollutas, & polluta (aquâ tamẽ priùs, per aliquem Antiſtitem Catholicum, gratiã & communionẽ dictæ ſedis habẽtem, vt moris eſt, benedictâ) recõciliare perpetuò, liberè, & licitè poſſis & valeas ac poſsint & valeãt, Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentiũ, de ſpeciali dono gratiæ, licentiam & facultatem concedimus pariter & indulgemus, non ob-

ſtante conſtitutione Fel. Record. Alexandri Papæ 4. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit (Abbates) *& vniuerſalibus ac Synodalibus Concilijs editis, alijſque Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus &c. Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Sept. 1591.* Hæc ibi.

CHRISTI AN. 1592. *Atrebati Farneſij, Parmæ Ducis, obitus.* — CLEM. 8. PAPÆ AN. 1.

ANNO 1592. Nouemb. 3. Alexander Farneſius, Parmæ atque Placentiæ Dux, ſupremuſque Belgicæ Præfectus, Atrebati, in ſancti Vedaſti Monaſterio è viuis tollitur. Eius viſcera Saracenus Antiſtes in templi ſui Odeio recondidit ſub marmoreo tegumento, cum huiuſmodi Epitaphio:

Alexandro Farneſio, Oct. F.
Caroli V. Aug. ex Filiâ Nepoti;
Parmæ & Placentiæ Duci;
Belgij Præfecto Reg.
Hæreticorum, Schiſmaticorum, Perduellium,
Victori:
Oppreſſorum liberatori:
Mag. vrbium ſine ſanguine Dominatori:
Pariſiorum Neuſtriorumque
Vindici:
Pacis, Bellique artibus
Illuſtriſſimo Principi:
R. D. D. Ioannes Saracenus
Abbas Vedaſtinus,
Domi ſuæ vitâ defuncto:
L. M. mæſtus poſuit,
Anno 1593.
Cùm obijſſet tertio Nonas Decembris,
Anni præcedentis, 1592.

Philippus Meyerus etiam id elogij carmine cōplexus eſt:

Viſcera Farneſij latitant hoc condita ſaxo,
Trans Alpes reliquum Parma Cadauer habet.
Tres per Olympiadas Magno ſub Rege Philippo
Imperio Belgas rexit & arma tulit.
Temporis intereà domitas quot cœperit vrbes,
Hiſtoriam texat qui numerare velit.
Rigiaci perijt vixdum candente capillo;
Mente quid efferimur? nil niſi bulla ſumus.
Di faxint ſuperis requie potiatur in oris,
Acta cui rarò vita quieta fuit.

Porrò

Porrò Farnesij Ducis corpus in Italiam delatum Parmæ apud Patres Capucinos sepultum est, tumuloque hoc Epitaphium adscriptum:

Alexander Farnesius, Belgis deuictis, Francis obsidione leuatis, vt humili hoc loco eius cadauer reponeretur, mandauit, 3. non Decemb. 1592. & vt secum ossa Mariæ coniugis optimæ iungerentur, annuit, illius testamentum secutus.

Hinc Senatus Romani decreto eidem statua ænea in Capitolio erecta est; cui equestri statuæ additum hoc elogium:

Quòd Alexander Farnesius
Parmæ & Placentiæ Dux III.
Magno in Imperio res pro Repub. Christianâ
præclarè gesserit,
Mortemque obierit,
Romanique nominis gloriam auxerit:
S. P. Q. R.
Honoris ergò,
Maiorum morem sæculis multis intermissum, reuocandum censuit,
statuamque Ciui Optimo,
In Capitolio,
Virtutis, suæque in illum voluntatis testimonium,
Ex S. C. P.

Mansfeldius Rebus Belgij ad tēpus admotus. Elizabetha Austriæ gloriosus obitus.

In Farnesium Gulielmus Aurangiæ Princeps Apologiam scripsit; quam in Apocryphorum ordinem relatam, ex Catalogo librorum prohibitorum agnosce; litterâ V.

Ceterum Alexandro defuncto, Petrus Ernestus, Mansfeldij Comes, res Belgicas administrauit, donec Ernestus Archidux, Rudolphi Imp. frater, cum imperio ijsdem præficiendus aduentaret.

Viennæ moritur Elizabetha Austria, Maximiliani Imp. F. Caroli IX. Gall. Regis, vidua; mulier vitæ sanctimoniâ, ratisque virtutibus præstans.

CLEM. 8. PAPÆ AN. 2.

CHRISTI AN. 1593

Hispanorum secessio atque Fani S. Pauli occupatio.

ANNO 1593. Hispani, numero mille ducenti, ob negatam aut protractam stipendiorum solutionem, ab castris Mansfeldij secessionem arroganter faciunt, & S. Pauli oppidum, primo impetu acceptum, totos menses tredecim impotenter tenent, magnis cum iniurijs atque dispendijs incolarum atque accolarum. Etenim potiorem ciuium meorum partem suis ædibus exegisse, inutilem supellectilem

imperasse, ligna crassiora plenis carris, ad largos iugesque struendos rogos, aduehi coegisse, opidi ædes passim lacerasse aut euertisse, quùm ijs non sat fuisset; etiam ius dicũdum silere, atque Pernam Sampolani Comitatus opidulum, si loqui vellet, migrare compulerunt.

Interim militares quasque insolentias admittere; in agros pabulatum excurrere, agricolas vexare, & (quod solenne ijs admodùm erat) plena scortorum, vel ad parem ijs numerum, plaustra conducere, perpluereque.

Mors Orlandi Lassi Musici.

Orlandus Lassus, Montibus Hannoniæ natus, Musicorum nostri sæculi Coriphæus atque Princeps, Monachij in Bauariâ, anno ætatis 73. vitâ defungitur.

CHRISTI AN. 1594. *Ernestus Austrius Belgij Præfectus.* — CLEM. 8. PAPA AN. 3.

ANNO 1594. Ianuarij 30. Ernestus Archidux Austriæ, Belgicarum Prouinciarum à Philippo 2. Rege designatus, Bruxellæ magnâ pompâ excipitur.

Galli Audomaropolim frustra tentant.

Nouembris 24. Galli Audomaropolim petartijs suis sub noctis silentio impetunt, atque inuadere satagunt. Verùm abs Ciuibus ad arma concurrentibus fortiter reiecti, retrocedere compulsi sunt.

Thomas Iacquartius Mareolani; & Balduinus DE GLEN, Henniacensis cœnobiorum Abbates, vitæ nuntium mittunt. Iacet Balduinus in templi sui Sacello, memoriæ Martyrum sacro, sub marmore, cui incisum hoc Epitaphium:

Glendius Artesiæ iacet hîc pars magna senatus,
Relligionis honos, Henniniique Pater.
Passus erat ter quingentos & quatuor annos,
Lustra decem, Mortis Christus & octo suæ;
Bis denâ supra annum auctam trieteride vitam
Hîc metit; æternam quam super astra tenet.

Balduino, Petrus Boisrondus; Thomæ, Bonauentura Faber, hodiè superstes, suffecti fuere.

CHRISTI AN. 1595. *Ernesti Austrij mors præceps.* — CLEM. 8. PAPA AN. 4.

ANNO 1595. Februarij 20. Ernestus Austriæ Archidux, atque Belgicæ Prorex, Bruxellæ moritur, anno ætatis quadragesimo, præcipiti equidem admodùm fato: vndè Laconicum id Chronographicum:

VenIt, reXIt, obIt DVX AVstrIVs, IngeMe BeLga.

Ernesto Austrio fratri Albertus, hodiè Belgarum Princeps, id monimenti in laminâ posuit:

ME-

MEMORIÆ SERENISSIMI PRINCIPIS ERNESTI, *Archiducis Austriæ, Maximiliani 2. Imp. F. ex Mariâ, Caroli V. Imp. F. Ferdinandi 1. Nep. Max. 1. Abn. Rudolphi 2. fratris, qui cum Regnum Hungariæ & finitima loca per Annos* XVII. *fortiter feliciterque administrasset, ad Belgij Gubernacula, à Philippo 2. Rege Auunculo vocatus; easdem Prouincias, etsi breui* XIII. *Mensium spatio, cum æternâ suâ laude & gratiâ rexit in Auitâ Religione, in pace, in imperio reducendo intentus, in ijsque curis mortuus, An.* CIƆ. IƆ. XCV. X. *Kal. Mart. cum vixisset Ann.* XLI. M. VIII. D. V. — *Epitaphium.*

Posuit Albertus, Archidux Austriæ, Belgij Princeps, singulari in fratrem affectu, eiusque corpus ex aduerso, in tumulo Ducum Brabantiæ reliquit, monumentum * *hîc voluit exstare.* — * sc. in têplo S. Gudulæ. An. 1595.

Ernesti regimen ad aliquot menses sustinuit Petrus Henriquius, Comes Fontanus, egregius * Casteletani, * Durlanensis, atque * Cameracensis opidorum Arciumque expugnator, statim vt id regimen ei commissum est. De interceptâ * Cameracensi Arce exstat hoc chronicon: — *Comes Fôtanus ad têpus successor dictus.* — * 25. Iunij. * 11. Iulij. * 2. Octo. * 9. Octo. — *Opida ab illo fortissimè recepta.*

ArX CaMeraCensIs *FVnesto sVbdIta gaVdet,*
OCtobrIs *nonâ* LVCe *eXCedente tIranno.*

Anna Corcolia, Ioannis Richardoti, sacratioris Principum Belgicæ Consilij Præsidis coniux, ferè quinquagenaria, moritur, Octob. 5. atque Bruxellæ in B. Gudulæ sepelitur. Maritus vxori Epitaphium hoc posuit.

D. O. M.

ANNÆ CORCOLIÆ *de Baillencourt, fœminæ lectiss. ac pientiss. moribus ac vita integritate claræ, quæ dum anxiam chari Mariti curam gerit, ad castra obsidionis Cameraci profecta, ibique morbo correpta, annum ætatis agens* XLIX, *è viuis excessit.* IOANNES RICHARDOTVS, *Philippo Regi à Rerum status, & secretis Consilijs, & Artesiæ Præses, Dulciss. Coniugi, Coniux mœstiss. Pos. Obijt V. Octob. An. 1595.*

Valentinus Per-Deum *, Lamotij Toparcha, Regi Catholico in Belgicis, Armamentarij Tribunus, in Durlendanâ obsidione, dum loci genium ac statum dispicit, glande in oculum (cassidis bucculâ forte elatâ) ab hostibus emissâ traiectus, militiâ & vitâ emancipatur. Is in Sancti Audomari Fano, Franciscanis virginibus, quibus anteà ædes in suburbio erant, perhonestum domi- — * Gal. de Pardieu. — *Lamotij Dynastæ interitus.*

domicilium viuus excitauit. In Academiâ Duacenâ, amplissimum Seminarium, in quo omnigenæ litteraturæ studiosi in æuum, sub Præside Theologo fouerentur, supremâ voluntate iussit apparari, aliaque id genus æterna sui monumenta reliquit.

Bethuniæ, Cœnobium Patribus Capucinis (Antonij DE NOEVE, in S. Pauli opido quondam Prætoris seu Maioris munificentiâ) adparatur. Iisdem Patribus IV. post annos, sc. 1600. in Ariensi opido, piâ munificentiâ Gentis Morbecanæ, tantundem concessum.

Christ An. 1596. *Clem. 8. Papa An. 5.* *Albertus Austrius Belgij Præfectus.*

ANNO 1596. Februarij XI. Albertus Austriæ Archidux, atque Cardinalis, Belgicæ moderamen auspicaturus, Bruxellam magnificâ sub pompâ, ingreditur, Philippo Aurangiæ Principe illum ab Hispanijs in has ditiones comitante. Chronicon:

*V*ndeno *febrV*o *dVM* *so*l. *Con*CLV*deret ort*V*s*,
*Br*VX*e*LL*a* *A*L*bert*V*s* *Reg*l*a te*C*ta tenet.*

Opida fortissimè ab illo expugnata.

Caletum, Ardea, & Hulstum, fortissima opida, singillatim ab Alberto, multo cum hostium sanguine, expugnata. De tribus ijs locis sic quidam:

De Caleto.

VI*rt*V*te* *A*V*str*I*a*CI LV*get prostrata* C*a*L*etes*,
L*a*V*s* *s*V*per*I*s*, *Reg*I L*a*V*rea*, *Pa*LM*a* *D*VCI.

De Ardeâ.

*A*V*sp*ICII*s* *D*VCI*s* *A*V*str*I*a*CI, *do*MI*ta Ardea* *s*V*pp*L*e*X,
*Trad*I*d*I*t* *Hesper*I*o* C*o*LL*a terenda* IV*go.*

De Hulsto.

*A*L*bert*V*s* *s*V*perat*, CV*stod*I*t*. *B*IC*h*IV*s* *H*VL*st*VM,
*F*L*andr*I*a* *se*CV*r*I*s* *o*CI*a reb*V*s agat.*

VVarembonius Artesiæ Præfectus ab Gallis capitur.

Quintâ Septembris, Marchio VVarembonius, Artesiæ Præfectus, ab Gallis Bironio Duce, cæsis fusisque copijs, non procul S. Pauli Fano (quod direptioni hostium statim patuit) signa generosè vt miscet, capitur, atque Lutetiam abducitur.

Dux Arschotanus illi surrogatus.

VVarembonio captiuo, Carolus Croyus Dux Arschotanus, rebus Atrebatium præfectus, mediocres tum Equitum tum peditum copias collegit, atque Atrebatum appellens, sub ipsam vrbem aliquanto tempore subsedit. Incredibile quantum id temporis calamitatum, abs Gallis illatarum, Artesia sustinuerit. Pagi, Vici, agri, templa, tur-

res,

res, arces, euastata & incensa; pecora abacta, agricultura deserta; vbique cædes, pestis, fames, & Ilias malorum. *Artesiæ Ilias Malorū*

Ludouicus Berlaymontius, Cameracensis Archiepiscopus, è viuis tollitur, succedente Ioanne Saraceno, Vedastini cœnobij apud Atrebates Antistite.

Præiectense Bethuniensis opidi suburbium (velut & Gothorinense alterum an. 1573.) firmis operibus contra hostem munitur. *Bethuniensis opidi suburbia munita.*

CHRISTI AN. 1597. ANNO 1597. Martij XI. Ambianum Picardiæ Metropolis, stratagemate militari à nostris intercipitur: quod post grauem quinque mensium obsidionem Henricus IV. Galliæ Rex Septembris 25. demùm recepit. *CLEM. 8. PAPÆ AN. 6* *Ambianum dolo à nostris capitur.*

Martij 27. Ambiano recens à nostris occupato, Galli, talionis auidissimi, opidum Atrebatense, veteremq; Ciuitatē nocturno tuborum seu Petartiorum duabus portis applicitorum impetu, aperire satagunt. Aderat ipse Henricus IV. Rex, victoriam spe deuorans. Verùm præstanti Illustrissimi Herois Caroli DE LONGVEVAL, Busquoij Comitis & Ciuium virtute (vt ad Sandomarum contigerat) viribus animoque fracti, in fines suos inglorij pedem referunt. *Atrebatum à Gallis frustra tētatum.*

18. Oct. Antonius Meyerus, Atrebati moritur, atque in S. Nicasij cœmiterio, telluri mandatur. Eius sepulcrum splendidè ornauit Philippus F. adiecto tali Elogio:

Patri suo M. Antonio Meyero, Fletrano, Gymnasij Tenensis triennio, Cameracensis septennio, & Atrebatensis, totis triginta septem annis Moderatori, Historico ac Poëta, libris variè editis, & Discipulis toto Belgio dispersis celebri, &c. Hoc monumentum posuit Philippus Meyerus, cum Antonio Filio Atreb. superstit. an. 1607. Vt pijs Manibus benè sit, magnum Numen precare, tuæ sortis memor.

CHRISTI AN. 1598. ANNO 1598. Martij tertiâ, Bruxellæ exspirauit Ioannes Saracenus, Cameracensis Ecclesiæ Archiepiscopus, atque Vedastini Monasterij Antistes, vir litterarum amātissimus, atque de ijs optimè meritus. Iacet in templi sui Choro, iuxta Theodorici Gall. Regis Mausolæum. In Archiepiscopatum illi successit Gulielmus Grimbergius, anteà Antuerpiensis Episcopus, Ioanne Miræo Institutore olim meo peroptimo (cuius memoria hodiè in benedictione est) in Grimbergij sedem priorem, vel coactè, surrogato: *CLEM. 8. PAPÆ AN. 7.*

In Vedastinam verò Præfecturam, Philippus Cauerel-

lius, Genere Nobilis, Patriâ Paulinas, Vir omni laude maior, atque Vedastini Chronici, multoties iam antè à nobis producti, fidissimus Auctor; omnium ferè Ascetarum calculis atque suffragijs, successor est renuntiatus: hodiéque felicissimè principatur.

Pax Veruiniana inter Hisp. & Gall. Reges.

Inter Philippum 2. Hispaniarum, & Henricum 4. Galliarum Reges, postridiè Calendas Maij, Pax, Veruinij in Veromanduis sancitur, Iunijque septimâ Atrebati, solenni admodùm pompâ proclamatur: Manè Supplicatio, & cætera sacrorum; post meridiem compitalitia omnis generis Festa, & lusorij atque iaculatorij ignes vesperâ appetente, in alterum noctis vsque meridiem.

Isabella Princeps nostra, Belgij hæres inscripta.

Pridiè Nonas Maij, Philippus Secundus Hispani Rex, Filiæ suæ Isabellæ, Claræ, Eugeniæ, Belgicas & Burgundicas Prouincias cedit ac donat, Philippo 3. Filio adsentiente.

Philippi 2. Hisp. Regis obitus.

Idibus Septembris, quintâ matutinâ, Rex Philippus, Hispan. & Indiarum Rex Potentissimus, in Scoriaco S. Laurentij Cœnobio, placidè in Domino obdormit, exhibitis priùs summæ pietatis argumentis. Et certè à tua morte,

OrtVs & OCCasVs, Boreas & CarVLVs AVster,
PLanXerVnt CIneres, Magne PhILIppe, tVos.

In Regna successor.

Philippo 2. in Regna successit Philippus Tertius, eius ex Annâ Austriâ Filius.

Eadem tempestate, iuxta Traiectum ad Mosam H. quinque sorores ijsdem Parentibus, eodemque partu & die prognatæ: nuptui elocatæ sunt, eadem etiam die, concurrentibus, vel ab quinquaginta passuum millibus ad prodigij spectaculum, agminatim hominibus. *Ex fidâ Relat. N. V. Francisci* DE HAYNIN, *Amblincuriæ Toparchæ.* *Vide suprà ad an. 1276.*





ISABELLA BELGICÆ PRINCEPS, XVII. ARTESIÆ COMES.

CHRISTI AN. 1599

ANNO 1599. ISABELLA, CLARA, EVGENIA, Infans Hispaniarum, Belgicæ Serenissima Princeps, in manus venit cum ALBERTO AVSTRIO, Cæsarum Fratre, Filio, Nepote: peractisque apud Iberos nuptijs, ad Belgicas Ditiones, ingenti Prouinciarum explendo desiderio, quòd proprij Principis præsentiâ, inter tot bellorum procellas, tamdiu caruissent, iter pariter arripiunt; Belgis interim nihil non honoris, excipiendis Principibus suis, decernentibus.

CLEM. 8 PAPÆ AN 8

Isabella Princeps nostra Alberto Austrio coniugij fœdere iuncta, in Belgium appellit.

Tum Philippus Nassauuius, Aurangiæ Princeps, ex Hispanijs, vbi abs anno 1568. continuè hæserat, in Belgicam redux, communem adauxit lætitiam, tristemque illam memoriam expunxit, admisso connubij vinculo cum Eleonorâ, Henrici Borbonij, Condææ Principis, Sorore.

Intereà RR. PP. Societatis IESV, in vrbem Atrebatensem magnâ omniū lætitiâ, & maiore exindè Reip. fructu, instituendæ Iuuentutis ergò, recipiuntur. Ijs peramplum Gymnasium Senatores eum in vsum magnificentissimè adparari postmodùm curauerunt: At R. D. Philippus Cauerelius, Antistes Vedastinus Ædeis stupendâ structurâ, atque amplitudine spectandas, cottidiè ijsdem molitur.

Ioannes Vernesius Audomarensis Episcopus, morti concedit. In eius sedem successit R. D. Iacobus Blasæus, ordine Franciscanus, anteà Namurcensium Episcopus, diuini Eloquij Præco singularis, hodiéque superstes.



ALBERTVS ET ISABELLA, BELGICÆ PRINCIPES.

ANNO AB ORBE CONDITO IVXTA LXX. 6218.
IVXTA VVLGATAM ET EMENDATAM EDITIONEM, 5632.
OLYMPIADIS 593. ANNO 2.
AB V. C. SECVNDVM VARRONEM 2351.
CHRISTI REDEMPTORIS NOSTRI ANNO IVBILÆO, ET SÆCVLARI, 1600.
CLEMENTIS VIII. PAPÆ 9.
RVDOLPHI 2. IMP. 24.

ALBERTVS ET ISABELLA, PRINCIPES NOSTRI DESIDERATISSIMI, ATREBATVM, SVB REGIO APPARATV ET TRIVMPHO FEB. XIII. INGRESSI, LVCE SEQVENTE ARTESIÆ COMITES INAVGVRANTVR.


AVCTOR LECTORI.

MANVM tollo de tabulâ, mi Lector, lampadem tibi trado, assume, si lubet, & auspicijs fœlicibus, dum Serenissimi nostri Principes in arenam hanc Belgicam descendunt, Chronicam ingredere, quidquid prætermisi, appone. Multùm equidem illustrandis Belgicæ Prouincijs, Artesiæ verò plurimùm (fateor) insudaui,

HIC AMOR, HÆC PATRIA EST. Virg. Æn. 4.

Vis labores in hâc palæstrâ meos nosse? en arenam, en calcem, toti Belgicæ incumbe, magno (sic vouemus) Reip. litterariæ bono. Quidquid hactenus euulgauimus, vtilitatis publicæ studium, non laudis cupiditas extorsit: si quid vspiam factum, dictumue, quod quemquam lædat, infectum, indictumue esto:

SCRIPTA DEMVM MEA, OMNIA ET SINGVLA, S. R. ECCLESIÆ EXAMINI ET CENSVRÆ: ATQVE SERENISSIMORVM PRINCIPVM BELGICÆ ALBERTI ET ISABELLÆ ARBITRIO SVBMISSA SVNTO.



ARTESIENSIS PROVINCIÆ PRISCI ET NEOTERICI SCRIPTORES,

qui varijs operibus, partim impreßis, partim necdùm editis, Patriam illuſtrarunt.

A



DAM Atrebas, Canonicus Lillerienſis: Hinc Epiſcopus Morinenſis: Et poſteà ex Epiſcopo factus Monachus Clarevalenſis: Scripſit Hiſtoriam ſui Ordinis.

Adrianus Faber, Canonicus Audomarēſis, S. Theologiæ Licentiatus, ſcripſit Commentarios in Ariſtotelem. Et euulgauit Orationem funebrem, quam habuit in exequijs Ioannis Verneſij Epiſcopi Audomarenſis.

Adrianus Hecquet, Carmelita Atrebatenſis, Doctor Sorbonicus, Sermones edidit in Euangelia & Epiſtolas Dominicales: Scenam rerum inuerſarum, proſa & carmine: Anni curriculum: Orationes funebres.

Ægydius Bucherius Atrebas, Societatis IESV Sacerdos, edidit Diſputationem Hiſtoricam de primis Tungrorum ſeu Leodienſium Epiſcopis: Item Chronologiam poſteriorum, additis Pontificum Romanorum, Imperatorum Rom. & Regum Franciæ tabulis. Idem parat editionem Gregorij Turonenſis, ampliſsimis notis illuſtrati.

Alardus Gazæus, Religioſus Vedaſtinus, & Diui Michaëlis iuxta Atrebatum Præpoſitus, reſtituit Caſſianum, & nouis notis auctum & illuſtratum euulgauit.

Alexander 2. Abbas cœnobij Aquicinctini, ſcripſit vitam Beati Goſſuini Prædeceſſoris ſui, circa annum 1100.

Alitgarius, Epiſcopus Atrebatenſis & Cameracenſis, ſcripſit ſex libros de Remedijs Peccatorum, & Pœnitentiâ, ad Ebbonem Archiepiſcopum Rhemenſem. Sepultus eſt in Monaſterio Montis S. Eligij.

Andreas Herbius, Canonicus Atrebatenſis, Sanctorum Luglij & Lugliani vitas è tenebris eruit, typiſque commiſit.

Andreas Hoyus, in Ciuitate Atrebatensi, Seminarij Mariani; Hinc Scholæ Bethuniensis Præfectus, Et postmodò in Academia Duacensi clarissimus literarum Græcarum & Latinarum Professor: Edidit Ezechielem Prophetam Paraphrasi Poëticâ illustratum, & in sex libros tributum: Item Orationes tres; De nouæ apud Europæos Monarchiæ vtilitate: De Gallicanis Capetiæ Stirpis Regibus; De Gentis Vrbisque Atrebatium laudibus. Quibus adiunxit Duacum, & Betuneam: Et pro B. Gregorio Magno aduersus quendam Gallum, & pro Criticis, Apologias.

Item euulgauit Matthæum, & Machabæum, siue Constantiam; Tragœdias sacras: Elegias, & diuersi generis Poemata: Et in Græco-Latinis Iamotij, permulta latinè versa: Tabulā in Rhetoricam Cypriani Zoares: Explanationem Prouerbialium Formularum, Tertulliano vsitatarum: Meditationes Gasparis Loartij, Societatis IESV Sacerdotis, è Gallico in sermonem Latinum versas, super Passione Domini: Et libellum Francisci Ariæ, de Imitatione B. Virginis, Latio etiam donatum. Porrò sunt ei etiamnùm præ manibus: Orationes permultæ Quodlibeticæ, Politicæ & Sacræ: Chronologia Biblica: Luculenta Ecphrasis. 1. & 5. Ethicorum Aristotelis: P. Orosij Historia, serie Chronologica digesta: Horologium, & Menologium minus Græcū, latinè versum, & notis illustratum: Enchologium Græcum, ab incerto interprete mancum, iam verò plurimis locis expletum, & interpolatum ab Andrea Hoyo, & Timotheo filio: Historia Iacobi à Vitriaco, Notis & Vita Auctoris illustrata: Vitę Pontificū Romanorū versu heroïco descriptę: Libellus, de ratione legēdæ Historiæ: Item alius, De genuina linguę Gręcæ pronūtiatione. Plura latent inter eius Schedas.

Andreas Vaillant, Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini, & Prior in celebri Montis S. Eligij Monasterio, scripsit Patrio idiomate eiusdem loci Chronicon, cum serie Abbatum.

Antonius Davroultius, Artesius, Societatis IESV Sacerdos, edidit Flores Exēplorum, siue Cathechismū Historialem, in 4. tomos diuisum: Itē, Pios gemitus Catholicorum:

Antonius de Berghes, Abbas S. Bertini, & S. Trudonis: scripsit Historiam Ordinis Aurei Velleris, à Philippo Bono, Duce Burgundiæ, instituti.

Antonius de Pouuillon Bethuniensis, Canonicus Regularis S. Augustini, Abbas S. Auberti Cameracensis, edidit Tractatum patrio idiomate, De natura & qualitate ciborum & potus.

Antonius Garnier, Canonicus Atrebatẽsis, Edidit res gestas à Carolo Quinto Imperatore, cui erat à secretis.

Antonius Gazæus, Doctor Medicus in Vrbe Ariaco, vertit ex Italico Sermone in Gallicum, Mathiæ Balbani Capucini Opusculum de Flagellatione Domini: Item tres Tractatus Fuluij Androtij Societatis IESV Sacerdotis, de Passione Domini; De Confessione, & Scrupulis conscientiæ; De frequenti Communione: Item Meditationes P. Brunonis, super Vitâ & Passione Domini.

Antonius Havet, Atrebas, ex Religioso Ordinis S. Dominici, & S. Theologiæ Doctore, factus primus Episcopus Namurcẽsis: Edidit Opusculum de statu Belgij, ad Mariam Austriacam, Hungariæ Reginam, cui erat à sacris Confessionibus, sicuti & postmodò fuit Margaretæ Austriacæ Ducissæ Parmensi. Porrò Vtraque Belgio præfuit.

Antonius Lanquier, Carmelita Atrebatẽsis, Doctor Sorbonicus, edidit Synopsin, siue Instructionẽ ad pias Conciones, super Passione, Resurrectione, & Ascensione Domini.

Antonius l'Euesque, Bappalmensis, edidit Enchiridion de necessitate, & vtilitate Deum orandi.

Antonius Meyerus, Gymnasij Atrebatensis Moderator, Edidit varia Poëmata: Vrsum, seu Vitam Diui Vedasti in libros tres diuisam: Catonem Christianum, siue Institutionem Parænecticam ad Pietatem, in libros decem digestam: Sententias B. Nili Episcopi & Martyris: Isocratis Parænesim ad Demonicum: Flandriæ Comites: Encomium Vrbis Cameracensis: Item Threnodiam, siue Illustrium aliquot Virorum Epicedia & Tumulos: Quatuor Hominis Nouissima: Strenas ad Amicos: Ioannis Austriaci victoriam de Turcis ad Naupactum relatam: Anagrammata celebrioribus Discipulis dicata. Scripsit Epithalamia Sacra & Profana, variaque Epigrammata multo sale condîta, & ingens Volumen Miscellaneorum: Vertit Quintum Librum Epigrammatum Græcorum in Latinos versus: Conscripsit Annotationes in libros Hesiodi ΠΕΡΙ ΕΡΓΑΣ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΣ: Aliaque

id

id genus quamplurima elucubrauit, vir indefessi studij & laboris. Annales Flandriæ Iacobi Meyeri Patrui, post eius mortem, inuitis quibusdam Magnatibus, qui Opus adeò vtile premere moliebantur, in lucem emisit.

Antonius Perenotus Granuellanus, Philippo Secundo Hispaniarum Regi ab arcanis secretis, ex Episcopo Atrebatensi, factus est Cardinalis. Habuit Orationem in Concilio Tridentino, & complures alias magno iudicio cõscripsit. Septem linguas calluit, &, instar Iulij Cæsaris, sæpe quatuor & quinque Scribis literas de arduis Reip. negotijs dictabat: Ex eius familia, Iustus Lipsius, Franciscus Richardotus, Stephanus Pighius, Suffridus Petrus, Morillonus, Ellebodius, Bochius; Viri clarissimi, tanti Mecœnatis experti munificentiam, prodierunt.

Aquicinctinus Asceta, Anonymus, Auctarium non aspernandum Sigeberti Chronico adiecit.

Aubertus Myræus, Marianam Bibliothecam in Ciuitate Atrebatensi perlustrauit: Item Vedastinam Bibliothecam, quæ hodiè ingenti optimorum librorum supellectile longè est instructissima, ad eruendas huius Prouinciæ Antiquitates, vestigauit.

Augustinus de Bontemps, Atrebas, Lobbiensis Monasterij Asceta, Carmine, Sanctorum Landelini, Vrsmari, Ermini, Dodonis, eiusdem loci Abbatum, Vitas edidit.

B

BAldericus, Nouiomensis & Tornacẽsis Episcopus, scripsit Cameracẽse & Atrebatense Chronicon, quod nuper Georgius Coluenerius, S. Theologię Doctor, & in Academia Duacena Regius & ordinarius Professor, in lucem emisit, additis notis, in quibus concinnandis fatetur se vsum opera Claudij Despretz, Atrebatis, Domini de Queant, & in Curia Artesiensi Aduocati.

Balduinus de Glen, Atrebas, Abbas Monasterij Henniacensis, scripsit seriem & Monarchiam Regũ Hispaniæ: Item Prouinciarum Belgicarum transmigrationem ad Principes Austriacos: Chronicon sui Monasterij, aliáque vetustatis varia monumenta.

C

CArolus Clusius, Atrebas, Maximiliani 2. & Rudolphi 2. Impp. Aulæ quondam familiaris: Euulgauit rariorum

plan-

plantarum iustam Historiam: Et breuiorem alteram Fungorum in Pannonijs obseruatorum Historiam: Item rariorum stirpium per Pannoniam, Austriam, & vicinas Prouincias obseruatarum Historiam.

Carolus Blendecq, Atrebas, Asceta Marchianensis, Historiam Pentepartit vnius de Energumenis apud Suessiones, profligato Dæmone, liberatis; publicauit: Itē ex Latino sermone in Gallicū trāstulit Violā Animæ Raymondi Sebonij.

Carolus Canda, Prior Cœnobij Dompmartini, ex Italico in Latinum sermonem vertit, Vitam S. Caroli Borromæi: Et, Vitam Sanctæ Franciscæ Romanæ.

Christophorus D'Assonleuille, Atrebas, Baro de Bouchault, Dominus de Hauteville, Consiliarius Principum Belgij in sacratiore Consilio: Scripsit plurima de rebus Politicis & Status, quæ Raynutius de France, Curiæ Artesiensis Præses, habet MSS.

Claudius Bricourt, Canonicus Atrebatensis, Catechismi Romani Epitomen Carmine Elegiaco reddidit.

Claudius Dausque, Audomarensis, quadraginta Homilias Basilij Episcopi Seleuciensis, ex Græcanicâ in Latinam Coloniam transscripsit, & Notis adauxit. Item, scripsit Notas in Q. Calabri Paralipomena: Et in Silium Italicum de bello Punico secundo.

Claudius Despretz, Atrebas, I.C. Dominus de Queant, scripsit Commentaria, vnà cum Quæstionibus, in duodecim libros Metaphysicorum Aristotelis: Et in decem libros Ethicorum: Item, Speculum Vitæ Humanæ in viginti libros digestum: Et Notas, ad septem libros Lactantij Firmiani de Diuinis Institutionibus aduersus Gentes. Scripsit etiam Analecta ad quinque libros summæ Henrici de Segusia, Cardinalis Hostiensis.

D

Dionysius Bersacius, Atrebas, Historiā Latinā cōscripsit, de Origine, serie, & rebus gestis Comitum Artesiæ.

Drogo, Episcopus Morinensis, posteritati reliquit Vitas Sanctorum VVinoci Abbatis, Osualdi Anglorum Regis, Godolenæ Virginis & Martyris; & Leuuinæ, siue Leuduinæ.

F

Ferdinandus de Cardeuacques, Atrebas, Dominus de Beaumōt, Descripsit Historicè seriem Comitū Artesiæ.

Ferreolus Locrius, Paulinas, apud Atrebates ad Diui Nicolai Parœcus, edidit Mariam Augustam, siue Historiam Deiparæ Virginis, in libros septem tributam, & Chronico & Notis ad calcem illustratam: Item conscripsit Chronicon Belgicum, ab anno 258. ad annum vsque 1600. perpetuâ annorum serie deductum: Item Genealogiam Comitum Artesiæ: Historiam Comitum & Comitatus Sancti Pauli: Miscellanea variorum Carminum, Epigrammatum, Anagrammatum, & Versuum Chronologicorum: Paraphrasim Poëticam in Prouerbia Salomonis: Item alia Opuscula vernaculo Sermone, De Nobilitate, & Virginum Præfectura: Postremò Orationem funebrem in exequijs Matthæi Moulartij, laudatissimi Atrebatium Episcopi, habitam.

Folchardus, Asceta Bertinianus, descripsit Vitas Sancti Bertini Abbatis, & Diui Audomari Episcopi Morinensis, quas Laurentius Surius quinto Volumini inseruit.

Folquinus, ex Monacho Bertiniano factus Abbas Cœnobij Lobbiensis, gesta Abbatum eius loci literis consignauit: Item Miracula Sancti Vrsmari, & Vitam S. Folquini Episcopi.

Franciscus Balduinus, Atrebas, celeberrimus I. C. scripsit Artesiæ Chronicon, & Notas ad Consuetudines Artesiẽses: Item Annotationes ad Optatum Afrum: Et varios Tractatus & Orationes aduersus Sectarios Geneuenses: Vertit de Græco in Latinum Sermonẽ Iustiniani Leges de Re Rustica, additis Scholijs, annos natus plus minus 20. Vertit etiam de Græco in Latinum, Iustiniani Nouellam Constitutionem, de Hæredibus, & Falcidia: Adiecit Annotationes ad quatuor libros Institutionum Iustiniani: Scripsit de Institutione Historiæ vniuersæ, & de eius cum Iurisprudentia coniunctione, Prolegomenon libros duos: Præterea varios Tractatus in lucem dedit, quorum hi sunt tituli: Catechesis Iuris Ciuilis. De Legibus XII. Tabularum: De Pignoribus & Hypothecis: De conditionibus: Ad Paulũ de Diuisione Stipulatium: Ad eundem, de Cautione lecta in Auditorio Papiniani: Ad Papinianum, de Euictione, & duplæ Stipulatione: Ad Regulam Catonianam: De Iurisprudentia Muciana: Ad legem Voconiam, Falcidiam, Iuliam Papiam, Poppæam, Rhodiam, Aqui-

liam: Iuſtinianus, ſiue De Iure nouo libri quatuor: Notæ ad librum I. & II. Digeſt. Diſputationes duæ ex Papiniano: Ad Edicta veterum Principum Rom. de Chriſtianis: Minutij Octauius reſtitutus: Hiſtoria Carthaginenſis Collationis. Extant & alia ingenij feliciſſimi Monimenta.

Franciſcus de Bar, Prior Cœnobij Aquicinctini, De Antiquitatibus Belgicis ſcripſit ampliſſime.

Franciſcus Hemus, Sacerdos & Poëta, exorto per Flandriam ciuili bello, vt Geuſeorum furores vitaret, cõceſſit Atrebatũ, ab Antonio Meyero, familiari intimo, exceptus hoſpitio. Edidit libros duos Sacrorũ Hymnorũ, cum Sylua variorum Carminum. Item alia Poëmata typis Plantinianis excuſa. Scripſit etiam Scholia in Odas, Artem Poëticam, Epiſtolas, & Satyras Horatij: In Bucolica, Georgica, & Æneid. Virgilij: In libros Ouidij de Ponto & Triſtibus: In Hieronymi Vidæ Chriſtiada, Hymnos, eiuſque librum de Bombycibus. Sunt autem hæc Scholia in quinque tomos partita, quos moriens Meyero reliquit.

Franciſcus Lucas, Audomari in Eccleſia Cathedrali Decanus, ſacra Biblia Notis illuſtrauit: Atque iuſtum Commentariorum Volumen in Quatuor Euangelia conſcripſit: Orationes etiam aliquot Latinas typis euulgauit.

Franciſcus Modius, Canonicus Ariacenſis, ad ſingulas Cleri Romani figuras adiecit Octoſticha, addito libello ſingulari, de Ordinis Eccleſiaſtici Origine, Progreſſu, & Veſtitu: Varia etiam Poëmata, ſacra & profana, atque in varios Auctores Notas erudito ſtylo expreſſit. Moriens Belgicæ Collectanea MSS. reliquit.

Franciſcus Moncæus, Atrebas, Dominus de Froideval, euulgauit Bucolica ſacra: Paraphraſim Poëticam in Cantica Canticorum: Item varios Tractatus, De Diuinis Apparitionibus; De Triumpho Hieroſolymitano; De Vitulo Aureo, Et, pro eius Defenſione, varias contra Robertum Viſorium Apologias. Deſcripſit etiam Eden, ſiue Heſdinum, verſu Elegiaco.

Frãciſcus Moſchus, ex Canonico Atreb. factus Parœcus Armẽterianus, in Diœceſi Atreb. excudi curauit Vitas SS. Simonis Alnenſis Abbatis, Arnulphi Religioſi Villarienſis

& Mariæ Oigniacensis: Item Iacobi de Vitriaco libros duos Orientalis & Occidentalis Historiæ, è tenebris & situ in lucem dedit. Scripsit etiam Eden, siue Paradisum B. Mariæ Virginis: Et, pro Sanctorum Reliquijs, Apologiam: Multa prætereà prosa & carmine descripsit, Vir publicè & priuatim insignis facundiæ, & admirandæ memoriæ.

Franciscus Potel, Carmelita Atrebatensis, & sui Ordinis Prouincialis, scripsit stylo vernaculo, Originem Sodalitij Scapularis B. Virginis de Monte-Carmelo.

Franciscus Richardotus, insignis Theologus, & Orator ad Miraculum vsque facundus, ex Religioso Augustiniano factus est Episcopus Atrebatensis. Extant eius Tractatus de Institutione Pastorum: Item Orationes habitæ in publico Patrum Concilij Tridentini consessu; In Cameracensi Synodo; In Duacenæ Academiæ ortu; In trium Principum exequijs: Prætereà sex Homiliæ disertissimæ in Dominicam Orationem; Et quatuor, in Legationem Angeli ad Virginem diuinitùs transmissam. Item nonnullæ, de venerabili Sacramento Altaris: Edidit etiam Statuta Synodalia suæ Diœcesis, adiectis veteribus Prædecessorum suorum Statutis.

Franciscus Vualonschapelle, Audomarensis, Ordinis S. Francisci, Episcopus Namurcensis, edidit librum de Stationibus Vrbis Romæ.

Fredericus Iamotius, Doctor Medicus apud Bethunienses, Vir Græcè & Latinè longè Doctissimus, euulgauit varia Poëmata Græca & Latina: Hymnos, Idyllia, Funera, Odas, Epigrammata, Anagrammata, quæ cum Horatianis & Pindaricis certare possint.

G

GAspar Bouincourt, Atrebas, Eques Hierosolymitanus, ex Monacho Aquicinctino, factus Abbas Audemburgensis: Græcè, Latinè, Gallicè, Teutonicè, Italicè, Hispanicè, peritus; Scripsit idiomate Gallico Peregrinationē suam Hierosolymitanam, & ad Montem Sinay: Sermones ad Fratres: Librum vnum de Arithmetica: Item libros duos versibus Gallicis, alterum de Prædestinatione, Alterum verò de sui ipsius Cognitione.

Gaspar Lanthonius, Vimiacensis, edidit Farraginem variorum Epigrammatum, & pia quædam Carmina, Sa-

cerdote pio,& exactæ ætatis Sene non indigna. Natus est Vimiaci iuxta Atrebatum anno 1518. Atque etiamnùm superat anno 1616. natus annos nonaginta octo.

Gaugericus Hispanus, Lendiensis, S. Theologiæ Licentiatus, & apud Atrebates ad Diuæ Crucis Parœcus, Summulam Peccatorum Cardinalis Caietani, Scholijs & Indice illustratam, euulgauit.

Gerardus de Dainville, Episcopus Atrebatensis, deindè Morinensis, & postremò Cameracensis, instituit Parisijs ex proprijs ædibus Collegium, & dotauit; Quod etiamnùm Conditoris nomen retinet. Reliquit moriens varia MSS.

Gotzelinus, Asceta Bertinianus, Audomaro in Angliam à Beato Anselmo euocatus, Conscripsit ibi Latinè Vitas Sanctorum Laurentij Archiepiscopi Cantuariensis: Erconuualdi, & Augustini Episcoporum Anglicanorum: Item Vitas Sanctarum Virginum, Milburgis, Vuiteburgis, & Eadgharæ.

Gualterus, Canonicus Ecclesiæ Teruanensis, descripsit vitam Caroli Boni Comitis Flandriæ, sui coætanei, quæ extat.

Guarinus, ex Doctore Theologo Parisiensi, & Professore Ordinario, factus est Abbas Vedastinus, à Nicolao. 3. Pont. Max. propter restitutam ab eo Theologiam Scholasticam. Obijt anno 1297.

Guimannus, Cœnobita Vedastinus, descripsit prima Vedastinæ Domus cunabula: Itèm pleraque cùm Pōtificum, tùm Imperatorum, & Regum Priuilegia diligenter collegit. Floruit Anno 1160.

Gulielmus D'Assonleville, Christophori Patria Atrebatis Viri Clarissimi Filius, librum typis commisit, cui præfixus est talis titulus: Atheomastix, siue aduersus Religionis hostes, dissertatio. Scripsit etiam Declamationem, De tribus Quæstionibus quodlibeticis in Iure: Et Orationem De B. Virginis Annuntiatione.

Gulielmus Gazæus, Canonicus Ariacensis, & apud Atrebates ad Diuæ Magdalenes Parœcus, edidit Vitas Sanctorum in duo Volumina partitas: Speculum Conscientiæ: Sacrum Conuiuium: Exercitia Spiritualia: Litanias Hebdomadales: Gynæcæum sacrum: Antidotum scrupulorum Conscientiæ: Catalogum Sanctorum, Episcoporum, &

Scriptorum Belgicorum: Historiam Belgicam Ecclesiasticam: Compendium Summæ Benedictinę de casibus Cõscientiæ: Magdalim, Comœdiam Sacram: Opusculum de sacro Cereo, & Manna Atrebatensi: Et, Imaginem Religiosæ Reformatæ: Item imprimi curauit Idiotam, de statu Religiosorum.

Gulielmus Piscis, Atrebas, Poëta Laureatus, Scripsit varia Carmina necdùm edita. Extat Epitaphium, quod in Desiderij Erasmi obitum conscripsit.

Gulielmus VVarlincurius, Bethuniensis, diuersa Poëmata Sacra & Profana eleganter contexuit: Veteris & Noui Testamenti Cantica, & magnam Iobææ Prophetiæ partem erudito Carmine illustrauit.

H

HEnricus Carlerius, Doctor Medicus, apud Atrebates, Scripsit Castigationes Practicæ Medicinæ: Item alium Tractatum, De Promiscuis Erroribus. Porrò Ægidius Carlerius, Henrici affinis, Canonicus & Decanus Metropolitanæ Ecclesiæ Cameracẽsis, Orationes in Cõcilio Basiliensi contra Bohemos habuit, quæ extãt. Idem alium euulgauit librum, cui titulus præfigitur, Sportula Fragmentorum.

Hieronymus de France, Præses Cameræ Arteſiẽsis, solidos Commentarios ad Iuris Ciuilis Regulas scripsit: Item Historiam erectionis Academiæ Duacensis, cui ipse plurimùm insudauit.

Hugo à Frigida-valle, Doctor Medicus apud Paulinates, Scripsit opusculum De Balneorum vsu; Et, De Sanitate tuendâ, sex libros.

I

IAcobus Blasæus, Episcopus Audomarensis, emisit in lucem Orationem funebrem, in solennibus Philippi 2. Hispaniarum Regis exequijs Bruxellæ habitam. Alia domi premit opera, publico, si prodierint, profutura.

Iacobus Bourgeois, Atrebas, Prouincialis Ordinis Sanctissimę Trinitatis, edidit vernaculo sermone Meditationes in Psalmos: Martyrologiũ Orationibus ad Sanctos illustratum; Vitas Veterum Patrum: Miracula Venerabilis Eucharistiæ: Regulam, Statuta, & Priuilegia sui Ordinis.

Iacobus du Clerq, Dominus de Beauuoir, Scripsit Historiam sui temporis, seu Diarium earum rerum, quę Atrebati,

bati,& locis finitimis,contingebant. Vixit sub Ioanne Clerico,Abbate Vedastino longè pientissimo.

Iacobus le Clercq,Canonicus Atrebatensis, excudi curauit Sermones in Orationem Dominicam; De Pœnitentia;& Orationes aliquot funebres: Item Eiaculationes,seu Ectases Spiritales.

Iacobus Meyerus, magno studio & diligētia, Brabātiæ, Flandriæ,Hannoniæ,& Artesiæ Bibliothecas peruagatus, venit Atrebatum,sub Hieronymo Rufaldo Abbate Vedastino,qui Cœnobij sui Bibliothecā ei iussit aperiri. Omniū Scriptorū primus Latino Sermone Annales Flandriæ,à primâ Gentis Flandricæ Origine, ad vsque Caroli Audacis Burgundiæ Ducis mortē,perpetuâ annorū serie perduxit. Quo in opere,res etiam in Artesia gestas cōplectitur, quādoquidem id temporis Atrebatum foret Flandriæ Caput. Scripsit prætereà librum Epistolarum de Viris Illustribus. Item euulgauit rerum Flandricarū tomos decem, De Origine Flandrorum; Menapijs; Morinis; Tornacensibus; Gādensibus; Duacēsibus; Catalogo Regū Franciæ, & Comitū Flandriæ; Genealogia Comitum; postremò de Situ ac Moribus Flandrię. Adhęc,è tenebris eruit libros Philippeidos, Carmine conscriptos,de bello Philippi Galliæ Regis cū Othone Imp. Britānis & Flādris gesto. Sua etiā euulgauit Poëmata, & Hymnos aliquot Ecclesiasticos reddidit meliores. Reliquit moriēs plus minus decē iusta Volumina manu propriâ exarata,quę Hominis diligentiam arguere possint.

Iacobus Pamelius,Episcopus Audomarēsis designatus, Catalogum compegit omnium Auctorum,qui in Sacra Biblia Cōmentarios aut Notas ediderūt: Dedit etiam Annotationes in S. Cyprianum & Tertullianum: Item Liturgica Latinorū,siue de ritu Sacrificij Missę, à Christo, Apostolis,& Patribus obseruato: Prætereà de duplici Religione eodem in regno non admittendâ. Ipsius etiam in lucem prodijt Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus.

Iacobus Sluperius,Sacerdos & Poëta, à Geuseis Flādriâ pulsus,concessit Atrebatum,ab Antonio Meyero exceptus hospitio. Quâ in vrbe; post annos plùs minùs viginti, fato consumtus est; eoque temporis spatio quam-plurima scripsit Poëmata: Elogia Illustrium Virorum: Hymnum in D. Vedastum: Catalogum omnium pœnè Poëtarū pris-

corum

corum & recentiorum, versu Phaleucio: Librum vnum sacrorum Hymnorum: & Alium Epistolarum: Descriptionem omnium Opificum: Miscellanea, & Eclogas circiter ducentas, quibus res sui temporis allegoricè tractabat. Edidit Epigrammata, ad omnium ferè Gentium, nostræque ætatis Nationum Habitus & Effigies, addita. Extant & alia eius Poëmata, Antuerpiæ & Atrebati impressa. Reliquit moriens quindecim Exemplaria vario Carminum genere descripta.

Ioannes Baptista Gramayus, iussu Alberti Principis, singula Artesiæ oppida, ad eruendas Antiquitates, peruagatus, descripsit Ariacũ; Bethuneam, aliaque Artesiæ loca.

Ioannes Bernard, Bapalmensis, S. Theologiæ Licentiatus, Ordinis S. Dominici, & Prior Conuentus Duacensis, edidit libellum de Confraternitate Rosarij: Et, De Sodalitate Nominis Dei.

Ioannes Bertoul, Prior Monasterij Sanctissimæ Trinitatis iuxta Atrebatum, descripsit Iter suum Hungaricum, quo complures Christianos Turcicâ seruitute, persoluto lytro, liberauit: Idem nouum Artesiæ typum accurato penicillo in Tabulâ expressit.

Ioannes Bosquillonius, Franciscanus Atrebatensis, sermone patrio euulgauit Theatrum mortis: Scripsit etiam Opusculum de Aqua Lustrali:

Ioannes Brugmanus, Ordinis Seraphici apud Audomarenses Theologus, descripsit Vitam S. Leduinnæ Virginis.

Ioannes Carpentæus, Atrebas, I.C. edidit in Vaticinia Isaiæ Prophetæ excellentem Paraphrasim, Carmine verè Heroïco conscriptam, & in libros septem diuisam. Item Sanctissimi Patris Benedicti Vitam; Et Malchum Maroniadem, siue Monachum Fugitiuum, ex D. Hieronymo, Carmine etiam Heroïco reddidit. Prætereà scripsit aliam Paraphrasim in Ieremiam Prophetam, & Psalmos Dauidicos, necdùm editam.

Ioannes Dauffayus, Bethuniensis, ab Arcanis Secretis Maximiliano Imp. Scripsit sermone vernaculo varia opera: De Ducatu Burgundiæ; Comitatibus Artesiæ, Burgundiæ, Austrouanensi, & Ponthiuensi: De Oppidis, Lillâ, Duaco, & Orchiaco: De Aduocatia Bethuniensi.

Ioan-

Ioannes de Latre, Eremita ad Sacellum B. Virginis Syluestris, iuxta Atrebatum, Patrio idiomate deſcripſit (operâ Amici, Ciuis Atrebatenſis) Iter ſuum Hieroſolymitanũ, quod ipſe intra ſemeſtre feliciter cõfecit, Anno 1615.

Ioannes de le Val, Atrebas, I.C. Edidit Libellũ, cui titulus Anna, Maria, Ioſeph. Dedit etiam Pſalmos Dauidicos Latino verſu ligatos, de verbo pœnè ad verbũ, veluti teſtatur ille Pentameter Pſal. 50. *Imponent ſuper altare tuum vitulos.*

Ioannes de Tangio, Canonicus Atreb. & S. Theologiæ Profeſſor, Scripſit in 4. libros Magiſtri Sententiarum.

Ioannes Deſpretz, natus in vico Arteſiæ, dicto Beauuoir, Epiſcopus & Par Lingonenſis in Gallia, & poſtmodò factus Epiſcopus Tornacenſis, edidit Vitas Ludouici 10. Philippi 5. Caroli 4. & Philippi ſexti, Regum Franciæ.

Ioannes D'ongoys, natus in vico Arteſiæ, dicto de Buſnes, Edidit Promptuarium Hiſtoriæ vniuerſæ.

Ioannes, ex Religioſo montis S. Eligij, factus Archidiaconus Atreb. & poſteà Epiſcopus Morinenſis: Scripſit Hiſtoriam rerum geſtarum Roberti Friſij, Comitis Flandriæ.

Ioannes Fabri, Doctor Iuris Canonici, Abbas Vedaſtinus, & poſteà factus Epiſcopus Carnutenſis in Galliâ; & Cancellarius Ludouici Andegauenſis, Siciliæ Regis; Item miſſus Legatus à Carolo ſexto ad Ducem Britanniæ; Vixit tempore periculoſi Schiſmatis inter Vrbanum ſextum, & Clementem ſeptimum. Moriens Auenione, Teſtamenti ſui executores conſtituit, Matthæum de Peronne, Canonicum Carnutenſem, & Ioannem de Mouy, Præpoſitum, & poſtea Abbatem Cœnobij Vedaſtini apud Atrebates: Scripſit Tractatus aliquot de Schiſmate.

Ioannes Franciſcus le Petit, Bethunienſis, Scripſit Sermone Gallico Chronicon Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ.

Ioannes Godart, Atrebas, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis: Scripſit Chronicon ſui temporis ad Carolum V. Imp.

Ioannes Heſdinienſis, Ordinis Fratrum S. Ioannis Hieroſolymitani, & Lutetiæ Profeſſor Theologiæ, Scripſit in Epiſtolas Pauli; Euangelium Marci; Prophetiam Iobi; Et Tractatum de Annunciatione Dominicâ.

Ioãnes Iperius, Abbas Bertinianus, Scripſit Monaſterij ſui Chronicon ab anno 598. vſq; ad Annũ 1294. Obijt an. 1303.

Ioannes Maior, Arteſienſis, Societatis IESV Sacerdos, &

Theologus, auxit & restituit Magnum Speculum Exemplorum, & emendatum luce donauit.

Ioannes le Ieune, Atrebas, Episcopus Ambianensis, deindè Morinensis; Hinc factus Cardinalis sub titulo S. Praxedis, & postea sub titulo S. Laurẽtij in Lucina. Parum autem abfuit, quin electus fuerit in Pontificem Romanum, post Eugenium 4. Scripsit vitam dicti Pontificis Eugenij 4. ad Nicolaum 5. Porrò Ioannes, erat Filius Roberti le Ieune, nati iuxta Lendiųm, Doctoris V. I. & Bailliui Vrbis Atreb.

Ioannes Lentailleur, Atrebas, Abbas Aquicinctinus, in Academia Duacena, excitandum curauit insigne Gymnasium, & Patribus Societatis Iesu regendum commisit. Reliquit moriens varia MSS.

Ioannes Molinet, Scripsit Patrio Sermone Chronicon sui temporis, sub Maria Burgunda, & Philippo Austriaco eius nominis primo, Belgarũ Principibus, in quo graphicè describit obsidium Vrbis Atrebatensis à Ludouico 11. oppugnatę, captæque: Et deinde, post 16. annorum spatium, Grisardi operâ rursus legitimo suo Principi restitutæ.

Ioannes Salanus, Atrebas, Doctor Medicus, Scripsit Promtuarium Rerum omnium in Arte Medicâ memorabilium, Item Methodum Medendi: Et, Totius Artis Medicæ Compendium.

Ioannes Saracenus, Atrebas, Amplissimus Cœnobij Vedastini Antistes: Et Philippo 2. Hispaniarum Regia Consilijs in sui Sanctioris Status Belgici intimo Senatu: Demùm creatus Archiepiscopus Cameracensis: Complures Orationes siue Conciones, disertissimè scripsit, & pronũtiauit: Leges & Statuta ab Eremitis suæ Diœcesis obseruanda euulgauit. Varios Codices MSS. curauit rursus describi atque in Bibliothecam Vedastinam inferri. Domum Patrum Capucinorum Atreb. vnà cum Tẽplò, curauit à fundamẽtis excitari. Extitit Literatorum hominum Mecœnas munificus. Florebant Atrebati sub hoc Præsule, Ioannes Carpentæus, Frãciscus Moncæus, Robertus Obryzius; Antonius Meyerus, Panagius Salius; Qui sua ei dicabant ingenij monimenta. Extat eius vita, quam vidimus.

Ioannes Sixtus, Episcopus Audomarensis, Statuta & Decreta, pro stabilienda Diœcesi, pio zęlo conscripsit.

Ioannes Syluius, Atrebas, Dominus de Sapigny, emisit

in

in lucem Cathemerinon ex precatorijs Græcorum libellis congestum: Item breue aliud Cathemerinon, Heroïcis Versibus conscriptũ Græcè & Latinè. Atque, vt erat linguæ Græcæ doctissimus, reliquit hæredibus varia opera Græcè, Carmine & Prosâ descripta. Adiecit Notas ad D. Ioannis Chrysostomi Græca Opera: Item curauit suis expensis excudi Anti-hęretica Richardi Bristoi Angli.

Ioannes Tabary, ex Medico factus Canonicus Atreb. & deindè Episcopus Morinensis, scripsit libros sex de Arte Medicâ, ad Carolum Sextum Regem Franciæ.

Ioãnes Viringus, Doctor Medicus, & Canonicus Atreb. edidit libros 5. de Ieiunio, & Abstinẽtia Medico-Ecclesiast.

L

LVdouicus Bresinius, Ariacensis, Chronicon Artesiæ ac Flandriæ, tribus ingentibus tomis, stylo Patrio complexus est, additis passim Illustrium familiarum Gentilitijs Insignibus. Chronicon istud necdum est editum.

M

MArtinus le Franc, Atrebas, Præpositus & Canonicus Ecclesiæ Leuzensis, & Protonotarius Apostolicus, edidit Sermone Gallico, Virtutis atque Fortunæ duellum.

Matthæus Despretz, Canonicus Atrebatensis, & posteà Archidiaconus Ecclesiæ Morinensis, scripsit antiquitates Teruannensis siue Morinensis Diœcesis.

Matthæus Moulartius, Atrebas, ex Abbate S. Gisleni in Hannonia, factus Episcopus Atrebatensis, celebrauit & euulgauit Synodum suæ Diœcesis: Item Breuiarium Atrebatense emendatum, typis Riuerianis curauit imprimi.

Matthæus Reginaldi, Bappalmensis, Episcopus Morinensis, edidit Vitas Pontificum Romanorum

Maximilianus de Vuignacourt Atrebas, Tractatum edidit de Statu Belgico, ad Alexandrum Farnesium: Item diuersa Poëmata doctè elaborata pręlo euulgauit.

Maximilianus Thieulaine, Atrebas, Religiosus Vedastinus, Manipulum Exemplorũm, indicatis ex fide singulorum Auctoribus, à Ioanne du Fay collectum, euulgauit, & typis commisit. Hic verò Ioannes ex Monacho Cœnobij S. Amandi, euectus est ad Infulam Monasterij S. Bauonis Gandensis, quod postmodò auctoritate Summi Pontificis, & Philippi 2. Hisp. Regis, cõmutatum est in Ecclesiam

Cathedralem. Floruit autem sub Clemente sexto, Pont. Max. Abs quo ad varias obeũdas legationes destinatus est.

N

NIcolaus Caudrelier, ex Præposito Hasprensi factus Abbas Vedastinus, construxit Collegium in Academia Parisiensi, quod Vedastinum, seu Atrebatense, vocatur, annuoque censu dotauit, quo Studiorum aliquot Alumni foueantur: Reliquit moriens quædam MSS.

Nicolaus Gazæus, Atrebas, Ordinis S. Francisci Theologus, Scripsit Chronicon Ordinis Annuntiatarum Virginum: Item Speculum Viduarum: Palatium Misericordiæ: Et, Historiam Sacram Patrio idiomate, De Felicitate & Infelicitate Adam & Euæ.

Nicolaus Godinus, Medicus Atrebas, composuit Tractatum Sermone Gallico, de Chirurgiâ Militari.

Nicolaus Gosson, Atrebas, I.C. Clarissimus, euulgauit Commentationem ad Consuetudines Atrebatesias.

Nicolaus le Borgne, Electus Artesiensis, Scripsit Tractatum de Duplici Nobilitate, Generis & Virtutis: Præterea iustis quatuor Voluminibus sui temporis Historiam complexus est, quã auspicatur, vbi desinit Paulus Iouius, eamque perducit ad vsque tempora Ducis Albani. Scripsit etiã erudita Poëmata varia. Extat Epicedium, quod scripsit in obitum Caroli Comitis Lalani, Præfecti Hannoniæ.

Nicolaus le Sueur, Atrebas, edidit Notas ad Leges 12. Tabularum.

P

PAnagius Salius, Audomarensis, edidit Vedastiadem in libros V. distinctam, ad Ioannem Saracenum Abbatem Vedastinum: Telanthropiam, siue de Fine Hominis, Versu Heroïco: Elegiarum libros quatuor: Parodiam ad Catulli Epithalamium: Syluarum librum vnum: Nassouium, Tragœdiam: Orationes aliquot.

Paulus Boudotius, S. Theologiæ Doctor Sorbonicus, Archidiaconus Ecclesiæ Atrebatensis, & suarum Celsitudinum ordinarius Ecclesiastes, Scripsit Opus tripartitum De Sacramento Pœnitentiæ. Edidit etiam Orationem funebrem in Solennibus Exequijs Rudolphi 2. Imp. in Vrbe Bruxellanâ habitam: Idem egregiam operam nauauit in B. Thomę Aquinatis Summã Theologicam Atrebati typis

Gu-

Gulielmi Riuerij excellēter supra omne prælum excusam.

Petrus Bertrandi, Episcopus Atrebatēsis; Hinc Cardinalis tituli Sanctæ Susannę; Demùm Ostiensis & Velletrensis Episcopus Cardinalis: Collegium, quod etiam nūc Conditoris nomen obtinet, Lutetiæ excitauit. Scripsit varios Responsorum libros: Item de duabus Potestatibus, Temporali & Spirituali: Librum, aduersus Petrum de Cugnerijs Clero infensum: Et Orationes complures.

Petrus de Croix, Paulinas, Ordinis S. Dominici Theologus, edidit Opusc. de Virtute, & Miraculis signi S. Crucis.

Petrus de VVallon-Chapelle, Audomarensis, Berghis S. VVinnoci Asceta, edidit latinè tres libros de Institutionibus Monasticis: Librum vnum, De Hospitalitate Monachorum: Alterum, De Casibus Monachorum Abbati reseruatis: Item Illustrationes Religionis Monasticæ: Et, De causis Tumultuum Belgicorum, & eorum remedia.

Petrus Doré, Paulinas, Ordinis S. Dominici, Doctor Sorbonicus, scripsit Virtutis Imaginem: Vitæ Seriem B. Virginis: Turturem Viduitatis: Pascuum Ouis Christianę: Collegium Sapientiæ: Anti-Caluinū: Paradoxa: Spem securā: De Solitudine: Triumphum Regis sine Cōpare: Piscinam Sapientiæ: Arborem Vitæ: Dialogum Christianorum: Sulphurata, siue Incētiua Ignis Diuini: Propugnaculum gratiæ: Dialogū Dei cum Samaritano: Meditationes De Missæ Sacrificio: Querimoniam de Vita Humana: Asylum Peccatoris: Ceruum Spirituale: Opera Pœnitentiæ: Collationes Regias: Testamentum Amoris: Mentem cœlicam.

Petrus Gallandius, Ariacensis, Lutetiæ Regius Latinarum Literarum Professor, scripsit in Quintilianum Scholia & Argumenta: Item Orationem, de Francisci I. Regis Galliæ laudibus: Et alteram, aduersus Petrum Ramum, seditiosum Oratorem, & Philosophum.

Petrus Nannius, Canonicus Atreb. & Louanij in Collegio Trilingui Professor, Latio donauit Demosthenem, Plutarchū, Synesium, Athanasium, Chrysostomū, Basiliū: Scripsit X. Miscellaneorum libros in varios Auctores: Totidē Panegyricas Orationes: 7. Dialogismos Heroinarum: Scholia in Cantica Canticorū: Commentariū in Salomonis Sapientiā: Notas ad Ambrosij Relationē, aduersus Symmachū: Et Psalmos cōplures Dauidicos carmine reddidit.

Petrus Masoërius, Doctor. V. I. Ex Præceptore Gregorij Vndecimi, Canonico & Archidiacono Cameracensi, factus Episcopus Atrebatensis, edidit varios Tractatus, super aliquot Titulos vtriusque Iuris.

Petrus Rogerij, Benedictinus, ex Episcopo Atrebatensi, factus Archiepiscopus Rhotomagensis: Deindè Cardinalis tituli SS. Nerei & Achillei: Postremò summus Pontifex, sub nomine Clementis Sexti: Edidit tractatus de Canonisatione S. Iuonis; Et approbatione Caroli, Filij Ioãnis Luxemburgici Regis Bohemię, Electi in Imperatorem. Item Libros Sermonum: Collationes varias: Et Epistolas ad diuersos.

Philippus Belualetius, Paulinas, apud Bethunienses ad D. Bartholomæi Canonicus, emisit in lucem Psalmos Dauidicos, Paraphrasi Poëticâ illustratos.

Philippus de Cauerel, Paulinas, Amplissimus apud Attrebates Cœnobij Vedastini Antistes, Chronicon sui Monasterij, cum Abbatum serie, florido admodùm calamo conscripsit. Eius autographum vidimus, & non pauca pro nostro Chronico mutuauimus. Idem amplissimas ædes Atrebati, vnà cum Templo, Patribus Societatis IESV extruxit, & Pietati & Literis dicauit: Item Duaci, à fundamentis excitari iussit Collegium Vedastinum, S. Gregorij Patrocinio commendatum.

Philippus de Latre, Sub-Prior Cœnobij Vedastini: Regulam S. Benedicti, eruditis iuxta ac pijs lucubrationibus illustrauit: Item scripsit Stadium Spirituale, siue Diurnum Monachi, in libros 2. distinctum: Et Volumen egregium Sacrarum Meditationum.

Philippus Meyerus, Atrebas, adiunxit Appendicem ad Annales Flandriæ Iacobi Meyeri Propatrui, siue Commentarium, in libros septem distinctum, rerum in Belgio gestarũ, ab Anno 1477. ad An. 1613. Item scripsit Elegiarum libros octo, de Casibus Illustrium Virorum: Librum vnum Epigrammatum: Alterum Miscellaneorum: Encomium Caluitij: Panægyricum, ad Albertum Austriæ Archiducẽ, de Caleto expugnato: Epinicium, de Atrebato, ab Henrico 4. Gallorum Rege, Petartijs frustrà tẽtato: Valesium, & Phaëthontem, Tragœdias: Edidit Elogia Principum aliquot bellica laude Illustrium: Epigrammata: Mahometem

Pseudoprophetam: Et, Otoamannos Turcarum Impp.

Pontus Payen, Atrebas, I.C. Dominus D'essars, Scripsit Patrio idiomate de initijs tumultuum Belgicorũ, vsque ad Ducis Albani tempora: Item, ex parte, Res ab Alexandro Farnesio Duce Parmensi in Belgio gestas: Et Commentarium, De Tumultu Vrbis Atrebatensis, Anno 1578.

R

RAymundus de Cauillac, Doctor Decretorum, Suffraganeus Episcopus Atrebatensis, Deinde Cardinalis factus, Scripsit Librum Recollectorum, ad Septimianum Archiepiscopum Narbonensem.

Richardus Hallus, Canonicus Audomarensis, S. Theologiæ Doctor, Scripsit contra Proprietatem Religiosorum: De Conscientia in partes quinque tributa: Item varias Orationes.

Robertus Britannus, Atrebas, edidit Encomium Agriculturæ: Et Notas, ad Quintilianum, & Quæstiones Tusculanas, addidit.

Robertus Guaguinus, natus in vico Callona, iuxta Ariacum, Ordinis SS. Trinitatis Generalis, & Iuris Pontificij Doctor, Scripsit Annales Francorũ: Chronicon sui Ordinis: Librum contra Articulos Vincentij à Castello-nouo: De Cõceptione B. Mariæ Prosa & Carmine: De Misera Hominis conditione: De arte metrificandi: Itẽ varias Orationes: Librum Epistolarum: Et Epigrammatum Farraginem.

Robertus Obryzius, Hermopagita, Canonicus Atrebatensis, euulgauit Sacrorum Idylliorum Volumen: Libros Septem Hymnorum: Duos Epistolarum: Cœmeterium, siue Comitum Artesiæ, & Virorum aliquot Illustrium, atque Amicorum, Epitaphia: Liberationem vrbis Atrebatensis ab oppressione Factiosorum, Versu Heroico.

S

SAlomon le Sage, Atrebas, Topographiã Artesiæ vernaculo Stylo Laconicè concinnauit: Ibi videas, Vrbes, Oppida, Pagos, Flumina, Fontes, Montes, Syluas, Monasteria, nominatim expressa.

Simon Ogerius, Audomarensis, edidit varia Carmina: Item Homeoteleuta: Rythmos Latinos: Cantilenas.

Stephanus le Clou, Atrebas, Prior Cõuentus Dominicanorum Atreb. edidit Opusc. de Rosario B. V. Item Vitam

S. Hyachinti ex latino in vernaculum sermonē conuertit.

Sulpicius du Prè, Canonicus Audomarensis, ex Latino in Sermonem Gallicum vertit Regulam S. Augustini: Et Idiotam de Statu Religiosorum: Scripsit etiam librum Exhortationum ad Religiosos.

T.

THeophilus Bernardinus, Soc. IESV Sacerdos, pium edidit libellum, De SS. Florentio, eiusq; Socio, Martyrib. Quorum sacræ Reliquiæ Româ Atrebatum aduectæ, ibidem religiosè asseruātur in Delubro PP. Societatis IESV.

Thomas, Canonicus Regularis S. Victoris in Monasterio Cantipratano Artesiensi iuxta Cameracū, & postea factus Dominicanus, Alberti Magni discipulus, & Cameracensis Diœcesis Episcopus Suffraganeus: Scripsit De formicis, seu Bono vniuersali: De Causis rerū: Itē libros 2. Miraculorum sui temporis: Et, Vitam S. Christianæ, aliaque varia opera.

Thomas de Beaumetz (aliàs de Bello-manso in Artesia) Archiepiscopus Rhemensis, librum edidit de statu Ecclesiæ Gallicanæ, ad Alexandrum Quartum Pont. Max.

V.

VEdastini aliquot Cœnobitæ, qui nomina sua, modestiæ causâ, suppressēre, concinnarunt magno studio & pietate, Explicationem vtriusq; Testamenti: Quorum extant, in Bibliotheca Vedastina, magna duo Exemplaria MSS.

Vedastini Cœnobitæ, rursus Anonymi, Vitam D. Vedasti, ab Alcuino accuratè perscriptā, magnoperè auxerunt, & locupletarunt, additis quàm plurimis Miraculis, quæ precibus & meritis D. Vedasti patrata fuerūt; Potissimùm verò illustribus adiectis Historijs, quibus manifestè cōstat, quàm rigidam Dei vindicis manū experti sunt isti, qui Bona & Iura Monasterij Vedastini violare attentarunt.

Vedastinus Cœnobita, Anonymus, Scripsit moralem Expositionem in librum Leuitici: Quo in opere antiquā Sanctorum Patrum dictionem, & Spiritum facilè agnoscas.

Vedastinus Cœnobita alius, etiam Anonymus, Relationem Capitis S. Iacobi Apostoli (quod in Vedastino Cœnobio honorificè asseruatur) Stylo eleganti contexuit.

VValerādus Obertus, Dominus de Gaudiempre, Curiæ Artesi Consiliarius, Scripsit Commētarium, quo graphicè recenset Tumultus, qui contigerunt Attrebati, Anno 1578.

TOTIVS



TOTIVS OPERIS INDEX ALPHABETICVS.

 obsidet.

D

E

F

G

M

rentium

Ru-

FINIS.



ATREBATI,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

GVLIELMI RIVERII,

M. D. C. XVI.